

OCTAVII AMORINI I.V.D. BONON.

In Patrio Archigymnasio Iur. Ciu. Matutini anteà,
Nunc uerò Pandectarum Ordinarij Professoris,
Et S.mae Inquisitionis Consultoris

IN EARVNDEM PANDECT. LIB. QVINTV͞
SCHOLASTICÆ INTERPRETAT.nes

Sub Optatissima Tutela

SACRATISSIMÆ VITÆ REGINAE

Editæ,

ALEXANDRO PICO

MIRANDVLÆ DVCI, CONCORDIÆ MARCH. &c.

Dicatæ.

Bononiæ, Typis Sebastiani Bonomii. Superiorum permissu Anno M DC XX

Iacobus la...

ALEXANDRO PICO
MIRANDVLÆ DVCI,
CONCORDIÆ MARCHIONI,
AVREI VELLERIS EQVITI, &c.
OCTAVIVS AMORINVS I.V.D. BONON. F. P.

PRODITVRÆ in lucem meæ in Quintum Pandectarum Librum Interpretationes, quas dum publicè in Bononiensi Archigymnasio profiteor conscripsi, & vix scriptas si præter opinionem non præter votum meum edere volui, hominum conspectum quasi pertimescētes iure quodam suo Defensorem sibi exposcebant, qui futurus esset illis & decus, & tutamen. Quod æquum est, haud quaquam eis denegare sum ausus, noueram enim cùm oculos, & iudicium doctissimorum virorum ferè inuitæ subeant, splendore alicuius Principis, vt illustriores appareant, atq; eiusdem virtutum indigere

munimine, vt à quibuscunquè iniurijs, si fortè contingant, se alacrius tueantur. Paraturus itaq; ipsis splendorem postulatamq; tutelam, id à Celsitudine tua me facili negotio consecuturum speraui, cuius fulgor nobilitatis Solis instar vbiq; micat; cuius Prudentia & Virtus quasi sydera lucidissima fulgēt; cuius familiæ propria Humanitas in bonos & eruditos, quos eadē semper protulit, ab optimis quibusq; celebratur; cujus summa Potentia cunctis iam diù cognita est atque spectata. Tu illis in causa honesta faue; & si in re magna, sicuti Pādectarum præse fert titulus, quod ego præstiti, per se haud magnum est, id omne tamen à Celsitudine tua magnitudinem accipiet; Velim namq; scias me solùm in hoc legali labore ea scripsisse, quæ visa sunt optima, vtilitateq; iuuandi prætulisse studio placendi. Sic Deus te iuuet, incolumemq; diù tueatur. Bononię ix. Kalendas Quinctilis M. DC. XX.

AMICO LECTORI.

QVAMVIS *de Archigymnasij nostri more* Institutionum *ciuilium lecturã per triennium professus ad insignem Matutinam Ordinarij Iuris Ciuilis interpretationem mox transitum fecerim, eamdemq; per quatuor continuos circulos toto sexdecim annorum spatio excoluerim, commenta Doctorum in ea explicans, quaestiones varias sicuti Italica Gymnasia hactenus consueuerũt proponens, & latè discutiens, non omissis interim cùm lectionũ, tùm Academiarum priuatis laboribus, quo addiscentium animi (quibus prodesse mihi semper fuit optatissimum) ad studia magis accenderentur, praecipua tamen quadam propensione ad Pandectarum publicam explicationem ferebar, eam caeteris delicatiorem existimans, quippè quae praetermissis subtilioribus illis Doctorum ambagibus, ac disputationibus solam textus explicationem accuratissimè enodat, quod Trãsalpinis auctoribus peculiare, & ideo ab omnibus sũmopere laudatum nemo est qui nesciat; Si eiusdẽ utilitatẽ praeterea spectemus, caeteras omnes alias lectiones longè antecellere mihi videtur, cum in ea singulis diebus singulae, plures uè leges, eidemq; materies & proponi & exponi valeant, quod in alijs lecturis vix quam plurimorum dierum spatio fieri consueuit. Hanc itaque libenti animo iam tribus ab hinc annis Illustrissimorũ studij Reformatorum iussu sum amplexus, cum non me fugeret magni eã semper omnes fecisse, ad eamq; tantùm viros scientia fulgentes fuisse selectos, quiq; indè ad Eminentiores* Italorum *Gymnasiorum Cathedras euocati fuere; Vt autem propensa ad hanc lecturam voluntas, affectusq; meus magis innotesceret, quos primo eiusdem lectionis anno super Quint. Libr. Labores sustinui, eosdem typis mandare minimè veritus sum, in quibus non Grammatici instar, sed tanquã* I*urisconsultus, quem unum profiteor, solam textus ac terminorum explicationẽ pertractaui. Verũ cum benignè Lector, ut optimè nosti, humanum sit peccare, ideo à te enixè contendo, vt si quos ex Typographi incuria prodeuntes errores inueneris corrigere, sin verò aliundè nascentia vitia conspexeris, excusare non desistas, sic enim efficies, vt publicae vtilitatis causa nullos posthac subterfugiam sudores. Hoc vnum tandem te scire volo, cum variae sint Pandectarum nostrarum editiones, ea nos vsos fuisse, quae Lugduni anno 1552. ab Hugone à Porta impressa fuit, & vulgò dicitur à porta rubea, Hoc scias, & diù vale.*

Ego infrascriptus attestor me vidisse, & examinasse Scholasticas interpretationes in Quintum Pandectarum librum facili methodo, ac Laconico stylo conscriptas ab Excellentiss. I.C. Octauio Amorino, & nihil in eis reperisse, quod Christianæ fidei sanctionibus contrarium sit, aut bonis moribus aduersetur, quinimò maximè dignas esse, quæ ad commune Iurisprudentiæ studiosorum commodum in lucem prodeant. &c.

D. Homobonus de Bonis Cler. Reg. S. Pauli, ac in Metrop. Ecclesia Bonon. Pœnit. pro Illustriss. & Reuerendiss. Card. Archiepisc. Bonon.

Vidi, ac diligentius Ego infrascriptus consideraui, quæ ab Excellentiss. D.D. Octauio Amorino in Quintum librum Pandect. conscribuntur, cumque in ijs, non nisi omnia sana, non nisi omnia consona sacris Concilijs, ac Canonibus deprehenderim, quin maximam indè vtilitatem in omnes lectores effundendam animaduerterim, ideo illa typis danda libènter dixerim.

Imprimatur

Ego Fr. Hieron. Onuphr. Theologus Collegiatus Bononiæ, atq; ibidem Lector publicus, ac Consultor Sanctiss. Inquisitionis pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

ELENCHVS
TITVLORVM, ET LEGVM
INTERPRETATARVM,

Quæ in hoc volumine continentur.

l. si

OCTA-

OCTAVII AMORINI

I. V. D. BONON.

Ad Pandectarum Lib. V. Interpretationes.

Dominus dat sapientiam, & ex ore eius scientia, & prudentia. Prouerb. cap. 2.

PRÆFATIO IN INGRESSV LECTIONVM.

ORDINARIAM Iuris Ciuilis matutinam lecturam cum præsenti Pandectarum Interpretatione vt primum me commutaturum, ex Illustrissimorum Archigymnasij nostri Reformatorum præscripto, cognoui (Nobilissimi, ac studiosissimi Adolescentes) Præfationem ne aliquam pro fœlici harum lectionum auspicio vobiscũ adhibere opus esset, diù mecum ipse animo volutaui; cum enim ex superiorum annorum vsu exploratissimum haberem, quo animi desiderio ad perdiscẽdam Iurisprudentiam feramini, & quàm intentas aures mihi singula Doctorum dicta vobis explicanti semper adhibeatis, id dicendi munus assumere minimè necessarium videbatur. Sed in contrariam sententiam me deducebat vsurpatum à maioribus nostris institutũ, qui ne illotis, quod aiunt, manibus tam excellentis disciplinæ studia contrectarent, ab illius eximijs laudibus exordium sumere consueuerunt, ea videlicet ducti ratione, vt qui illius cognitionem iam sunt adepti, sibi ipsis tantum bonum possidentibus gratulari possint, at qui in eiusdem tyrocinio prima viꝫ stipendia meriti versantur, diligentius, alacriusq; militiæ incumbant, vt & veteranorum numero adscribi, & quæ maxima sunt, illorũ præmia capere tandem valeant. Verùm apud me ea demum præualuit opinio, quæ nullam præloquendi causam nobis in præsentia dari persuadebat, nam cũ studia nostra suaptè natura infinitam propè cõmentariorum congeriem secum afferant, superuacaneum prorsus esset orationum multiloquio vos insuper fatigare, quarum nõ alius esset finis, quàm ad illud uos inuitare, ad quod spontè, velisque, & remis, vt aiũt, accurrere nemo non videt. Nec immeritò fortasse mihi tot Insignis huius scientiæ præconia congerenti illud obijci posset, quod cuidam in Græcia Philosophiam extollere anhelanti responsum fertur, ecquis enim illam vituperauit? Ne igitur frustrà tempus insumam, videarque de vestris studijs illam non concepisse fiduciam, quam

per quattuor ferè lustra in hisce Scholis cō
tinuata attentio vestra hactenus promisit,
omissis alijs propositum munus obibo; Sed
prius Christi filij Dei viui, qui solus est op-
timus maximus, eiusq; sanctiss. Genitricis
VITÆ REGINÆ Protectricis nostræ au
xiliū, opéq; imploremus exorantes eos, vt
ita nobis propitij, adiutoresq; sint, vt vobis
ego adiumenti plurimum, & vtilitatis affer
re valeam. Ne autem per ignota versari vi-
deamur, nonnulla prius ad generalem Pan
dectarum intelligentiam pro Tyronibus
esse præmittenda existimo. Illud enim
præcognoscamus volo, quomodo libri isti,
quorum lectionem præ manibus sumus ha
bituri, inscribantur, & quarè: Quis illorum
auctor fuerit, & quibus vsus fuerit; Vnde
fuerint collecti; Quid contineant; Quo tē-
pore compositi fuerint; In quot partes sint
partiti; Quomodo tandem & quare ità de-
notentur; Quæ omnia breui manu Laco-
nico more in primis Scholis erunt expe-
dienda.

DE INSCRIPTIONE Pandectarum. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Pandectę disputationes & decisiones veteris enucleati iuris continent.*
2 *Pandectæ rerum omnium scientiam complectuntur.*
3 *Pandectarum nomen Grçcum est.*
4 *Digesta quare ità dicantur.*
5 *Pandectę Ius enucleatum dicuntur.*

INscribūtur libri isti Pandectarum, siue
Digestorum volumen, Pandectæ autē
dicuntur, vt testatur Imperator in l. 2. §. q;
1 cęlesti C. de vet. iur. enucl. quod † disputa-
tiones, & decisiones omnis veteris enuclea
ti iuris in se habeant, vt refert Donel. lib. 1.
cōment. iur. ciu. c. 11. Herm. Vult. in sua iu
risprudentia Romana in prolegomene de
2 stud. iur. in principio, vel Pandectæ † dicun
tur, quod rerum omnium scientiam cōple-
ctantur, vt voluit Duaren. in suo Sceuol. ad
l. Qui Romæ §. Agerius num. 5. ff. de verb.
oblig. in Pandectis enim quæstiones varia-
rum sciētiarum sæpius incidunt, prout exē-
pli gratia Medicinæ, vt in tractatu de Ædi
licio edicto, dum ibi Iurecōsulti de morbis
differunt; incidunt quandoq; quæstiones
Philosophicæ, dum de partu hominis tra-
ctant in l. septimo mense ff. de stat. hom. in
l. si pater ff. de solut. incidunt & Theologi-
cæ cum de rebus ad Religionem spectanti-
bus agitur, vt in tit. de diuort. & repud. in l.
fi. ff. de mort. infer. in l. 1. ff. ne quid in loc.
sacr. fiat, in l. fi. ff. de sepulc. violat. in l. 2. ff.
de relig. & sump. fun. in tot. tit. ff. de rit. nu-
pt. & alibi multis in locis: incidunt ēt quæ-
stiones Grammaticæ, vt in l. Labeo, & in l.
nam quod ff. de pen. leg. Mathematicę alię
emanant quæstiones, vt in l. fructus ff. solu.
matr. & de rebus rusticis interdum agitan-
tur quæstiones; vt in l. fructus §. si vir ff. sol.
matr. & in l. fi. ff. de fund. dot. & ideo Pan-
3 dectæ † nomen Græcum est, & cōpositum
à πᾶν, quod est totum, & participio huius
verbi δέχομαι. i. capio, quod omnia habeāt,
quodq; omne rerum & doctrinarum con-
tineant genus, vt per Catell. Cort. in suis
memorab. iur. in ver. Pandectas, & per Ioan.
Droseum in suo meth. iur. vniu. Digest. seu
4 Pand. tom. 7. Digesta etiam dr̄ Latino ser
mone, ex eo quod totum opus iuris antiqui
in ordinem digerant, & in partes diuisas
contineant, vt per Donel. d. lib. 1. c. 11. in
eisq; digestum sit vndiq; quod ad ius perti
neat, vt per Vult. d. proleg. de stud. iur. di-
ctaq; sūt à verbo digero. i. ordine distribuo,
ex quo oīa in hoc volumine sub suis libris,
& titulis sunt ordinata, vt per Io. Droseū d.
to. 7. digest. seu Pād. Vn̄ Virg. in 4. Aeneid.
Digerit in numerū atq; antro seclusa relinqt.
5 Præterea hoc opus † ius enucleatum etiam
dicitur à Iustiniano in 1. Constitu. proem.
Digest. ad fi. ex quo in Digestis iura vetera
enucleantur, idest tamquam extra nucleū
in lucem producuntur, quemadmodum
enim nucleus ex putamine educitur, ita
quidquid vtile, ac fructuosum erat in vete-
rum scriptis collectum, & in hos libros reda
ctum est, vt per Droseum in meth. iur. vniu.
in tit. C. de vet. iur. enucl. & per Duaren. ad
1. par. Pandect. c. 2. in fi.

DE

DE AVCTORE, ET COMPILATORIbus Pandectarum. c. 2.

SVMMARIVM.

1 *Pandectarum auctor Iustinianus.*
2 *Pandectarum archytectus Tribonianus.*
3 *Quindecim à Triboniano vocati ad compilationem Pandectarum & qui.*
4 *In Pandectis quidquid continetur pro iure habetur.*
5 *Pandectæ dicuntur Iustiniani per approbationem.*

1 HVius voluminis auctor † fuit Iustinianus Imperator. ut ex inscriptione ipsius apparet, in qua uaria eiusdem nomina, ac tituli leguntur, auctorque est, quia suam impartitus est auctoritatẽ, ut ipsemet testatur in procem. Digestorum, §. sed neque, Tri
2 boniano enim † qui Pandectarum archytectus nominatur teste Zas. in l. 2. in uer. (iniuriose) ff. de orig. iur. mandauit, ut selectos uiros Illustres, & facundissimos uocaret ad componendos, seu consarcinandos libros ho
3 sce Pandectarum; quindecim † autem uocati sunt; de quibus in l. 2. §. quæ omnia C. de uet. iur. enucl. hi q; fuere in primis Constantinus Comes sacrarum largitionum, & Magister scrinij libellorum, & sacrarum cognitionum; Theophilus antecessor Constantinopoli iura publice docens; Dorotheus antecessor, & Anatholius, qui in Berithensi Ciuitate pariter iura profitebantur; Cratinus Comes sacrarum Largitionum, & Constantinopoli docens; Stephanus Mœna; Prosdocius; Eutolmius; Timotheus; Leonides; Leontius; Platos Iacobus; Constantinus; & Ioannes patroni causarum Præfecturæ Oriẽtalis; horũ oĩum ope, & labore duce tamen Triboniano libri isti Digestorũ compositi fuerũt;
4 de quib. sic statuit Imperator, vt † quidquid in his est pro iure haberi velit, quod quidem pro iure positum, nec mutatum appareat, omnia sic accipi iubens, quasi ab ipso profe-
5 cta, ut quæ ipse † probando sua fecerit l. 1. §. omnia enim, & §. cum enim & l. 2. §. tanta C. de uet. iur. enucl.

VNDE COLLECTAE SINT Pandectæ. c. 3.

SVMMARIVM.

1 *Pandectæ ex libris veterum Iureconsultorũ sunt exceptæ, & ex quibus.*
2 *Populus Romanus probauit sapientiam, & fidem Iureconsultorum antiquorum.*
3 *Iureconsultorum antiquorum commendatio.*
4 *Pandectarum elogium ex Valla.*
5 *Liber duodecim tabularum præfertur omnibus Philosophorum bibliothecis.*
6 *Pandectæ Clypeo Herculis comparantur.*

1 PAndectarum libri excerpti fuere † ex varijs Iureconsultorum antiquorum scriptis; vt per Donell. lib. 1. comment. iur. ciuil. c. 11. & cum tres, & sexaginta celebriores fuerint Iureconsulti, quos recenset Pomponius in l. 2. ff. de orig. iur. septem, & triginta tantum elegit Iustinianus; qui à Principibus de iure respondendi auctoritatẽ habuerunt, ex quorum verbis Digestorum, seu Pandectarum leges velut centones consarcinatæ sunt, ut inquit Bud. ad Pandectas in l. 1. uer-
2 sus finem ff. de iust. & iur. † Horum omnium sapiẽtiam, & fidem Populus Romanus probauit; quibus tantum tribuit, ut ab his propemodum in iure cognoscendo, & accipiendo pẽderet, Iuris & æquitatis cognitionem scripta testãtur; doctrinam genus orationis,
3 † ita enim scripserunt, ut in summa breuitate nihil sit aptius, aut cõuenientius, in summa rerum dignitate nihil elegantius, aut iucundius, cumquè in istis auctoribus summa uarietas sit si numerum spectemus, tamẽ ut in iure veritatem, ac certitudinem agnoscamus, & in oratione constantiam, tantus est inter omnes consensus, vt si fragmentis auctorum nomina, & inscriptiones detraxerimus, vnum nos auctorem in omnibus intueri putemus. De hoc autem testis sit Laurent. Val. qui in præfat. lib. 3. elegant. dũ lo-
4 quitur de Pandectis ait † legi proximè quinquaginta Digestorũ libros ex plerisquè Iurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi quidem cum libenter, tũ uero quadam

cum admiratione, primũ quod nescias vtrũ diligentia nè an grauitas prudẽtia, an æquitas, scientia rerũ, an orationis dignitas præstet, & maiori laude digna esse uideatur, deinde qđ hæc ipsa ita in uno quoq; eorũ sunt egregia, & perfecta, vt uehementer dubites, quem cui præferendum putes; Hæc Valla, ut eleganter ita quoquè, & grauiter, & uerè dixit, ut per Donel. lib. 2. comment. iur. ciuil. c. 16. & ante eum per Bud. ad Pandect. in l. 1. ff. de iust. & iur. uers. de Pandectis uerò. Franciscusq. Duaren. in prima par. Pandect. c. 2. inquit, quod sicut Cicer. in lib. de Orat.
5 † librum duodecim tabularũ anteponit omnib. Philosophorũ bibliothecis, ita ipse affirmare non dubitat, nullum hodie librum cuiuscumque artis, ac disciplinę, siue Græcum, siue Latinum extare, qui tantam rerum bonarum, & utilium copiam complectatur, quantam hoc Pandectarum uolumẽ. Vnde
6 iure uidentur † libri isti Pandectarum Clypeo Herculis comparati, de quo per Hesiodum; ut enim in Clypeo illo magna extabat uarietas rerum insignium depicta, ita in his libris ingens rerum cognitu dignarũ copia, & uarietas descripta reperitur.

QVID CONTINEANT Pandectæ. c. 4.

SVMMARIVM.

1 *Pandectæ continent ius vetus.*
2 *Pandectæ fuerunt excerptæ ex illorum Iurecõsultorum commentarijs, qui ad edictum perpetuum scripserunt.*

Continent autem Pandectæ, seu Dige-
1 sta ea omnia, † quæ ad ius uetus pertinent, & ab antiquis Iurecõsultis rectè dispo sita erãt, ut habetur in Proem. Digestorum in prima Constit. qua mandat Imperator Triboniano, ut ex ueteris iuris auctorum libris has Pandectas componat, & ideo leges in eis relatæ non ex omnium Iureconsultorum antiquissimorum, sed ex eorum potissi-
2 mum, † qui ad edictum perpetuum scripserunt, & alia ingenij sui monumenta de iure litteris prodiderunt copiosissimis commentarijs descriptæ sunt, & suo quoquè loco pro arbitrio, & iudicio compilatorum collocatę; ut per Vult. in sua Iurisprud. Rom. in d. prolegom. de stud. iur.

QVO TEMPORE SINT COMPOSITÆ Pandectæ. c. 5.

SVMMARIVM.

1 *Prudentibus antiquis de iure respondere concessum fuit, & eorum responsa vim legis habebant.*
2 *Iuris prudentia olim ex mole sua ruinam minabatur.*
3 *Tres olim Codices extarunt constitutionũ Imperialium, & qui.*
4 *Codex Theodosianus adhuc integer extat.*
5 *Pandecta & Institutiones emanarunt anno Christi DXXXIII.*
6 *Institutiones sũt cõpẽdiũ totius iuris ciuilis.*
7 *Codex Iustinian⁹ emanauit de anno DXXIV.*
8 *Leges Codicis constitutiones Imperiales dicuntur.*
9 *Iustinianus Imperauit in Imperio annos XXXVIII.*

VT cognoscanus, quo tempore compo sita fuerint Digesta, seu Pandectæ, historiam, ac originem iuris reformandi texe-
1 re debemus; olim enim cum ipsis † Prudentibus de iure rñdere concessum esset, & eorũ respõsa pro legib. seruarentur adeò excreuerũt rñsa ista, & libri ab ipsis Iureconsultis antiquis compositi, ut numerus librorum tempore Iustiniani Imperatoris nostri ad duo millia, & uersuum tricies centena millia excreuerit, ut in proem. Digestorum in 2. con-
2 stit. §. & antea, adeo † ut Iurisprudentia mole sua ruinam quasi minitari uideretur; Ex-
3 tabant etiam constitutiones † Imperatorum in tres Codices relatæ: Primus enim Codex Gregorianus erat, ita nominatus ab eo, qui constitutiones in ipso registratas collegerat, ut placuit Herman. Vult. in suo prolegom. de stud. iur. continebat autem Codex iste constitutiones Imperatorũ ab Adriano usq; ad Valerianũ, & Galienũ. Scđs Codex Hermogenianus dictus erat pariter ab eiusdem editionis auctore, qui complectebatur con-

Constitutiones Claudij, Aureliani, Probi, Cari, & Carini, & innumeras Diocletiani, & Maximini Imperatorum: Tertius & ultimus Codex Theodosianus à Theodosio Imperatore, cuius auctoritate conditus fuit, erat appellatus, continebatquè constitutiones à Constantino Magno, usquè ad Theodosiũ latas, ut placuit Cuiac. in Prolegom.
4 Paratit. C. qui quidem † Codex Theodosianus adhuc integer extat, & circũfertur, Gregoriani uero, & Hermogeniani fragmenta tantum quædã reperiuntur; Iustinianus itaquè Imperator noster tãtam ruinam ex mole Iurisprudentiæ imminentem reparare uolens anno sui Imperij 2. & à Christo nato DXXIX. Idibus Februarij Constitutiones Imperiales reformari, Codicemq́. fieri mandauit, non quidem illum, quo nunc vtimur nos inter alia uolumina legum, sed alium, quem & ipse postea aboleuit, in quo continebantur non solum omnes illæ constitutiones, de quibus in prædictis tribus Codicib. uerum etiam & aliæ, q̃ tã à Theodosio ipso post editionem sui Codicis, quam alijs ipsum sequentibus Imperatoribus, usquè ad ipsum Iustinianum latæ erant, cuius Codicis usus non fuit ad modum longæuus, durauit enim solum usquè ad 4. Kalend. Ianuarij anni DXXXIV. quo tempore Codex posterior, quem hodie præ manibus habemus, editus fuit, de quo mox mox dicemus, Post huius primi Codicis compositionem postea emanarunt Pandectę, seu Digesta;
5 de quibus nos in præsens agimus, † istudquè factum fuit 17. Kalend. Ianuarij anni DXXXIII. quæ continẽt omne ius antiquũ, ut superius dictum fuit. Emanarunt etiam hoc tempore Institutiones, eademquè die facta fuit approbatio tam Institutionum, quam Pandectarum, ut uoluit Vult. in cita-
6 to prolegom. de stud. iur. quę † Institutiones nihil aliud sunt, quam breue compendium totius iuris ciuilis, ut not. Imper. in §. igitur in proem. Institut. Hoc peracto postea ad emendationem prioris Codicis animum applicuit Iustinianus, illumquè reformauit,
7 & † nouum Codicem composuit dicto anno DXXXIII. eius Imperij 7. quem Codicem Iustinianeum appellari iussit, & est ille, qui hodie inter uolumina iuris circumfertur, cuius Codicis leges non sunt ut in Digestis, ex interpretum commentarijs collectæ; sed ex
8 Imperatorum constitutionibus, † & ideo cõstitutiones Imperiales dicuntur. Denuo qa in dies ex negotiorum uarietate nouæ emergebant controuersiæ, quibus decisio ex superioribus uoluminibus satis commodè adaptata non erat, ideo post uolumina prædicta Institutionum, Digestorum, & Codicis, Iustinianus constitutiones nouas emisit, non quidem omnes uno eodemquè tẽpore, sed successiuè tractu temporis, toto scilicet tem-
9 pore † quo imperauit annorum videlicet XXXVIII. quæ & ipsæ in unum uolumen redactæ sunt, quod Nouellarum cõstitutionum, siue Authenticorum nomen sortitum est; Ex his itaquè historiam iuris ciuilis à Iustiniano compositi habetis, quæ utilis est ad cognoscendum discrimen ueteris ac noui iuris, & ad Antinomiarum quarumdam conciliationem deseruire poterit.

DE DIVISIONE Pandectarum. c. 6.

SVMMARIVM.

1 *Pandectæ in septem partes secundũ artem numerorum sunt diuisæ.*
2 *Pandectæ 50. libros continent.*
3 *Pandectarum uolumen in tria gratia commodioris vsus distributum fuit.*
4 *Digestum nouum, vetus, & Infortiatum quare ita appellentur.*

Diuisæ autem sunt Pandectæ, seu Digesta à Iustiniano Imperatore nostro ad artem numerorum respiciente, ut ipse ait
1 † in partes septem, quæ septẽ partes postea in libros quinquaginta partitæ sunt, qui libri suis titulis distinguuntur, tituli legibus; leges deniq. Paragraphis, atquè hi etiam si prolixiores sint suis uersiculis, quæ quidem diuisio in septem partes, ut uoluit Duarenus ad 1. part. Pandect. c. 3. ex ueterum superstitione orta uidetur, qui credebant diuinitatẽ aliquam inesse ac religionẽ numero septenario, de quo apud Macrob. in somno Scipio-

nis, tradit Gell. lib. 2. noct. Attic. c. 10. Hecq; diuisio totius compositionis clauis recte appellari potest, ut per Drof. in suo meth. iur. uniu. ad l. 2. §. omnes itaq; C. de uet. iur. enu cl. sicut enim in Arithmetica numeri sunt alij integri, alij fracti, qui in alias, & alias fractiones postea franguntur, & hi demũ omnes inuicem, ut ita dicam, proportionantur, sic in Pãdectis septem sunt partes primæ ueluti quædam integra, quę in libros primum, deinde libri in titulos, & in leges demum tituli frangũtur, singulis per numeros distinctis, ut simplicia prius quæq; cognita inuicē postea facilius conferantur, pars igitur prima Pandectarum τα πρῶτα nuncupatur, s. eorum, quæ ante iudicia considerantur, ut declarat Iul. Pac. in sua synops. iur. ciuil. in 8. synops. p. part. Pandect. uel ita dicitur, quia sit primaria, qua nihil est anterius continet enim principia iuris, quod à iustitia homini diuinitus insita uirtute descendit, ostendens omnium Magistratuum, & prudentium circa tractandas leges officia, utquè his imperantibus obtemperetur, & quatuor primos libros Pandectarum absorbet. Pars secunda septem libros continet, qui de iudicijs appellantur, à quinto nempe libro, usquè ad duodecimum; Tertia pars omnia, quæ de rebus nominantur complectitur, & octo sequentes libros continet, à duodecimo nempè vsquè ad uigesimum: in quibus materia contractuum tractatur. Alios octo libros qui sequuntur continet pars quarta, nempè à uigesimo ad uigesimum octauum, in uigesimo omnia, quæ ad hypothecã, & pignora pertinent, reposita sunt, in sequenti autē materia ædilicij edicti, & euictionum; de usuris postea; de instrumentis; de testibus; de probationibus, & de præsumptionibus in uigesimo secundo est tractatum; deinde uero, quæ de sponsalibus, uel nuptijs, & dotibus occurrunt in tres alios libros reponuntur in ultimis demum duobus libris uigesimo sexto nempe, & uigesimo septimo omnia, quæ de tutelis, & curationibus erant dicenda, recitantur, & ita concluditur quarta pars, quæ ueluti totius operis Vmbelicus est, ut ipsemet Iustinianus in hac diuisione attestatur; Sequitur postea pars quinta, quæ omnia, quæ ad testamenta, codicillos, legata, & fideicommissa, tam confirmanda, quam inualidanda pertinent complectitur, & nouem libros habet, nempè à uigesimo octauo, usq; ad trigesimum septimum. Sexta pars, quæ subsequitur octo libris conclusa est, à trigesimo septimo scilicet usquè ad quadragesimũ quintum, habetquè materiam bonorũ possessionum, & successionum ab intestato trigesimo septimo, & trigesimo octauo libris explicitam, postea uero de damno, quod imminet, propter opus nouum, propter uicinas ædes ruinosas, propter aquam pluuiam, de damno dato à publicanis, & de omni genere donationum, libro trigesimo nono agit, de manumissionibus uero, & liberali causa in libro quadragesimo proponitur, deinde de acquisitione, tam dominij, quam possessionis, & titulis qui eam producunt tractatur in libro quadragesimo primo; liber quadragesimus secundus continet materiã missionis in possessionem ex quacumquè causa; in libro quadragesimo tertio interdicta ponuntur; & in quadragesimo quarto tandem exceptionum materia latè tractatur. Septima demũ, & ultima pars reliquos sex libros Pandectarum complectitur, materiamquè totam stipulationum, & obligationum habet in libris quadragesimo quinto, & quadragesimo sexto; postea uero de delictis, & criminibus, tam priuatis, quã publicis agitur libro quadragesimo septimo, & quadragesimo octauo de appellationibus tandem, & de iudicijs extraordinarijs tractatur in duobus postremis libris, & pro epilogo in calce ultimi libri ponuntur tituli de uerborum significatione, & de regulis iuris; Habetis itaquè ex Iustiniano omnium materiarum partitionem, quæ in Pandectis continentur. Vo-
3 lumen † autem istud librorum quinquaginta gratia cõmedioris usus in tres partes tempore Bulgari, & Azonis diuisum fuit; ut placuit Vult. in alias citat. proleg. de stud. iur. nempè in Digestum uetus, in Infortiatum, & in Digestum nouum, Digestum uetus durat vsquè ad tit. tertium libri uigesimi quarti, qui inscribitur, soluto matrimonio quemadmodum dos petatur; indèquè Infortiatũ dicitur usquè ad primum tit. lib. 39. qui de operis

operis noui nunciatione uocatur, ab indè
4 què postea Digestum nouum dicitur. † Primum illud Digestum uetus eo quod cætera præcedat, & ante omnia sit, nouum uero ultimum dicitur, quia post reliqua, & ultimũ sit; Infortiatum autem quarè ita dicatur, uariæ referuntur opiniones; de quibus per glo. in Rubr. Infortiati, & per Alciat. li. 4. parerg. c. 25. placet, ut sequamur Bern. Vualt. lib. 2. miscel. c. 5. & Vult. iu d. proleg. de stud. iur. dicentes, Infortiatum dictum esse corrupto uocabulo, cum potius Infarcitũ esset dicendum, quasi quod inter primum, & ultimum insertum sit; auctoritate Plin. lib. 35. cap. 14. qui dixit parietem inter duas tabulas infarciri, & ita cum uolumen istud sit mediũ inter uetus, & nouum, quasi infarcitum dici possit, corruptoque uocabulo, prout sæpius euenit infortiatum dicatur.

QVOMODO PANDECTÆ, SEV Digesta denotentur, & quare. c. 7.

SVMMARIVM.

1 *Digesta per duplicem ff. denotantur.*
2 *Pandectæ olim per primam litteram π denotabatur.*
3 *Geminata littera ff. facta fuisse importat.*
4 *Leges sunt sanctiones sanctæ.*
5 *Federici duo fuere qui in Italiam Pandectas reportarunt.*
6 *Melius est errare cum multis, quam sapere solus.*

SVperest pro coronide eorum, quæ generaliter præfari pollicitus fui, ut uideamus, quomodo libri isti Pandectarum, seu Digestorum denotẽtur, & quarè; Vulgo au-
1 tem † uolumen istud denotatur per duplicẽ ff. minusculam iunctam insimul, quod quidem ansam prebuit interpretibus nostris inquirendi de ratione, quare istud eueniat, cũ nulla littera f. posita sit in hoc uerbo Pandectarum, seu Digestorum, cuius quidem notæ rationes uarias ab interpretibus assignatas comperio, prima fuit Alciati libro 3. di-
2 spunct. c. 16. existimantis, olim † Pandectas apud Græcos denotari solere per primam litteram π̃ cum accentu circumflexo, unde Amanuenses ignari quid scriberent, duplicem ff. putarunt illam litteram π̃ cum accentu circumflexo, & ita adiecto unco duplicẽ ff. formarũt. Catellian. Cot. in suis memo-
3 ral. in verb. Pandectas putat † quod hæ duæ litteræ ff. facta fuisse denotent, quia scilicet Imperator uoluerit ex tituli inspectione admonere lectorem, quod in his Pandectis cõtinentur omnia, quæ pro legibus sunt obseruanda, & duplici ff. denotauit, quasi dicat ita facta fuerunt hæc Digesta à nobis, opus planè desperatum, quod ab alijs pluribus tentatũ fuit, uidelicet à Iulio Cæsare, Constantino, & alijs ut in §. quorum in proem. Instit. Alij putarunt, olim Pandectas denotari solitas esse per duplicem f. hoc modo f. quæ notatio propria dicitur a Petr. Rebuff. in huius rei inuestigatione ante primum Pandect. li-
4 brum, cum denotet sanctiones sanctas † leges enim sunt sanctiones sanctæ l. 2. ff. de legib. & l. leges C. eod. scriptores ergo putarũt ultimam illam litteram f. aduncam, esse f. & ob id duplici ff. notauere; Bernard. Vualt. libro 2. miscell. c. 4. putauit Pandectas olim denotari solitas per duplicem pp. paruam, quod quidem postea in duplicem ff. deprauatum fuerit. Io. Bap. Scuro in §. fin. proem. Instit. putauit, consueuisse inscribi digesta, & Pandectas per duplicem ff. ad denotãdos
5 scilicet duos Federicos, † qui in Italiam Pandectas istas transtulerunt, sed hæc omnia nihil aliud sunt, ut inquit Vualth. d. lib. 2. miscell. c. 4. quam coniecturæ; in quibus nihil pro certo affirmari facile potest, quãuis hoc certum uideatur, ex errore hunc scribendi modum introductũ fuisse, & ideo uidemus, Vltramontanos ferè omnes consueuisse, dũ uolunt libros nostros Pandectarum, seu Digestorũ notare, uti uel littera π̃ Græca, uel littera D. latina, quocumquè tamen modo istud fiat nihil interest, adeo quod nota non sit dignus, qui utatur littera ff. geminata, cũ
6 dici soleat, quod † melius est errare cum multis, quam sapere solus.

DE

DE ORDINE IN HISCE LECTIOnibus seruando. c. 8.

SEd iam præcognitis istis, quæ generaliter ad intelligentiam Pandectarũ præmittere uolui, nunc superest, vt ad interpretationem ipsam accedamus; & quia ut superius c. 6. dictum fuit septẽ partes à Iustiniano sunt factæ Pandectarum, sen Digestorũ, primaque pars continet iuris originem, & multa antiqua, cognitionemq; iurisdictionum, & eorum qui ius dicunt, quorum cum maior pars hodie ab usu recesserit, ideo lubens hanc primam partem ommitto, tanto magis, quia multi qui Pandectas interpretandas assumpserunt, hac prima parte contenti fuerũt, nec ulterius processerunt, ut Eguinarius Baro, Marius Salomonius, Anto. Vacca, Petrus Rebuffus & alij; quare ad secundæ partis de iudicijs nempe interpretationem deuenire statui, in cuius secũdæ partis explicatione ita procedam; Primo enim summariam, & compendiosam quamdam expositionem tituli, & materiæ conficiam, postea singularum legum particularem declarationem subijciam, in qua iura concordantia afferam, historiam, si quandoq; erit, proponam; propositiones, siue conclusiones cum suis rationibus colligam, oppositiones quoquè formabo, & si quæ erunt antinomias conciliabo, litteræ demum uerba obscura explicabo, quo ordine procedam in cuiuscumquè alterius materiæ, ac legis explicatione, nec expectent Auditores, ut sensus nouos, nouasq; explicationes afferam, illas tamquam proprias authenticãdo, prout in multis euenit, qui tacitis auctoribus aliorum dicta portant, id enim non profiteor, cum nil dictum, q nõ sit prius dictũ, sed ea quæ afferam sparsim à Doctoribus collecta, nõ fraudatis ipsis auctoribus, & pro consilio meo adaptata protestor.

AD RVBR. DE IVDICIIS.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio tit. de Iudicijs.*
2 *Rubrica de Iudicijs duo capita continet.*
3 *Iudicium varijs modis sumitur, & quomodo hic.*
4 *Iudicij definitio.*
5 *Iudicij partes duæ sunt, alias tres, vt nu. 23.*
6 *Iudicium non potest esse sine personis.*
7 *Iudex modo ordinarius, modo extraordinarius est.*
8 *Iudex ordinarius quis sit.*
9 *Iudex ordinarius vt suspectus remoueri non potest de iure ciuili, secus de iure Canonico.*
10 *Iudex extraordinarius quis sit.*
11 *Iudex extraordinarius olim Pedaneus index hodie delegatus dicitur.*
12 *Arbiter quisnam dicatur.*
13 *Arbitri potestas pendet ex compromisso.*
14 *Arbiter iudex compromissarius dicitur.*
15 *Actor & reus qui nam sint.*
16 *Actor non cogitur inuitus agere.*
17 *Reus inuitus ad iudicium trahitur.*
18 *Actor sequitur forum rei.*
19 *Reus ex diuersis causis sortitur forum in diuersis locis.*
20 *Actor quando possit cõuenire reum vbi velit.*
21 *Omnes Romæ conueniri possunt.*
22 *Roma communis patria.*
24 *Iudicia alia ciuilia, alia criminalia, & quæ sint.*

AD secundæ itaq; partis Pandect. interpretationem accedentes, dicamus
1 † quod cum Imperator noster in hac, & alijs partibus sequentibus de singulis actionibus sit tractaturus, præponere uoluit titulum generalem de iudicijs, ut & in alijs quibusdam locis ab eo obseruatum est, cum enim de cõtractibus specialiter, qui de rebus creditis oriuntur, disputaturus esset; præposuit titulum generalem de reb. creditis, vt per Duaren. hic in tit. nostro c. 1. in principio. cum ergò de Iudicijs hic ponatur Rubrica, dica-
2 mus eam † duo capita continere, quorum prius est de Iudicijs, alterum vero vbi quis conueniri debeat. Ad iudiciorum itaquè tractationem accedentes, videamus primo de significatione huius uerbi iudiciũ; quod
3 † quidem uarijs modis sumi potest. Marãt. in suo Spec. aur. par. 1. per tot. decem & tres huius uerbi significationes proposuit, in terminis

minis tituli nostri iudiciũ sumitur pro actu
trium personarum actoris nempè, iudicis,
& rei, quomodo sumitur etiam in tit. C. de
iudic. & in tit. Decret. ext. de iudic. qui cum
nostro concordant, hoc etiam modo sumi-
tur in c. forus ext. de uerbor. signific. Iudi-
4 ciumquè † hoc modo sumptum uarijs mo-
dis definitum fuit, ut per Marant. loco de
quo supra part. 2. num. 1. cum multis seq.
nos omnibus ommissis, ita iudicium defi-
niamus, quod sit legitima rei controuersæ
inter litigantes apud iudicem tractatio, ar-
gum. d. c. forus extr. de uerb. signific. ut per
Cuiac. in paratit. tum ff. tum C. huius titu-
li nostri, & per Vltramont. pariter in para-
tit. huius tit. nostri num. 5. Vel dicamus cũ
Duaren. hic c. 1. Iudicium esse litigatorum
apud Iudicem, uel coram iudice discepta-
5 tionem † Partes iudicij duæ sunt; Personæ
nimirum, & quæstio quæ tractatur; ut per
Vult. in sua Iurisprud. Rom. lib. 2. c. 1. si enĩ
6 † personę non sint, iudicium esse nõ potest;
ommisso autem tractatu quæstionis, quæ
multiplex esse potest, sicut uarij casus con-
tingere possunt; de ꝑsonis loquamur, sunt-
que istę iudex, & litigantes d. c. forus extr.
7 de uerb. signific. qui † Iudex modo ordina
rius, modo extraordinarius est; ut in l. qui
nequè infr. hoc tit. nostro l. 2. C. de dilat. l.
in contractibus §. in omni C. de non num.
8 pecun. l. quoniam C. de appellat. † Iudex
ordinatius est ille, qui iure magistratus,
quem gerit, iudicat secundum modum suę
iurisdictionis l. 2. supra. si quis in ius vocat.
non ier. l. in causæ in fin. supra de minor. l.
cui eorum supra de postul. l. unic. supra si
quis ius dicent. non obtemp. l. si quis apud
§. procuratorem infr. iudic. solu. & §. sed
hoc iur. Insti. de Atil. tutor. de quo iudice
9 ordinario dicitur, quod † ut suspectus re-
moueri nõ debeat, licet ut suspectus argua-
tur, sed quod illi alius adiungendus sit, qđ
uerum est de iure ciuili l. apertissimi, & Au
thent. si uero contigerit C. hoc tit. nostro
trad. Cacchet. in Pedemont. decis. 15. nu-
mero 1. cum seq. secus uerò de iure Cano-
nico, ordinarius enim Iudex, ut suspectus
recusari potest c. si quis contra clericum, &
ibi DD. extr. de for. compet. c. suspicionis
10 extr. de off. deleg. † extraordinarius iudex
est ille, qui non habet potestatem iudican
di iure officij sui, sed illa sibi dať uel a Prin
cipe, aut iudice habente facultatem, uel à
priuatis personis. Si a Iudice sibi data sit
11 facultas olim † Pedaneus iudex dicebatur,
ut in tit. C. de Pedan. iudic. hodie uero cũ
etiam a Principe detur, iudex delegatus ap
pellatur l. à iudice C. hoc tit. nostro, & ex-
traordinarium esse constat ex l. 2. C. de di-
lat. ubi Gothofr. in notis id animaduertit,
si uero à priuatis personis illi tribuatur fa-
cultas iudicandi, contemplatione scilicet
controuersiæ in iudicium deductæ, quia il-
lius arbitrio controuersia committitur, iu-
12 dex extraordinarius dicitur, † & arbiter, ut
in tit. supr. & C. de recept. arbitr. & cum iu
dex iste adeatur ex promissione partium
mutua, quod ex compromisso in legib. fie-
ri dicitur l. penul. infr. hoc tit. nostro l. arbi
13 trorum C. de recept. arbitr. † omnis enim
arbitrorũ potestas dicitur pendere à com-
promisso, ut per Cacher. in Pedem. decis.
12 39. num. 5. ideo † iudex compromissarius
dicitur l. cum lege supr. de recept. arbitr. l.
fin. C. ubi & apud quem.

Litigantes ut ad alias personas iudicij
15 deueniamus sunt Actor, & Reus, † Actor
est ille, qui reum ad iudicium prouocat; l.
in tribus, & l. qui appellat infr. hoc tit. no-
stro. Reus uero est, qui ab Actore prouoca-
tur, ut cum eo agatur; l. iudiciũ in fin. infr.
fin. regun. §. fin. Instit. de perpet. & temp.
act. §. 1. Instit. de act. in quibus personis li-
tigantium aliquæ regulæ constituuntur.
16 Prima est, † quod Actor non cogitur um-
quã inuitus agere; ut in tot. tit. C. ut nem.
17 inuit. ager. uel accus. cogat. † Reus uerò in
uitus ad iudicium trahiť; l. inter stipulantẽ
§. 1. infr. de uerbor. oblig. Secunda regula
18 est † quod Actor tenetur sequi forum rei,
l. hæres absens infr. hoc tit. nostro l. fin. C.
ubi in rem act. c. si diligenti, & c. si contra
clericum extr. de for. compet. Altera regu-
19 la est † quod Reus potest ex diuersis cau-
sis sortiri forum in diuersis locis, ut ubi cõ-
traxit d. l. hæres absens §. fin. infr. eod. l. cõ
traxisse infr. de act. & oblig. uel ubi deliqt
l. 1. & Auth. Qua in prouincia C. ubi de-
crim.

crim.ag.oport.l.Præses Prouinciæ supr.de off.Præsid.vel ubi domicilium hêt d. l. hæres absens §.fin.infr.hoc tit.nostro l.origine C.de incol.lib. 10. uel ubi res petita sit l.fin.C.ubi in rem act. c. sanè extr. de for. compet.concurrentibus autem his omnib.
20 † in arbitrio actoris est, ut ipse eligat, ubi reum conuenire uelit,ut notatur in d.l.fin. C.ubi in rem act.trad.Abb.in c. dilecti, & in c.fin.in glos.3.extr.de for.compet. Altera regula demum est † quod omnes possunt Romæ conueniri, si ibi reperiantur,
21
22 quia † Roma est communis patria; l. Roma inf. ad Municip. & de incol. exeipiuntur tamen quædam personæ; quibus concessum est ius reuocādi domum, ut ijs qui legationis causa Romæ sunt l. 2. §. legatis infr.hoc tit.nostro.

23 Rursus † partes iudicij tres sunt; Prima pars appellatur principium iudicij, & durat à citatione,usquè ad litis contestationē omniaquè acta,quæ fiunt in hac prima parte,dicuntur fieri in principio iudicij; ut per Bart. in l. 2.infr. de furt. Secunda pars durat à litis contestatione vsquè ad conclusionem in causa,& continet iudicij instructoria;Tertia & ultima pars durat à conclusione in causa usquè ad sententiam diffinitiuam inclusiuè, & dicitur continere decisoria iudicij.

Iudiciorom autem uariæ distinctiones per DD.nostros afferuntur, nos ommissis
24 omnibus dicamus. † Aliud iudicium ciuile,aliud criminale esse,ciuile iudicium est, cum quis ita agit,ut petat id de quo quæritur sibi adiudicari; quando enim proprij commodi causa, & priuati iudicium instituitur,tunc ciuile iudicium est, etiam si de causa criminali agatur; ut per Duaren. hic c.1.expediturquè istud ciuile iudicium iure ciuili,legibus & officio iudicis mercenario l.iudex posteaquam infr.de re iud. Criminale iudicium dicitur quod ad uindictam publicam instituitur, ut extra ordinē animaduertatur, ut per Duaren. loco de quo supra,istudquè pœnis, & imperio expeditur, ut per Vltram. in paratit. ad tit. nostrum num.8.

Ad l. 1. Vlp. lib. 2. ad Edict.

Si se subijciant aliqui Iurisdictioni, & consentiant: inter consentientes cuiusuis iudicis, qui tribunali præest, vel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio iudicis potest prorogari, etiamsi non habeat tribunal.*
2 *Quilibet in re sua est moderator, & arbiter*
3 *Iurisdictio si sit prorogata, non est licitū eam declinare.*
4 *Nemini licet venire contra pacta à se facta.*
5 *Priuatorum consensus non tribuit iurisdictionem.*
6 *Tria requiruntur, ad hoc vt iurisdictio in non subditos exerceatur.*
7 *Partes non possunt dare iudici iurisdictionē, quam non habet.*
8 *Ius publicum in Magistratibus consistit.*
9 *Ius publicum pacto priuatorum elidi non debet.*
10 *Tristes euentus non debent haberi in consi- ratione.*
11 *Leges non adaptantur ad raro cōtingentia.*
12 *Nudæ conuentioni quis stare non cogitur.*
13 *Consensus requiritur, ad hoc vt quis alienæ iurisdictioni subyciatur.*
14 *Tribunal quid sit, & quis dicatur præesse Tribunali.*

NVnc ad legem primam accedamus; cum qua concordat tex.in l. 1. C. de iurisd.omn. iud. & in l.cum uendente. C. ubi cauſ.fiscal.

1 Iurisdictio † iudicis,quāuis non habeat tribunal prorogari potest, agitur enim de priuato interesse ipsarū partium, unde cū
2 † quilibet in re sua sit moderator,& arbiter l.in re mandata C. mandati; ideo talis prorogatio ualebit,† factaquè prorogatione,
3 non erit licitum iurisdictionem declinare,
4 cum † nemini liceat aduersus pacta sua venire,& contrahentes decipere;l.penult. C. de

de pact. Et hęc conclusio vera sit in eo, qui
saltem iurisdictionem, licet tribunal non
habeat, secus vero in omnino priuato, qui
nec tribunal, nec iurisdictionem habeat
5 cum † priuatorum consensus non faciat
iudicem eum, qui non est l. qui neque
infr. hoc titulo nostro, & l. priuatorum C.
de iurisd. omn. iud. habemus itaque in hac
lege, quod in volentes cadit iurisdictio, e-
tiam si prius illius iurisdictioni non essent
6 subiecti, † tria tamen concurrere debent, de
quib. in tex. nost. vt per Donell. lib. 17. cō-
ment. iur. ciuil. c. 10. primò scilicet quod se
subijciant iurisdictioni, vt ex primis verbis
tex. nostri. secundo quod consentiant in
hanc iurisdictionem, vt ex illo verbo (&
consentiant) tertio vt ille in quem consen-
tiunt sit iudex, & aliquam per se habeat iu
risdictionem, vt ex illis verbis (qui tribuna
li præest, vel aliam iurisdictionem habet)
litigatores enim iurisdictionem quam iu-
dex ex se habet in se admittere possunt, illi
7 † autem non valēt nouam iurisdictionem
dare, quam per se non habet.

Opponitur contra hanc legem per tex.
in superius citata l. priuatorū C. de iurisd.
omn. iud. vbi priuatorum cōsensus non tri
buit iurisdictionem; Pro solutione retor-
queri potest iste tex. à contrario sensu, cum
ibi dicatur, priuatorum consensu iudicem
nō fieri eum, qui nulli præest iudicio, ergo
si alicui præest iudicio, fieri poterit iudex,
prout in l. nostra in qua supponitur iurisdi
ctionem esse prorogatam illius, qui saltem
iurisdictionem, quamuis tribunal non ha-
beat; Opponitur adhuc, quia si admitta-
mus iurisdictionem posse per partes proro
gari, vtique de facili sequetur, ꝙ subditi po
terint declinare iurisdictionē proprij iudi-
cis consentiendo in alium iudicem, & ita
8 ius publicum † in Magistratibus cōsistens
9 iux. l. 1. §. hus studij sup. de iust. & iur. † pa
cto priuatorum eliditur contra l. ius publi
cum sup. de pact. Pro solut. dicemus, nō es-
se supponēdum, quod subditi velint iuris-
dictionem proprij iudicis declinare, cum
10 † mali euentus non debeant hēri in cōside-
ratione l. inter stipulantem §. sacrā infr. de
11 ver. obl. † nec leges ad hæc de raro occuriē-
tia adaptari dēant l. nā ad ea sup. de legib.

Si se subijciant] subijcere pōt quis se
iurisdictioni alterius, aut cōuentione aper
ta aut re ipsa, & facto absque aliqua con-
uentione, & quod dicitur de conuentione
intelligatur de iusta cōuentione, & appro-
bata, quæ actionem pariat argum. text. in
princip. Inst. de verb. oblig. & in §. de con-
stituta Instit. de act. non de nuda conuen-
12 tione cui † quis stare non cogitur, vt in l. si
conuenerit sup. de iurisd. omn. iud.

Et consentiant] cum ratione ponitur
13 ista qualitas de consensu, quia † quis alte-
rius iurisdictioni à qua exemptus sit subij-
ci non potest, nisi consentiat l. 1. C. de iu-
risd. omn. iud.

Qui tribunali præest] idest pro tribu
nali cognoscit, & iurisdictioni, vel iuri di-
cendo præest, vt etiam in l. 2. infr. de re iu-
dic. ponitur namq; sedes iurisdictionis pro
14 ipsa iurisdictione † Tribunal enim (vt Isi-
dor. definiuit) est locus sublimis & editus,
in quo considentes Magistratus ius di-
cunt l. penul. supr. de iustit. & iur. is autem
dicitur præesse, qui primum in ea iurisdi-
ctione locum obtinet, idest, qui eam habet
iure suo, non alieno beneficio l. more sup.
de iurisd. omn. iud.

Vel aliam iurisdictionem habet.]
idest alieno beneficio sibi competentem,
vt verba hæc opponantur illis alijs verbis,
(qui tribunali præest) quæ vt dixi deno
tant eum, qui iurisdictionem à se ipso iure
s. officij sui habet d. l. more supr. de iurisd.
omn. iud. l. 1. §. 1. & l. pen. supr. de off. eius.

Ad l. 11. Vlpian. lib. 3. ad Edict.

Consensisse autem videntur, qui sciant
se nō esse subiectos iurisdictioni eius,
& in eum consentiant. Cœterum, si
putent eius iurisdictionem esse, non
erit eius iurisdictio. error enim liti-
gatorum (vt Iulianus quoque libro
primo Digestorum scribit) nō habet
consensum, aut si putauerunt alium

esse

esse Prætorem pro alio, æquè error non dedit iurisdictionem, aut si, cum restitisset quiuis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulsus est; nulla iurisdictio est.

SVMMARIVM.

1 *Consensus per errorem non operatur prorogationem iurisdictionis.*
2 *Error non habet consensum.*
3 *Error est cum quis vnum pro alio putat.*
4 *Errantes in iure habentur pro consentientibus, & pro confessis.*
5 *Magistratus compellentis litigatorem nulla est iurisdictio.*
6 *Coactus non dicitur consentire.*
7 *Vis est contraria consensui.*
8 *Error facit ius.*
9 *Veritas quando præualeat opinioni, & errori.*
10 *Voluntas coacta etiam voluntas est.*
11 *Non debet ille iniuriam facere, qui eam vendicare tenetur.*

LEx hæc emanauit ad declarationem præcedentis, de qua supra, cũ enim dictum fuerit, quod si aliqui se subijciant iurisdictioni, & consentiant, quod in eis cadit iurisdictio, modo subijcitur lex hæc nostra, quæ declarat quomodo, & quando quis in alterius iurisdictionem consentire dicatur, & cum ea concordat tex. in l. si per errorem supra de iurisd. omn. iud.

1 Consensus partium † per errorem non operatur prorogationem iurisdictionis, & ratio hic ab Vlpian. I. C. est assignata ex
2 mente Iulian. lib. 1. Digestorum. quia † error litigatorum non habet cõsensum, quod etiam probat tex. in l. si conuenerit. & in d. l. si per errorem supr. de iurisd. omn. iud. er-
3 ror autem dicitur esse, † dum quis vnum iudicem pro alio eligit, cũ scilicet putat eius iurisdictionem esse, cuius non erat, exempli gratia, si de fideicommisso quis conuẽtus sit apud Prætorem non fideicommissarium, & ideo se subiecerit huic Prætori, q̃a fideicommissariũ putabat, vel si quis Procuratoris Cæsaris audientiam in causa priuata sit secutus, dum adhuc ordinarium iudicem putaret, & iste est error, qui non dat iurisdictionem, & error facti dicitur, secus
4 vero in errore iuris, nam † qui in iure errant pro consentientib. habentur, vt per Cuiac. in hac l. nostra in princ. sicuti etiam pro cõfessis habentur ij, qui in iure errãt l. 2. infr. de confess.

5 Nulla est iurisdictio † Magistratus compellentis litigatorem, vt coram eo semetipsum defendat, & litem contestetur, q. alias ad suum forum accessisset, & ratio est, q̃a
6 litigans iste coactus non consentit in iudi-
7 cem, cum nihil tam consensui † cõtrarium sit, quã vis, quæ necessitatem affert voluntati contrariam l. nihil consensui infr. de reg. iur. l. 1. sup. quod met. caus.

8 Opponi potest, cum imo videatur † q̃d error faciat ius, vt in l. 3. infr. de suppellect. leg. ibi, & error ius facit, & in l. Barbarius supr. de off. Præt. vbi pariter error facit ius, seruus enim fugitiuus per errorem, quasi liber Romæ Præturam obtinuit, eius tamen gesta, tamquã si verè liber fuisset rata fuerunt. Pro solutione ad hæc iura dicamus, diuersitatem extare inter casus dictarum legum, & legem nostram; nam in dictis legibus error erat communis omnium, quo casu error facit ius, & opinio præfertur veritati, secus vero in casu legis nostræ, in
9 quo error est particularis, † & ideo veritas debet præualere opinioni, ita hoc Brocardicum dictum conciliabat Syluest. Aldobrand. in not. ad gloss. in §. sed cum aliquis in verb. libertate, Instit. de testam. Opponitur etiam contra aliam conclusionem,
10 quia † voluntas coacta etiam voluntas est l. si mulier §. penult. supr. quod met. caus. vbi ille qui coactus adiuit hæreditatem efficitur hæres, quia voluit licet coactus, restituitur tamen, ita etiam hic videbatur dicendum hanc prorogationem iurisdictionis valere, licet per compulsionem iudicis facta sit, rescindendam tamen esse. Pro solut. glos. in d. l. si mulier §. penult. ait, in casu nostro istud speciale esse, propter odium Magistratus, qui compellendo iniuriam
11 facit, † quam tamen ipse vindicare debe-

ret;

ret; atgumento l. meminerint C. und. ui.

Consensisse] consensus enim liber, & uoluntarius, non erroneus esse debet.

Alium esse Prætorem pro alio] vt puta, quia fideicommissarium putarent cum tutelaris esset.

Viribus Præturæ] hoc est potestate ipsius, nunc vulgo dicitur quis compelli officio iudicis, ut per Cruceũ hic in suis annot.

Ad §. Conuenire.

Conuenire autem vtrum inter priuatos sufficit, an verò etiam ipsius Prætoris consensus necessarius est? lex Iulia Iudiciorum ait (quominus inter priuatos conueniat) sufficit ergò priuatorum consensus. Proinde si priuati cõsentiant, Prætor autem ignoret cõsentire, & putat suam iurisdictionem; an legi satisfactum sit, videndum est, & puto posse defendi, eius esse iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1 *Leges iudiciariæ olim multæ fuere.*
2 *Caius Iulius Cæsar multas leges circa varia tulit.*
3 *Lex Iulia Iudiciorum formam præscripsit, tum publicorum, tum priuatorum Iudiciorum.*
4 *Nomen alicnius deferentes debent designare locum, annum, & mensem commissi delicti.*
5 *De duobus reis quæri in iudicio non est licitum, nisi suarum iniuriarum causa.*
6 *Inuiti qui non cogantur testimonium dicere.*
7 *Iudici facultas est ius dicere inter priuatos, qui in se consentiant.*
8 *Iudex nõ potest recipere arbitrium eius rei, de qua iudex sit.*
9 *Minor viginti annis non cogitur iudicare.*
10 *In saturnalibus feriæ per triduum seruari debent.*
11 *Patronorum numerus certus ex l. Iulia statutus erat.*
12 *Accusator vel reus domum Iudicis ingredientes incidunt in l. Iul. ambitus.*
13 *Consensus solus litigantium sufficit ad prorogationem iurisdictionis.*
14 *Consentientes partes quando dicantur.*
15 *Iurisdictio Iudicis in consentientes quanta sit.*
16 *Iurisdictio delegata tamdiù durat quãdiù durat mandatum.*
17 *Consentientes in iudicem nouam illi iurisdictionem dare non possunt.*
18 *Consensus iudicis, quod non requiratur in prorogatione, quomodo intelligi debeat.*
19 *Iudex quando ignorat substantialia iurisdictionis, id quod gerit, non habet effectũ.*
20 *Iudex, qui vere est iudex ex vno capite licet se putet ex alio, si iudicat ex putatiua iurisdictione valet processus.*

IVdicis iurisdictionem per partes prorogari si illi se subijciant, & consentiant dictum fuit, qui consensus uerus non erroneus, & liber non coactus esse debet, nunc modo subdit Vlp. I. C. cuiusnam iste consensus esse debeat, an partium tantum, an uero etiam iudicis.

Textus huius §. bene notandus est, quia est unicus in iure, nec alibi secundum Bal. in c. cum olim abbas extr. de off. deleg. reperitur cautum, quod prorogatio iurisdictionis fieri possit in iudicem etiam ignorantem, qui credebat suam iurisdictionem esse, licet uere non esset, nisi fuisset per partes prorogata.

Vt huius tex. intellectum plenum habeamus, cum in eo mentio habeatur l. Iuliæ iudiciorum, ideò de ea historiam referamus,
1 † leges enim iudiciariæ olim multæ fuerunt, inter cæteras aderat hæc lex Iulia iudiciorum, de qua per Gel. lib. 14. Noct. Attic. c. 2. quæ lex Iulia à Caio Iulio Cæsare lata fuit,
2 † sicut & multas alias leges circa uaria protulit, de quibus per Vltram. in cõmpen. leg. Roman. antiquarum in uerbo, Iulia, post comment. de uerb. iur. Hæc autem lex
3 † formam iudiciorum tum publicorum, tum priuatorũ præscripsit, multaque

4 taquè sub se complectebatur, ut † scilicet
qui nomen alicuius deferrent, designent
locum, annum, & mensem, quo crimen ad-
5 missum fuit l. 3. infr. de accusat. † Ne quis
eodem tempore de duobus reis in iudicio
quæreretur, nisi suarum iniuriarum causa
l. hoc accusare §. lege Iulia infr. eod. tit. de
6 accusat. † Ne inuito denuncietur, ut testi-
monium litis dicat aduersus socerum, ge-
nerum, uitricum, priuignum sobrinum, &
alios coniunctos, & ut ne patroni aduersus
libertos, neque liberti aduersus patronum
testimonium dicere cogantur l. 4. infr. de
7 testib. † Vt inter priuatos qui in iudicem
consensissent iurisdicēdi ei iudici potestas
8 esset, ut supra in l. 1. & hic in §. nostro. † Ne
qui iudex sit arbitrium recipere eius rei, de
qua iudex est, in se ue compromitti iubeat
l. sed si in seruum §. si quis iudex supra de
9 recept. arbitr. † Ne minor 20. annis iudica-
re cogatur l. cum lege supra eod. tit. de re-
10 cept. arbitr. † Vt Saturnalibus triduo feriæ
seruarentur, ut per Macrob. lib. 1. c. 10. ea-
11 dem etiam latum fertur † ut certus patro-
norum numerus esset. A lege Iulia pariter
12 erat, † ut in legem Ambitus incidat reus,
uel accusator, qui domū iudicis ingredia-
tur, unde cōstitutio est; ne quis in domum
iudicis ordinarij, post meridiano tempore
ex occasione secreti familiariter ingredi af-
fectet, prout etiā est dispositum in C. Theo
dosiano l. 1. de off. ciuil. iud. ut per Cuiac.
hic §. nostro, hęc ergò est illa l. Iulia de qua
in tex. nostro meminit Vlp.

13 Solus † consensus litigantium sufficit ad
14 prorogationem iurisdictionis, † cōsentien
tes autem litigatores intelligere debemus
eos, qui prius eius iudicis iurisdictioni su-
biecti non erant, uel quia non essent ex eo
territorio, uel quia nō essent inter eas per-
sonas, quibus iudex præfectus est, uel cau-
sa ad iudicem non pertineret, quod si iure
iudicis iurisdictioni subessent, tunc necessi-
tate iuris subiecti dicentur, non autem suo
15 consensu, † tantaque est iudicis iurisdictio
in hos consentientes, quanta esset si de iu-
re iurisdictioni illius iudicis obnoxij essēt,
unde si iudex propriā habeat iurisdictio-
nem, hæc perpetua erit in consentientes, si
16 uero mandatam habeat, hæc † iurisdictio
in consentientes tamdiù durabit, quādiu
mādatum perseuerabit, finito autem man-
dato, sicut mandata iurisdictio expirabit,
ita & in consentientes erit extincta, ut per
Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 10. in
fine; In hos consentientes pariter iudex nō
habet maiorem iurisdictionem, quam per
se habeat, quā uis causa delata aliquid ma
ius desideret; quia ut superius dictum fuit
17 † consentientes in iudicem possunt in se
admittere iurisdictionem, quam iudex ha-
bet, iudici tamen nouam; quam ipsi nō ha-
bent dari non possunt l. priuatorum C. de
iurisd. omn. iud. Id autem quod dicitur cō
sensum iudicis non requiri in prorogatio-
18 ne iurisdictionis. † ita intelligi debet, dum-
modo iudex non ignoret se iudicem esse,
hoc est causam coram se agitari, & se ha-
bere iurisdictionem, uel iure proprio, uel
alieno competentem; hæc enim ignoratio
uersaretur in substātialibus iurisdictionis;
ut per Petr. Costal. in suis aduersar. ex pan
19 dect. ad hanc l. nostram, quo casus † quod
gerit iudex non habet effectū l. quæro infr.
de eo qui pro tut. neg. gess. tradit Bart. in l.
multum infr. de condit. & demonstr. quan
do ergò prorogatio iurisdictionis fit de per-
sona ad personam, tunc solus cōsensus par
tium litigantium sufficit, quo præstito, si
iudex illum ignorans, putet consentientes
esse de sua iurisdictione, & ius dicat, eius iu
risdictio erit firma, & ratum erit ab eo ge-
stum, qā putat se procedere ex iurisdictio-
ne ordinaria, & orginali, non ex prorogata
20 per litigantes. & hic est casus † quod si iu-
dex credat se iudicem, & uerè sit, non ta-
men ex illo capite, ex quo putat se esse, sed
ex alio, & procedat ex iurisdictione puta-
tiua, ualet nihilominus processus ex uera
iurisdictione, argumento text. in l. seruum
Titij infr. mand. ut per Castr. hic post In-
nocent. in c. cum ex officij ext. de præscrip.

Opponitur de tex. in d. l. quæro infr. de
eo qui pro tut. neg. gess. ubi quis erat datus
tutor in testamento, hoc tamen ignorans
administrauit negotia pupilli, quęritur, an
tutelæ actione teneatur, & deciditur quod
non, quia scire debet se tutorem esse, ut eo

affectu

affectu negotia gerat, quo tutor gerere debet, ergò ita etiam uidetur dicẽdum, quòd iste iudex debeat scire sibi prorogatam esse iurisdictionem, adhoc ut eius iurisdictio teneat. Pro solutione dicamus una cũ Bartol. quod si iudex penitus ignoraret se esse iudicem, uel habere iurisdictionem, tũc iurisdictio nulla esset, ut in casu d. l. quæro, in quo ille penitus ignorabat se esse tutorem, sed in casu nostro scit se iudicem esse, cum partes corã illo litigent, sed errat in modo, cũ putet eos esse de sua iurisdictione, & iõ eius iurisdictio tenet, uel ex mẽte Castr. hic dicamus, q aliud est firmiter tenere se non esse iudicẽ, qa tũc nullus actus gestus ratus esse potest, & ita pcedat tex. in d. l. quæro, aliud est firmiter tenere se esse iudicem, qa tũc actus ualet ex illa causa, ex qua ualere potest, ut hic in casu §. nostri.

Prætoris consensus] idest scientia, qđ scilicet sit iudex incompetens, & quod partes scienter corãm eo litigent animo prorogandi iurisdictionem; & ideò subsequitur uersiculus (Proinde) qui uenit exemplificatiuè ad id de quo quæritur hic.

Quominus inter priuatos cõueniat] uerba præcisa sunt l. Iuliæ quibus aliæ fortasse præcedebant, ut per glos. hic.

Putat suam iurisdictionem] procedere scilicet ex iurisdictione ordinaria, & originali non autem prorogata.

Ad §. si & iudex.

Si & iudex ad tẽpus datus, & omnes litigatores consentiant; nisi specialiter principali iussione prorogatio fuerit inhibita, possunt tempora, intra quæ iussus est litem dirimere, prorogari.

SVMMARIVM.

1 *Prorogatio iurisdictionis multis modis fieri potest, & quibus.*

2 *Prorogatio iurisdictionis de persona ad personam quomodo fiat.*

3 *Prorogatio iurisdictionis quando fiat de tempore ad tempus.*

4 *Prorogatio iurisdictionis de re ad rem quomodo, & quando fiat.*

5 *Prorogatio iurisdictionis quando, & quomodo fieri dicatur de loco ad locum.*

6 *Quilibet in re sua est moderator, & arbiter.*

7 *Si iudex ignorat se iudicem, acta coram eo facta nulla sunt.*

8 *Iudex cui mandata est iurisdictio, elapso tẽpore contento in rescripto, non est amplius iudex.*

9 *Iudex debet scire sibi prorogatam esse iurisdictionem, ut possit ultra tempus cognoscere, alias acta essent nulla.*

10 *Iudex nescit ea, quæ sunt in cordib. partiũ. Solus Deus scrutator cordium.*

11 *Iurisdictio iudicis ordinarij per partes ultra tempus non potest prorogari; secus in iurisdictione delegata.*

12 *Tempus instantiæ ordinariæ prafixum in l. properandum C. de iud. non potest consensu partium prorogari.*

13 *Princeps est lex animata in terris.*

14 *Statuto fieri potest quod subditi non prorogent iurisdictionem alterius iudicis.*

1 CVm † prorogatio iurisdictionis tribus modis fieri possit, ut not. gl. in §. uro: nempe de persona ad personam, de tẽpore ad tempus, & de re ad rem, iamquè actum sit de prorogatione, quæ fit de persona ad personam, nunc dè secunda quæ fit de tempore ad tempus proponit Vlp. I. C. concordat cum hoc §. tex. in c. de causis ext. de off. deleg.

Vt autem harum prorogationum materia nobis innotescat, exemplo singulam speciẽ 2 prorogationis declaro; † Prima enim de persona ad personam, tunc fieri dicitur, quũ iudex habeat limitatam iurisdictionem in una Ciuitate, uel territorio, si aliqui enim de aliena iurisdictione uolunt consentire, quod eorum causa terminetur per illum iudicem, cui non sunt subiecti, utique quidẽ id facere possunt, & sic illa iurisdictio, quæ erat limitata inter personas illius territorij tantum modo, per consensum partium extenditur etiam ad alias personas sibi non subditas, & hæc dr̃ prorogatio, quæ fit de

persona ad personam; de qua in l. 1. & in l. 2. in princip. supr. hoc tit. nostro; exem-
3 plum † de secunda prorogarione, quæ scilicet fit de tempore ad tẽpus fit, quia iudex habeat limitatam iurisdictionem finiendã certo tempore, ut puta per annum, poterũt enim partes facere, quod ultra illud tẽpus iudex cognoscat, & iudicet, & sic extenditur iurisdictio de uno tempore ad aliud; & de hoc tractatur hic in §. nostro; In tertia specie prorogationis, quæ fit de re ad rem
4 exemplum affertur † in illo iudice, qui habeat limitatam iurisdictionem, ut non possit cognoscere nisi de causis à centum aureis infra, iux. tex. in l. si idem cum eodem, & in l. cum quædam §. quoties supr. de iurisd. omn. iud. & in §. & iudicare in Auth. de defens. ciuit. possunt enim partes habentes causam maioris summæ, facere, quod ille iudex cognoscat de tali causa, & ita extenditur iurisdictio de summa minori ad maiorem, & sic de re ad rem, & de hac agitur in l. de qua re §. 1. infr. hoc tit. nostro. Vltra has tres species prorogationis DD. nostri quartam addunt; quæ scilicet fit de loco ad locum, ut per Bart. hic, per Bald. in l. 1. vers. quæro C. de iurisd. omn. iud. & in l. si quis ex consensu C. de Episc. audient. & per Marant. in suo Specul. aur. part. 4. di
5 stinct. 12. num. 3. cuius † exemplum dupliciter assignatur, primo quia iudex ex forma statuti, uel consuetudinis debeat iusdicere in tali loco, ut puta in Palatio, possunt enim facere partes, quod in alio loco ius dicat, puta in platea, & talis ꝓrogatio absquè dubio ualida est, cum simus in loco eiusdẽ iurisdictionis, secũdo exemplum afferri potest extra locum iurisdictionis, prout si partes conueniant, quod iudex Bonuniẽsis ius dicat in territorio Florentino, quo casu nõ ualere hanc prorogationem dicebat Bald.. in l. si quis ex consensu num. 13. C. de Episcop. audient, in contrarium tamen est cõmunis opinio, ut per Marãt. d. distinct. 12. num. 3. in fin. dum modo tamen consensus accedat illius iudicis, in cuius territorio ius dicere debet, ut per gloss. ordinariam in in c. ut litigantes de offic. ordin. lib. 6. Alij alias species prorogationis addunt, prout de casu ad casum, & de causa ad causam, uerè tamen istæ enumeratæ tantum sunt propriè prorogationes, ideo alias ommitto.

His ita stantibus modo ex text. nostro conclusio est, quod finito tempore iurisdictionis ipsius iudicis, prorogatio iurisdictionis ad aliud tempus per partes fieri potest, & hoc ratione de qua supra in l. 1. dictum fuit, dũ de prima prorogatione, quæ fit de persona ad personam agebatur, quia scilicet cum agatur de priuato partium interesse, & quilibet rei suæ arbitriũ habeat l. in re mandata C. mand. non erit mirum, si partes ipsæ hanc iurisdictionem de tempore ad tempus prorogare possint; Hæc tamen conclusio ita intelligi debet, dummodo accedat etiam consensus ipsius iudicis, si enim ignoraret hanc prorogationẽ, igno
7 raret quoquè, & se iudicẽ esse, † & sic acta corruerent, argumento alias superius citatæ l. quæro infr. de eo qui se pro tut. gess.
8 † iudex enim scit, uel scire debet, quod elapso tempore in rescripto conteato, ipse non est iudex, & ideo ut ualeant acta coram eo, requiritur quod sciat partes prorogasse iurisdictionem suam, ut possit ultra tẽpus co-
9 gnoscere, † si enim hoc ignorat, licet partes prorogauerint, cum credat se non esse iudicẽ, non possunt acta ualere, posito etiã quod esset ex solo consensu partium, Ang. in d. l. quæro infr. de eo qui se pro tut. gess.
10 † Iudex namquè non potest scire ea, quæ sunt in cordib partium cum solus Deus sit scrutator cordium, ut per glos. in l. uoluit infr. de interrogat. act.

Declaratur ulterius cõclusio tex. nostri, ut procedat in iurisdictione iudicis delegati, quæ quidem ultra tempus per partes ꝓrogari potest, secus uero in iurisdictione iu
11 dicis ordinarij, † cum illa meta temporis iudici ordinario præfixa per partes prorogari non possit l. properandum C. hoc tit. nostro, tradit Bald. in cit. l. si qui ex consensu
12 num. 7. C. de Episcop. aud. † tempus enim illud, de quo in d. l. properandum, præfixũ est instantiæ ob publicam utilitatem, ideo consensu partium non potest prorogari l. ius publicum, & l. iurisgẽtium §. si paciscar supr.

supr. de pact. at tempus præfixum iurisdictioni iudicis delegati non potest dici præfixum ob publicam, sed ob priuatam vtilitatem, ideo nil mirum si prorogari per partes possit.

Limitatur tamen hæc conclusio, ut non procedat tunc, quando inhibitio Principis extaret, ne prorogatio iurisdictionis fieri posset, Princeps enim id facere potest, cum
13 † sit lex animata in terris §. fin. in Auth. de
14 consul. vnde colligunt scribentes † quod per statutum fieri potest, ne subditi prorogent iurisdictionem alterius iudicis, ut per Ang. hic.

Si & iudex] nota consensum, & scientiam iudicis requiri in hac prorogatione temporis.

Principali iussione] quando scilicet Princeps fuit ille qui delegauit.

Ad §. legatis.

Legatis in eo, quod ante legationem cōtraxerunt, item his, qui testimonij causa euocati sunt, vel si quid iudicandi causa accersiti sunt, vel in prouinciam destinati, reuocādi domum suam ius datur. eo quoquè, qui ipse pruocauit, non imponitur necessitas intra tempora pruocationis exercendæ, Romæ, vel alio loco, vbi prouocatio exercetur, alijs pulsantibus respondere; nam Celsus huic etiam domus reuocationem dandam ait: quoniam ob aliam causam venerit, hæc Celsi sententia, & rationabilis est. Nam & Diuus Pius Plotio Celsiano rescripsit, eum qui tutelæ reddendæ causa Romam erat à se euocatus, alterius tutelæ, cuius causa non erat euocatus, non debere compelli iudicium suscipere. Idem Claudio Flauiano rescripsit, minorē viginti quinque annis, qui desiderat in integrū restitui aduersus Asinianum, qui alterius negotij causa venerat, non esse Romæ audiendum.

SVMMARIVM.

1 *Reus forum sortitur ratione domicilij.*
2 *Duplex domicilium dicitur quis habere.*
3 *Roma communis patria dicitur, & commune domicilium. & nu. 7. 16. & 20.*
4 *In loco domicilij potest quis conueniri, siue præsens, siue absens sit.*
5 *Reus extra domicilium non potest conueniri, etiam vbi alia ratione forum sortiatur, nisi præsens sit.*
6 *Quis non debet extra proprium domicilium trahi.*
7 *Absētes ex causa legationis, vel alia necessaria non possunt Romæ conueniri.*
8 *Legati, & absentes ex causa necessaria habent priuilegium reuocandi domū, & numero 16.*
9 *Legati à negotijs legationis auocari non debent.*
10 *Absentes à patria ex causa necessaria à suis negotijs auocari non debent.*
11 *Legati Romæ degentes non possunt ibi pro represalijs detineri.*
12 *Legati sancti dicuntur.*
13 *Legatis iniuriam inferens incidit in sacrilegium.*
14 *Legatos offendens incidit in crimen læsæ maiestatis.*
15 *Roma dicitur esse, vbi est Papa cum curia.*
16 *Romæ quilibet conueniri potest.*
17 *Priuilegium reuocandi domum habens, illud debet allegare, & quando.*
18 *Romæ degens ex causa probabili tantum, habet priuilegium reuocandi domum.*
19 *Minor alias valde priuilegiatus non potest Romæ cōuenire ibi degentes ex causa necessaria, vel quasi.*
20 *Forenses, & aduenæ non sunt conueniendi extra proprium domicilium.*
21 *Legatorum tria genera.*
22 *Legati vnde dicti sint.*
23 *Reuocare domum, & reuocare forum quomodo differant.*

24 *Domus pro domicilio ponitur.*
25 *Reuocare quid sit.*
26 *Tutelam reddere quid importet.*

TRactauit hucusquè Vlp. noster de iurisdictione prorogãda, nunc modò de iurisdictione restringenda intendit agere, proponitquè de ijs, qui in aliquo loco conuenti possunt domum suam reuocare; concord. tex. in l. non alias infr. hoc tit. nostro, in l. cum qui §. 1. infr. de constit. pecun. in §. si vero episcopi in Auth. de sanctiss. Episcop.

Pro intellectu huius tex. menti repetendũ est, quod supra dictum fuit, dum de actore, & reo tractabamus in Rub. huius tit. nostri; Reum scilicet forum sortiri varijs in lo
1 cis diuersis ex causis, † & præcipue ratione domicilij l. hæres absẽs infr. hoc tit. nostro
2 l. origine C. de incol. lib. 10. † Duplex autem quilibet dicitur habere domicilium, vnum scilicet naturæ, quod & loci vocant, in quo nati sumus, & habitamus, quod priuatum, & proprium domiciliũ dr̃; Alterum uero Ciuitatis, & Reipublicæ, quod commune omnium dicitur, & est Romæ domicilium l. Roma infr. ad Municip. & de in-
3 col. vbi dicitur † Romam communem nostram patriam esse, & ita à Cicerone non semel appellatur, vt in orat. 2. contra Rullum, & lib. 2. de legib. Vnde Cornelius nepos in vita Pomponij Attici aperte Romã domicilium orbis terrarum vocat. Modo quando quis sortitur forum in loco ratio-
4 ne domicilij † potest conueniri in tali loco, siue sit presens, siue sit absẽs, & potest procedi cõtra eum absentem vsquè ad sen-
5 tentiam diffinitiuam; † vbi vero reus sortitur forum alia ratione, quam domicilij nõ potest ibidem conueniri, nisi ibi reperiatur ut in l. hæres absens infr. hoc tit. nostro, & in c. Romana §. contrahentes de for. com-
6 pet. lib. 6. hocquè fuit introductum, † ne quis extra proprium domiciliũ trahatur, quod sibi durum esset, sed si abest à proprio domicilio, bene ab illud trahi potest, quia hoc durum sibi esse non debet.

Hoc ita, supposito ex text. nostro colli-
7 gitur † quod absentes à proprio domicilio ex causa legationis, seu ex alia causa necessaria, uel quasi non possunt Romæ conueniri, quamuis alias sit communis patria, & commune omnium domicilium dicatur,
8 sed si conuenti fuerint, † habent priuilegiũ reuocandi domum, exempla autem istorũ, qui ex causa necessaria, vel quasi Romam accessissent uaria in tex. nostro habentur, & in primis exemplum ponitur in legatis,
9 quib. hoc conceditur, † ne à legatione auocentur l. non alias in fin. & l. de eo infr. hoc tit. nostro; secundo in ijs qui testimonij causa Romam euocati sunt. tertio in ijs qui iudicandi causa sunt accersiti. Item in ijs qui à Principe uocati fuere tutelæ reddẽdæ gratia, tandem in ijs qui prouocant, & prouocationis exercendæ causa Romę esse coge-
10 bantur, ratioquè istorum omnium est † ne diù à suis negotijs auocentur. ut in l. sed si quis ex signatoribus infr. queadm. testam. aper. & ita hic est casus secundum Bartol.
11 quod † legati, & Ambasciatores qui ad Vrbem mittuntur, vel qui ad eam uocantur gratia testimonij ferendi, uel gratia iudicij, uel appellationis prosequendæ, uel gratia tutelæ reddendæ, non possunt ibi pro repræsalijs detineri, quia ex causa necessaria, uel quasi ibi reperiuntur. Angel. tamẽ dicit, quod de consuetudine hoc non obseruatur, præterquam in Ambasciatoribus, & in legatis, unde secundum eum, aliqui non confidant accedere ad talem locum etiam ex causa necessaria, uel quasi; Nec mirum esse debet, quod legati maius ha-
12 beant priuilegium, quia † Sancti dicuntur, & eis iniuriam inferentes dicuntur incide-
13 re † in sacrilegium, ut est text. notabilis in
14 l. fin. infr. de legat. † & qui eos offendit, incidit in crimen læsæ Maiestatis, tamquam offendens Principem, ut per Cabed. in Lusit. decis. 116. nu. 2. par. 2.

Declaratur id quod dictum est de Roma, ut intelligi debeat de Curia Romana,
15 † ubi enim est Sum. Pont. cum curia, ibi di-
16 citur esse Roma, ut per Ang. hic, † Romæ ergo quilibet, qui ibi reperiatur ex causa, merè uoluntaria, conueniri potest, cum dicatur commune omnium domicilium d. l. Roma infr. ad Municip. & de incol. secus

vero

vero si quis ibi reperiatur ex causa non uoluntaria, sed necessaria, uel quasi, de quib. supra, qa tunc licet mero iure ibi cōueniri possit ratione fori, quē ibi sortitur, cū ibi reperiat de æquitate tñ, qa ibi extat ex causa necessaria, habet priuilegium, ut nō teneatur ibi respōdere, sed possit petere se remitti ad locum proprij domicilij, quasi non videatur ibi esse, postquam est ex causa necessaria; Vnde sequitur secundum Castr.
17 infr. in §. seq. num. 2. † quod necesse habeat allegare hoc priuilegium, ut in l. si quis ex aliena infr. hoc tit. nostro, & id quidem in limine iudicij l. fin. C. de except. alias enim contra eum recte procederetur, & ualeret processus, tamquam factus coram iudice competenti.

Ampliantur hæc omnia, ut uera sint nō solum quando quis Romæ sit ex causa necessaria, uerum etiam si ibi adsit ex causa
18 probabili tantum, † ut puta quia causa Religionis ibi accesserit, pro consequendis scilicet stationibus, ac Indulgentijs, uel causa studij ibi moraretur, tunc enim adhuc sibi competit priuilegium hoc reuocandi domum, ut per glos. hic in uerb. (ob aliam causam.)

19 Ampliātur ulterius supradicta, † ut procedant etiam si essemus in minore alias priuilegiato, qui uellet conuenire aliquē Romæ degentem ex causis, de quibus supra, adhuc enim ei hoc denegatur, & ipsi conuento competit priuilegium reuocandi domum, ut hic in fin. §. nostri.

Opponi potest contra hanc dispositionem, dū vult, quod si quis Romæ reperiatur ex causa uoluntaria, ibidem conueniri possit, id enim falsum esse uidetur, ex quo
20 † iste forensis, & aduena est, qui extra proprium domicilium non debet trahi l. extra territorium supra de iurisd. omn. iud. & l. si qs ex aliena inf. hoc tit. nostro. Pro solut. dicamus quod Romæ degentes non sunt omnino forēses, cum Roma communis patria esse dicatur, ut supra dictum fuit.

21 Legatis] † Legatorum tria genera in iure reperiuntur, legati primo dicūtur ij qui à Senatu lecti in Prouinciā vna cū Proconsule negotiorum publicorum administri mittuntur, nec iurisdictionem nisi à Procōsule habent l. 2. & l. obseruare §. fin. sup. de off. proconf. & legat. legati 2. dicuntur, qui ad Principem cum mandatis publice mittuntur, ut in tex. nostro, in l. si quis in legatione, & in l. non alias §. legati infr. hoc tit. nostro. postremo legati Cæsaris dicuntur ipsi Præsides vel Correctores Prouinciæ, qui à Cæsare cū imperio, & potestate missi sunt l. penult. supra de off. Præsid. & l. diem
22 functo supra de off. asseß. † legatique dicti sunt, quia leguntur, ut publice mittantur, ut per Varron. lib. 4. de lingu. lat.

23 Reuocandi domum] † Aliud est reuocare forū, aliud reuocare domū, reuocāt forū, qui utūtur præscriptione fori rōne militię, dignitatis, aut sacerdotij, aut qui uocatus ad iudicē incompetentē, inuocat cōpetentem; Domum autem reuocat is, qui uocatur ad forum non omnino incompetentem, & tamen postulat litem transferri in
24 locum sui domicilij, ut hic. † Domus autē ponitur pro domicilio, & ibi quis dicitur habere domum, ubi habet domicilium, licet non sit præsens l. 1. §. 1. infr. de liber. agnosc.

25 Prouocatio exercetur] † Prouocare interdum significat ad iudicem uocare l. in tribus, & l. seq. infr. hoc tit. & l. 2. in fi. infr. commun. diuid. ut plurimum tamen est ab inferiore iudice ad superiorem appellare, ut hic. & passim in totis titulis intr. in quibus de appellationibus agitur.

26 Tutelæ reddendæ] † tutelā reddere significat rationes tutelæ reddere l. cū pupillus infr. de tutel. & rat. distrah. & ita sumitur hic §. nostro.

Ad §. omnes cum seq. usque ad §. fin.

Omnes autem isti domum reuocant, si non ibi contraxerunt, vbi cōueniuntur. Cæterum, si contraxerunt ibi, reuocandi ius non habent: exceptis

legatis

legatis; qui, licet ibi contraxerunt, dummodo ante legationem contraxerunt, non compelluntur se Romæ defendere, quamdiu legationis causa hic demoratur, quod & Iulianus scribit, & Diuus Pius rescripsit. Planè si perfecta legatione subsistant, conueniendos eos Diuus Pius rescripsit. Itē si extra prouinciam suam contraxerunt, licet nō in Italia quæstionis est, an Romæ conueniri possint, & Marcellus in eo solo, priuilegio eos vti domum reuocādi, quod in ciuitate sua, vel certe intra prouinciam contraxerunt. quod est verum. Sed etsi agant compellūtur se aduersus omnes defendere; Non tamen si iniuriam suā persequantur, vel furtum, vel damnū quod nunc passi sunt alioquin (vt & Iulianus eleganter ait) aut impunè contumelijs, & damnis afficientur; aut erit in potestatem cuiusquè, pulsando eos, subijcere ipsos iurisdictioni, dum se vindicant. Sed si dubitetur, vtrum in ea quis causa sit, vt domū reuocare possit, nec ne, ipse Prętor debet, causa cognita statuere. Quod si constiterit, in ea eum esse causa, vt domum reuocet; debebit cauere in iudicio sisti, statuente Prætore, in quem diem promittat. Sed vtrum nuda cautione, an satisdato, Marcellus dubitat: mihi videtur, sola promissione; quod & Mela scribit, alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos, qui satis pro eo dent; In omnibus autem, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno creditorum oportet:

SVMMARIVM.

1 *Qui habent priuilegium reuocandi domum non possunt eo vti in contractu gesto in loco vbi conueniuntur.*

2 *Duo vincula magis ligant, quam faciat vnum.*

3 *Singula quæ non prosunt cumulata iuuant.*

4 *Legati non possunt durante legatione conueniri de contractu gesto ante legationem.*

5 *Legati non possunt alijs negotijs, quam publicis implicari, ne à legatione auocentur.*

6 *Legati magis priuilegiati sunt, quam alij, qui ex alia causa necessaria Romæ degunt.*

7 *Legati contrahentes in legatione videntur voluntariè se submittere obligationi, vt possint conueniri etiā durante legatione.*

8 *Legati post perfectam legationem Romæ possunt conueniri.*

9 *Priuilegium cessat cessante causa ipsius.*

10 *Legatus dum parat sarcinulas ad recedendum dicitur morari ex causa necessaria.*

11 *Vbi verba priuilegij non adaptantur, nec ibi priuilegium locum habere potest.*

12 *Qui alios in iudicio molestat, & ab alijs ipse molestari potest.*

13 *In potestate delinquentis non debet esse delinquendo auferre ius alterius.*

14 *Declinatoria fori si contra iudicem opponatur, iudex debet prius causæ cognitionem adhibere super ipsa declinatoria.*

15 *Iudex, qui remittit aliquem ad suum iudicem, potest illi statuere terminum ad cōparendum coram suo iudice.*

16 *Iudex à quo potest statuere terminum appellato, intra quem se præsentet coram iudice ad quem.*

17 *Appellans, si non se præsentet in termino coram iudice ad quem, tunc appellatio dicitur deserta.*

18 *Forensis non astringitur ad impossibile, seu quasi.*

Nec ad dandos fideiussores, cum sibi difficile sit, vt num. 30.

19 *Stante statuto, quod forensis non audiatur, nisi satisdet de expensis, an iuratoria cautio sufficiat.*

20 *Pri-*

20 *Priuilegia semper sunt intelligenda, ne sint in damno cuiusquã.*

21 *In tẽporalibus actionibus dies de facili præterit.*

22 *Lite contestata actio perpetuatur.*

23 *Lite contestata actionis tempus non currit.*

24 *Priuilegio nondum competenti quis renunciare non potest.*

25 *Prouincia quænam dicatur.*

26 *Iniuria tripliciter quis affici potest.*

27 *Iniuria est quid minus contumelia.*

28 *Pulsare aliquem quis dicitur dum eum in iudicium vocat.*

29 *Cauere est promittere sine fideiussore, satisdare vero cum fideiussore.*

31 *Protelare quid sit.*

32 *Admonitio est interpellatio creditoris facta debitori vt soluat.*

CVm dictum sit, quod legati, & alij, qui ex necessaria causa, vel quasi Romæ degunt, si ibi conueniantur, habent priuilegium reuocandi domum, istud modo declaratur, & limitatur varijs modis in §. nostro, & sequentibus.

Priuilegium concessum ijs, qui ex causa necessaria, vel quasi Romæ degunt, vt possint reuocare domum nõ procedit tũc, quando conueniantur ex contractu ibi ge-
1 sto, † ratione enim talis contractus Romæ conueniri possunt, licet ibi reperiantur ex causa necessaria, cõcordat cum tex. nostro l. Non alias, l. si legationis, & l. cum furiosus §. fin. infr. hoc tit. & ratio est, quia hoc casu duæ causæ concurrunt, quod ibi conueniri possint, prima est causa domicilij cõmunis omnium, altera est contractus ibi celebrati, quæ duæ causæ insimul iunctæ operantur, quod quis possit cõueniri, qui alias ex vna tantũ causa conueniri non poterat,
2 † cum duo vincula, vt est in adagio, magis ligent, quam faciat vnum l. ballista infr. ad Trebell. S.C. §. Affinitatis Instit. de nupt.
3 † & quę singula non prosint cumulata postea iuuent c. cum causam extr. de probat. glos. in l. 2. infr. de excusat. tut. Sublimita-
4 tur autẽ istud in legatis, † qui etsi alias ante legationem, cõtractum Romæ gesserint, non possunt tamen si ibi reperiantur legationis officio fungentes ratione contractus alias ibi gesti conueniri durãte legatione; facit text. in l. non distinguemus §. item si
5 quis Romæ supra de recept. arbitr. † quia nullis alijs negotijs, quam publicis implicari possunt l. Paulus respondit (prima) §. fin. cum 4. legibus sequent. infr. de legat. & hoc ne à legatione auocentur l. nõ alias in fin. & l. de eo infr. hoc tit. & ita colligitur,
6 † quod legati maius habent priuilegium, quam aliæ personæ, de quib. supr. in §. anteced. prout etiam ibi dictum fuit, cum nõ possint conueniri, nisi de cõtractu gesto in legatione l. si quis in legatione infr. eodem & l. eum qui §. Iulia infr. de constit. pecun.
7 † huic enim oneri obligationis sponte se submittere videntur; argum. l. interdum §. fin. infr. eod. aliæ vero personæ possunt conueniri de quocumquè contractu Romæ gesto.

Limitatur secundo dispositio §. antece-
8 dentis, vt nõ procedat † quando legati Romæ subsistant perfecta legatione, vt colligitur ex uers. (Planè si perfecta) & ratio est in promptu, quia illud priuilegium (vt supra dictum est) concessum fuit legatis, ne à
9 legatione auocentur; † cessante itaquè causa priuilegij, debet cessare priuilegiũ; iux. tex. in l. Titia (secũda) §. vsuras infr. de leg. 2. Hæc autẽ limitatio ita declarari debet, vt procedat tunc, quando verè Romæ perfecta legatione legatus permaneret, quia tunc cessabit priuilegium reuocãdi domũ, de quo supra; secus vero si perfecta legatione ita legatus subsistat, vt paret sarcinulas suas ad recedendum, tunc enim nõ po-
10 test cõueniri, † quia ex causa necessaria ibi esse dicitur; argum. l. ab hostib. §. sed quod simpliciter supr. quib. ex caus. maior. in integr. restit. trad. Petr. Barbos. hic nu. 192.

Tertia limitatio priuilegij de quo supr. est, vt procedat, quando ille, qui reperitur Romæ ex causa necessaria, conuenitur ibi ratione contractus celebrati in proprio domicilio, vel in propria prouincia, tũc enim potest reuocare domum, secus uero si conueniatur pro contractu celebrato in aliena prouincia; vt hic in §. item si extra; ad quẽ pertinet l. Iusulę infr. hoc tit. & ratio sit, qa

cum

cum iste qui vult reuocare domum, præsupponat se ĩ proprio domicilio necessario esse conueniendum pro prædicto contractu, ut per glos. supra in §. legatis in verb. (ius datur) istudquè falsum sit, quia etiam in loco contractus conueniri potest l. hæres absens §. proinde infr. hoc tit. ideo ei non conceditur priuilegium hoc reuocandi domum, cum nulla ratio assignari possit, ob quam magis debeat remitti ad locum domicilij, quam ad locum cõtractus, † & ideo
11 cum uerba priuilegij non adaptentur, nec etiam priuilegium locum habere potest, vt per Petr. Barbos. supr. in §. legatis num. 361. hæcquè limitatio nõ respicit legatos, sed alios, q. ex causa necessaria Romæ sint, vt per Cuiac. hic in uers. Idem est si cõtraxerint, & per Barbos. nu. 110.

Quarta limitatio ponitur in §. sed si agant; cui concord. l. qui non cogitur infr. eod. l. cum Papinianus C. de sentent. & interlocut. omn. iud. & §. sancimus in Auth. de execut. dum enim supra in §. legatis dictum fuit, quod durante legatione, si legati conueniantur possunt allegare priuilegium reuocandi domum, istud nunc limi-
12 tatur, ut procedat, † dummodo ipsi alios nõ molestẽt, hoc namquè casu ab alijs, & ipsi molestari possunt, qui enim cum alio agunt, omnes hanc obligationẽ suscipiũt; vt si mutuo conueniantur, cogãtur eodem in loco, & apud eumdem iudicem excipere actiones d. l. qui nõ cogitur infr. hoc tit. stro; & ideo Imperator in d. l. cum Papinianus in fin. C. de sentent. & interlocut. omn. iud. dixit, cuius in agendo obseruat quis arbitrium, eum habere, & contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur. Hoc autem ita intelligi debet si ipsi voluntariè agant, secus vero si iniuriam suam persequerentur, vel furtum, vel damnum, quod tunc passi essent, hoc enim casu possunt opponere priuilegium reuocandi domum, cũ videantur quodammodo agere ad defensam, alioquin dicebat Iulianus, aut impunè contumelijs, & damnis afficientur, aut erit in potestate cuiusquè pulsando eos, subijcere ipsos iurisdictioni, dum ius suũ per-
13 sequi volent, vnde colligamus, † quod nõ debet esse in potestate delinquentis auferre ius alterius l. nõ in potestate supra de recept. arbitr. l. si idem cum eodem §. quod sumitur supr. de iurisd. omn. iud. & l. 1. §. sed & si quis infr. de Carbon. edict.

Quinta limitatio propositi priuilegij est, quod licet ij de quibus supra habeant priuilegium reuocandi domum, tenentur tamẽ cauere de iuri sistendo in loco proprij domicilij, nuda cautione sine fideiussore, qñ verè constiterit eos esse in ea causa, ut sibi competat priuilegium reuocãdi domum, ut in §. sed si dubitetur uers. quod si constiterit; secus vero si in dubio sit, q. a prius causæ cognitio adhiberi debet, ut in principio dicti §. sed si dubitetur. cui concord. tex. in l. legato infr. de legation. Prætorquè adhibita causæ cognitione statuere debet, eis competere tale priuilegium, vnde colligi-
14 tur, quod † quando opponitur fori declinatoria contra iudicem, debet iudex ipse adhibere causę cognitionem super ipsa exceptione declinatoria, alias enim si nõ adhibita hac causæ cognitione ad ulteriora procederet, processus nullus esset, ut p Angel. hic, per doctrinam Innoc. in c. pręterea extr. de dilat. Cognito itaquè per iudicẽ, q. isti sint tales qui habeãt priuilegium reuocandi domum, tunc debent cauere nudo uerbo de stando iuri ad proprium domicilium, eo tempore, quo promittunt coram Prætore; Vnde colligamus duo; primo qđ
15 † quando iudex, coram quo opponitur declinatoria fori, remittit excipientem ad iudicem suum proprium, potest sibi præfigere certum terminum, in quo compareat co-
16 ram illo iudice, prout in simili, qñ † quis appellat à iudice, potest iudex ipsi appellãti statuere certum terminum, intra quem se præsentet coram iudice ad quem appel-
17 latur, & hoc casu † nisi appellans se pręsentet in illo termino, appellatio erit desertae ut per Bar. in l. Præses C. de appellat. & per Canon. in c. personas, & in c. ex ratione ex-
18 tra de appellat. Secundo quod † forensis non astringitur ad impossibile, sed quasi; vnde isti priuilegiati de quibus supra si appareat eos posse reuocare domum, sola pmissio de sistendo iuri sufficit absque cautione

tione, & ideo Angel. & Imol. in l. cum non
facile infr. si cui plus quam per l. falcid. in-
19 quiunt † quod si statuto caueatur, quod
forensis antequam audiatur debeat satis-
dare de expensis, si nullo modo possit repe-
rire fideiussorem, stabitur suæ iuratoriæ
cautioni.

Sexta limitatio, & vltima ad priuilegiũ
§. legatis, de quo supra, est, vt quãdo ij qui
Romæ degunt ex causa necessaria domum
reuocant, tunc istud procedat, nisi actio tẽ-
pore peritura esset, & hoc est, quod dicitur
sine damno temporali creditorum, vt hic
in §. in omnibus, cui concord. l. sed & si re-
stituatur §. sed & si dies infr. hoc tit. nostro,
20 idque cum ratione factum est † priuilegia
enim ita intelligenda sunt ne sint in iniu-
riam cuiusquè l. 2. §. si quis à Principe infr.
ne quid in loc. publ. l. nec auus C. de emẽd.
liber. Damnum autem in hoc casu conside-
ratum solet existere in temporalib. actio-
21 nibus, † in quibus periculum est, quod du-
rante impedimento causæ necessariæ, pro-
pterquam quis Romæ degit, dies actionis
prætereat, & sic actio creditori amittatur,
quod periculum, vt remoueat Vlp. I. C. sta
tuit in §. nostro, non esse personis de quib.
supra concedendum priuilegium domum
reuocandi, nisi hoc omni damno creditori
prius amoto, quod quidem fiet, si reus, qui
habet priuilegium reuocandi domum, te-
neatur respondere, & sic iudicium accipe-
22 re, & litem contestari, † vt actio perpetue-
tur l. fin. in fi. infr. de fideiuss. tut. & sic actor
erit sine damno, nec amittet actionem suã,
23 † cuius tempus interim non curret l. fin. in
fin. C. qui bon. ced. poss. l. fin. §. donec C.
de iur. delib. §. penult. in Auth. ut cum de
appellat. cognosc. & §. si vero & episcopi
in Auth. de sanctiss. episc. reus pariter po-
titur priuilegio suo, quia lite contestata,
tunc iudicium quiescet, & remittetur po-
stea ad suum domicilium, & sic domum re
uocabit, & iste est germanus sensus tex. no
stri, ut placuit Cuiac. hic, & Donel. lib. 17.
comment. iur. ciuil. c. 13. vers. fin.

Opponi potest ex l. non alias §. legati
infr. hoc tit. nostro, vbi legati Romæ iudi-
cium coguntur pati, siue ipsi, siue eorũ ser-
ui ibi deliquerint, ergo etiam idem vide-
tur dicendum in casu nostro. Pro solut. du-
pliciter possumus respondere, primo quod
argumentum contrarium loquitur in deli-
ctis, tex. noster vero in contractibus, inter
quæ viget diuersa ratio; secundo quod con
trarium loquitur de delicto admisso tem-
pore legationis, tex. vero noster loqtur de
contractu gesto ante legationem. Oppo-
ni iterum potest de c. dilecti extr. de for.
compet. ubi probatur, quod si quis habeat
priuilegium, ne conueniri possit, nisi in cer-
to loco, & coram certo iudice, si tamen in
alio loco contraxerit, poterit in loco con-
tractus conueniri, non obstante tali priui-
legio. Pro solut. dicamus id uerum esse
in eo, qui tempore cõtractus iam habebat
priuilegium, contrahẽdo enim in eo loco,
tacitè illi priuilegio renunciare videtur; se-
cus in casu nostro in quo legatus quis effe-
ctus est post contractum iam celebratum,
& ideo tempore contractus non potuit
24 renunciare huic priuilegio, † quod sibi nõ-
dum competebat l. mater decedens infr.
de inoff. testam.

Omnes autem isti.] qui scilicet Ro-
mæ ex causa necessaria, vel quasi degunt.

Ibi contraxerint.] Romæ scilicet.

25 Intra prouinciam.] † Prouinciæ di-
cebantur regiones extra Italiam, quæ Po-
puli Romani imperio parebant, & ad quas
administrãdas Magistratus cum imperio,
& potestate mittebantur, ut in ijs ius dice-
rent.

26 Si iniuriam.] † iniuriæ sunt, quæ aut
pulsatione corpus, aut conuitio aures, aut
aliqua turpitudine uitam cuiusq; uiolant,
ut auct. ad Heren. lib. 4.

Aut impunè contumelijs.] quia ti-
more ne perdant priuilegium reuocandi
domum, de facili non agẽt pro iniuria, vel
27 si agent perdent priuilegium; † contume-
lia autem plus est quam iniuria, Vnde Pa-
cuuius Periboea dixit Patior facile iniuriã,
si est vacua à contumelia.

28 Pulsando eos.] † pulsare est in iudi-
cium uocare, ut in l. de ætate §. qui interro-
gatus infr. de interrog. in iur. faciend.

Sta-

Statuere.] & ita iudex, coram quo opponitur fori declinatoria debet pronũciare super ipsa exceptione.

29 Debebit cauere] † cauere est sine fideiussore promittere, satisdare uero est, qñ quis promittit datis fideiussoribus, ac sponsoribus; ut in l. Diuus Pius, & in l. cum idẽ infr. de petit. hæred. l. 1. in princip. infr. de rip. mun.

An satisdato.] idest satisdatione, ut per Cruc. hic.

30 Sola promissione.] † forensis enim non debet astringi ad dandos fideiussores, quando sibi esset difficile.

In omnibus autem.] hæc verba dicebat Cuiac. hic, non sunt Vlpian. sed Triboniani.

31 Protelatur.] † Protelare ponitur pro extendere, protrahere l. properandum C. de iudic. l. cum antiquiorib. C. de iur. delib. l. 4. in princip. infr. de damn. infect. §. fin. in fin. Instit. de except. alias protelare accipitur pro excludere; vt per Terent. sumitur etiam pro adiugare vnde Plin. lib. 9. c. 15. protelis bouum, idest iunctis bobus.

32 Admonitio.] † admonitio est interpellatio creditoris, qua debitorem admonet, & appellat, ut soluat vt per Donel. d. c. 13. vers. fin.

Ad §. *fin.*

His datur multæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium est, & non alijs: nisi hoc specialitèr eis permissum est.

SVMMARIVM.

1 *Mulcta quid sit.*
2 *Mulcta differt à pœna, & quomodo.*
3 *Pœna est omnium delictorum coercitio.*
4 *Mulcta omnis arbitraria est.*
5 *Pœnæ ferè omnes legibus sunt definitæ.*
6 *A mulcta licitum est appellare, & quare.*
7 *A pœnis non est licitum appellare, & quare.*
8 *Mulcta olim ouium, & boum, hodie vero tantum pecuniaria.*
9 *Pœnæ, & pecuniariæ, & corporales sunt.*
10 *Mulcta imponitur tantum ab Ordinarijs iudicibus.*
11 *Iudici non licet in mulcta excedere modum à legibus præfixum, & nu. 4.*
12 *Mulcta, an, & quando à delegatis dici possit.*
13 *Arbitri facultas à compromisso pendet.*
14 *Mulctam dicere est verbum iuris antiqui.*

PRoponit nobis Vlp. I. C. quibusnam iudicibus competat ius mulctę dicendæ, & concordat cũ hoc §. l. aliud est fraus §. fin. inf. de uer. signif. l. 2. & 3. C. de mod. mulctar. quæ à iudic. inflig.

1 Præsciendũ pro intellectu, quid sit mul-
1 cta, & quomodo à pœna differat. † Mulcta autem nihil aliud est, quam pęna pecuniaria, qua Magistratus pro modo iurisdictionis suæ contumaces, & inobedientes coercent l. 2. supr. si quis in ius uocat. non ierit l. aliud est fraus, & l. si qua pœna infr. de
2 uerb. signific. l. 2. C. de Episcop. aud. † quæ mulcta differt à pęna, eo modo, quo differt species à genere, & ideo omnis mulcta pœna est, sed non è contra, ut per Cuiac. hic in
3 princ. † cum pœna sit omnium delictorum coercitio d. l. aliud est fraus infr. de uerbor. significat. differunt autem speciatim, quia
4 † mulcta omnis arbitraria est, quamuis arbitrando non liceat excedere modum à lege præscriptum l. eos C. de mod. mulct. pę-
5 næ † autem omnes ferè legibus sunt definitæ, ut per Duar. supr. in tit. si quis ius dicẽt. non obtemper. c. 1. & per Cuiac. hic in §.
6 nostro; Item † à mulcta licitũ est appellare, quia iudex infligit d. l. si qua pœna, & ibi
7 glos. infr. de uerb. signif. † à pœna uero nõ est licitum appellare, quia lex non iudex eam statuit, vt per Donell. lib. 28. commẽt. iur. ciuil. c. 6. col. 3. & per Cuiac. ubi supra;
8 † Mulcta ulterius olim erat ouium, & boũ ex l. Ateria, hodie vero est pecuniaria d. l. aliud est fraus infr. de uerbor. significat. de qua per Gell. lib. 11. noct. Attic. c. 1. & per Vltram. in compend. leg. Rom. antiqu. in verb. Ateria post comment. de verb. iur.
9 † Pęna uero, & pecuniaria, & corporalis est d. l. aliud est fraus.

His

His ita stantibus modo ex text. nostro
10 conclusio est, quod † ordinarij iudices tantum possunt mulctam dicere; Mulctæ enim dictio iurisdictionis est, vt per Cuiac. hic, & ergò tãtum mulctam dicere poterit, qui iurisdictionem habeat, & ideo in text. nostro dicitur. His datur mulcta dicendæ ius, quibus publicè iudicium est, idest ordinarijs iudicibus, ij enim sunt, qui publicè
11 iudicium gerunt, † quibus tamen non est licitum in mulctando excedere quantitatem sibi pro iurisdictione præfixã in l. fin.
12 C. de mod. mulct. Vnde sequit quod † delegatis non competat hoc ius mulctam dicendi, nisi sibi specialiter sit demandatum, quod verum est de iure ciuili, secus uero de iure Canonico, quia delegatus Principis mulctare potest, vt in c. Pastoralis extr. de off. deleg. istud autẽ quod delegatis de iure ciuili non competat ius mulctam dicendi, patitur multas limitationes, de quibus per Alex. in l. 1. num. 12. supra, Si quis ius dicent. non obtemper.

Opponitur ex l. non ex omnibus supra de recept. arbitr. vbi dicitur arbitrum posse contumaciam litigatoris punire, & tamen arbiter non est iudex ordinarius, nec publi
13 cè iudicium dicit. Pro solut. dicamus † arbitri omnem facultatem à compromisso pendere, ut superius in Rubr. huius tit. dictum fuit ex decis. Cacher. 39. num. 5. dum ergò arbiter contumaciam litigatoris punit, id facit uirtute compromissi, non quia mulctam dicat iure suo.

His datur] Magistratibus scilicet.

14 Mulctæ dicendæ] Mulctam † dicere, est verbum iuris antiqui, quo etiam utitur I.C. in l. ne quis infr. de custod. reor. & Imper. Alex. in l. 2. C. de mod. mulct.

Quibus publicè iudicium est] idest qui habent publicum iudicium, & iurisdictionem.

Ad l. 3. Vlp. lib. iv. ad Edictum.

Non videtur frustrandæ actionis causa latitare, qui præsens iudicium suscipere non compellitur.

SVMMARIVM.

1 *Immissio in bonis eius fit, qui in iudicium vocatus frustranda actionis causa latitat.*

2 *Qui præsens cogi non potest iudicium suscipere, si non veniat vocatus, non dicitur latitare fraudationis gratia.*

3 *Dolus desideratur, ad hoc, vt quis dicatur latitare fraudationis causa.*

4 *Causa quælibet excusat à dolo, maximè si iusta sit.*

5 *Priuilegium habens, quod non possit conueniri, si citatus sit, debet comparere ad docendum de priuilegio.*

6 *Aduersarius propter contumaciam sui aduersarij mittitur in possessionem bonorum absentis.*

7 *Latitare quid sit.*

1 CVm † immissio ex edicto Prætoris fiat in bonis eius, qui in iudicium vocatus fraudationis causa latitat, ut in l. fulcinius §. 1. infr. quib. ex caus. in possess. eat. & l. si minor infr. de reb. auctor. iudic. possid. ideo quæritur si quis in ius uocatus sit; qui habet ius uocandi domum, nec ueniat, an frustrandæ actionis causa latitare dicatur. Cõcord. cum hac l. tex. in l. eo tempore inf. de pecul. & in l. uir bonus infr. iud. solu.

2 Ille † qui si præsens esset, nõ cogeretur iudicium accipere, si per hoc absit, non dicitur latitare frustrandæ actionis causa, & ideo consequenter non subijcitur edicto Prætoris, quod in eius bona debeat fieri immissio, & ratio est, quia dolo carere uidetur, quamuis non careat culpa aliqua, & temeritate cum ad Prætorem uocatus non ueniat, sed quia considerat se ex aliena iurisdictione ad Prætorem uocari, seque etiã si præsens esset, non posse cogi suscipere iudicium, non accedit ad Prætorem, & ideò dicitur non uideri frustrandæ actionis cau-
3 sa latitare, † latitatio enim requirit dolum, ut in d. l. fulcinius §. quid sit latitare infr.
4 quibus ex caus. in possess. eat. † & quælibet causa excusat à dolo l. plagij (secunda) C. ad l. Flau. de plagiar. & multo magis, si iusta sit, ut in l. 1. in fin. supra si quis ius dicen.

non obtemp. non tamen ex hoc sequitur, ergò non cogitur uenire in iudiciũ ad Prætorem, † cum debeat accedere ad allegandum priuilegium; ut not. in l. 2. supr. si quis in ius uocat. non ier. & in l. si quis ex aliena intr. hoc tit. nostro; benè sequitur ergò aduersarius in possessionem bonorum eius mitti non debet, quia in edicto Prætoris non simpliciter dictum est, in absentis bona mitti, sed eum qui frustrandæ actionis causa latitat, hanc immissionem pati; Vnde cum iste utiliter conueniri non possit, ut condemnatio sequatur, ignoscendum est ei, si non uenit, qui etiam si accessisset, nihil tamen contra eum geri potuisset l. arbiter Kalendis supra de recept. arbit.

Huic cõclusioni aduersari uidetur tex. in l. si quis ex aliena infr. hoc tit. nostr. vbi clarè disponitur, quòd si quis ex aliena iurisdictione sit, & in ius vocetur, tamen venire debet, cum ad Prætorẽ spectet cognoscere, an sit sub sua iurisdictione, subditquè in indiuiduo, quod legati, uel alij, qui habeant ius reuocãdi domum, in ea sunt causa, ut in ius uocati ueniant sua priuilegia allegaturi. Pro solut. dicamus quod in tex. nostro non dicitur, quod qui præsens non compellitur suscipere iudicium, non teneatur uenire ad Prætorem, sed dicitur, non uideri frustrandæ actionis causa latitare, quæ quidem duo diuersa sunt, ut per Duaren. ad tit. nostrum de iudic. in cap. de for. compet. unde ad Prætorem debet uenire uocatus, si tamen non accedat non debet aduersarius in possessionem bonorum ipsius mitti, prout euenit de eo, qui frustrandæ actionis causa latitat ex edicto Prætoris, quod quidem magnum iuris rigorem, magnamquè acerbitatem continebat, ut

6 † scilicet propter contumaciam aduersarius in possessionem bonorum absentis mitteretur, & non tantum in possessionem eius rei, de qua lis est, sed omnium bonorum, ut testatur Cicer. in orat. pro Quint. quia scilicet frustrandæ actionis causa dicitur latitare. vnde non sequitur, si præsens esset, nõ compelleretur suscipere iudicium, ergò nõ cogitur venire ad Prætorem, sed benè sequitur, ergò aduersarius non potest mitti in possessionem bonorum ipsius, sed alio genere coercitionis coerceri debet, prout mulctæ.

Non videtur frustrandæ actionis] frustrandæ dilationis exponit Io. Cruceus. Cuiac. uerò vult legi debere, non uidetur fraudationis causa.

7 Latitare] † latitare est cum tractu aliquo latere; Vnde latitare dicuntur ij, qui ad iudicium uocati frustrantur, & ludificantur, ut per Simon. Schard. in suo Lexic. in uerbo latitare.

Ad l. 4. Gaius lib. 1. ad edictũ Prouinciale.

Lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio.

SVMMARIVM.

1 *Lis non potest esse nobis cum ijs, quos in potestate habemus.*
Fallit multis modis vt nu. 8. cum seq. 17. cũ seq. & num. 21.
2 *Pater, & filius censentur eadem persona.*
Vox patris vox filij dicitur.
3 *Nemo secummet litigare potest.*
4 *Iniustũ non potest cadere inter patrẽ, & filiũ.*
5 *Iudicium est dijudicatio iusti, & iniusti.*
6 *Actio est ius persequendi in iudicio.*
7 *Filius quidquid acquirit patri acquirit.*
9 *In Peculio Castrẽsi, vel quasi filius familias habetur pro emancipato, & pro patre familias.*
10 *Pater non est legitimus administrator bonorum filij aduentitiorum, in quibus nihil sibi acquiratur.*
11 *Filius officio iudicis petit alimenta à patre.*
12 *Filius ante euentum conditionis potest petere fideicõmissum, quod à patre dissipetur.*
13 *Patre omnia bona dissipante, filius potest petere officio iudicis legitimam, vel alimenta.*
14 *Pater à filio quandoquè officio iudicis cogi potest, vt eum emancipet.*
15 *Filia potest à patre officio iudicis petere, vt eam dotet.*

16 Fi-

16 *Filius potest implorare officium iudicis contra patrem, vt promittat dotem, quam ipse ab vxore recepit.*

18 *Pater quandoquè à filio petere potest, vt patiatur emancipari.*

19 *Pater contra filium contendere potest de patria potestate, & de filiatione.*

20 *Pater potest arguere filium de ingratitudine.*

22 *Filius quãdo litem cum patre habere potest, debet prius veniam à Prætore impetrare, secus vero è conuerso.*

23 *Pater non debet compelli ad præstandum cõsensum filio in ijs casibus, in quibus inter ipsos lis esse possit.*

24 *Lis est causa restitutionis in integrum.*

25 *Restitutio in integrum actio dicitur.*

26 *Dos est propria filiæ, quamuis sit profectitia.*

27 *Lis significat actionem, siue in rem, siue in personam.*

28 *Exceptio, vt sit bona, debet esse de regula.*

29 *Dictio, nisi, exceptionem ponit, & affirmat, quod præcedens ratio negat.*

1 LIs † nulla nobis esse potest cum filio, vel alijs, quos ĩ potestate habeamus; concord. tex. in l. si à me fuerit arrogatus in fin. infr. hoc tit. nostro, in l. Actiones inf. de act. & oblig. in l. ne cum filio familias infr. de furt. in §. item inutilis Instit. de inutil. stipul. & in §. ij qui in parẽtum Instit. de oblig. quæ ex delict. nascunt. & ratio sit
2 † quia filius, & pater vna, & eadem persona censentur l. fin. C. de impub. & al. substit. vnaquè, & eadem vox vtriusquè dicitur §. ei verò Instit. de inutil. stipul. cũ ergò eadem vox, & eadem persona dicatur,
3 † nemo secum ipsemet litigat, vt ꝑ Cuiac. hic; ideo nil mirum si inter istos lis esse nõ possit, vel altera ratio sit ex mẽte Vaccon. à Vaccun. lib. 4. declarat. iur. declarat. 57.
4 num. 18. quia † scilicet inter patrem, & filium in potestate constitutum non potest esse iniustum, quod vt intelligamus, dicamus legem his positam esse, in quibus po-
5 test esse iniustitia, atquè iudicium, † iudicium enim est dijudicatio iusti, & iniusti, iniustum vero est lucrum, seu damnũ, plus seu minus, iustum autem seu æquum est inter lucrum, & damnum, & inter plus, & minus, ut per Aristot. 5. Ethic. modo inter eas personas, in quibus non potest esse iniustum, non est iudicium, cum sit dijudicatio iusti, atquè iniusti, ut diximus, si nõ est
6 iudicium, ergò nec actio, † cũ actio sit ius persequẽdi in iudicio, ut in princip. Instit. de act. quandò ergò filius est sub potesta-
7 te constitutus, tunc si acquirat, † nihil sibi, sed omne patri acqrit §. 1. Instit. per quas person. nob. acquir. vnde inter patrem, & filium eo casu non potest esse iniustum, ergo nec iudicium, meritò cum patre lis nulla filio esse potest.
8 Limitatur hæc conclusio, ut † non procedat in castrensi peculio, in quo lis potest esse inter patrem, & filium, ut in tex. sicuti
9 etiam, & in quasi castrensi, † in istis enim peculijs filiusfamilias pro emancipato habetur, ut per Cuiac. hic; habeturq́; quoad Castrẽsia, vel quasi pro patre familias l. 2. infr. ad Maced. S. C. ideo litem cum patre habere poterit.
Limitatur pariter, ut non procedat in omnibus casibus, ad quos pater per filium cogi potest, uel iure actionis, uel officio iudicis, ut per Bart. hic, iure actionis, ut in Castrensi peculio, uel quasi, de quo mox mox est dictum; Item & in aduentitijs, tunc qñ
10 patri non acquiratur vsusfructus, † quo casu pater non est legitimus administrator l. 1. C. de bon. mat. facit tex. in Auth. excipitur C. de bon. quæ lib. tradit Capic. decis.
11 56. num. 1. officio uero iudicis, prout † qñ filius petit alimenta à patre l. si quis à libe
12 ris infr. de lib. agnosc. vel quando † filius ante euentum conditionis peteret fideicõmissum, quod à patre dissipatur l. Impera-
13 tor infr. ad Trebell. S. C. Vel † si pater dissiparet omnia sua bona, filius enim petere potest, vt sibi pater assignet legitimam, uel tot bona, ex quibus possit alimentari, ita Bal. notabiliter in l. fin. nu. 4. C. si in fraud. patr. Idem est, & quando sumus in ijs casi-
14 bus, in quibus † pater à filio cogi potest, ut eum emancipet, de quibus per gloss. in §. fin. Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit.
15 † Vel etiam quando filia petit à patre, ut eam dotet iux. tex. in l. qui liberos infr. de

16 rit.nupt.† uel ulterius quando filius implorat officium iudicis contra patrem, ut promittat dotem, quam ipſe recepit ab uxore ſua, ut per Din.& alios DD. in l.ſi cum dotem §.tranſgrediamur infr.ſol. matrim. & idem in alijs omnibus caſibus, in quibus officium iudicis implorari poteſt, quos quidem enumerare magis laborioſum eſſet, quam ſubtile ſecundum Bart.hic.

Limitatur ulterius concluſio de qua ſupra, ut non procedat in omnib. caſibus, in quibus pater ratione patriæ poteſtatis non
17 poteſt ſibi ius dicere, † in ijs enim lis inter patrem, & filium eſſe poteſt, prout ultra caſus Caſtrenſis peculij, uel quaſi euenit, qñ pater petat, ut filius patiatur ſe emancipa-
18 ri, † quod in aliquibus caſibus fieri poteſt, ut notatur in l. ſi lenones C. de epiſc. aud. & in l.quidam cum filium infr. de uerbor.
19 oblig. uel † quando pater contenderet cōtra filium de patria poteſtate, ſeu filiatio-
20 ne l. 1. C.de patr.poteſt. vel † quando pater argueret filium de ingratitudine l. 1. C.de ingrat.liber.

Limitatur tandem ſecundum Caſtr.hic
21 in principio, ut procedat tantum † de iure ciuili, ſecus uero de iure canonico, de quo inter patrem, & filium in poteſtate iudiciū eſſe poteſt, ut per gloſ.notab.in c.fin. de iudic.lib. 6. in c.quæritur 2.q.7. in c.ſi Eccleſia 23.q.4.& in c.ex parte extr. de reſtitut. ſpoliat.

Ex hac autem concluſione ſequitur, qđ inter patrem, & filium emancipatum iudicium bene conſiſtere poſſet, cum in hoc caſu iniuſtum inter eos cadere poſſit, lucrum ſcilicet, & damnum, hoc tamen uerum ſit cum hac modificatione, quod ſi filius patrem in ius uocet in ijs caſibus, in quib. lis inter ipſos cadere poteſt, de quibus ſupra,
22 ſemper † prius præcedat ueniæ impetratio à Prætore, ut in l. quarta ſupr. de in ius uocand. §. pœnales Inſtit. de act. & §. fin. Inſtit. de pœn. temer. litig. è cōuerſo uero pater litigaturus cum filio, ueniam petere neceſſe non habet, ut per Cuiac. hic in l. noſtra, Patet ergo, quod quandoquè imo ſæpius lis, & iudicium inter patrem, & filium cadere poteſt; circa qđ animaduertamus,

una cum Alber. hic q in caſib. in quib. poteſt eſſe iudicium inter patrem, & filium,
23 tunc † pater non poteſt compelli ad præſtandum conſenſum filio, ualde enim durum eſſet, quod teneretur præſtare conſenſum contra ſe ipſum.

Opponi poteſt de l. 3. §. ergò etiam ſuprà de minor. ubi filia reſtituitur aduerſus patrem ex interuallo ſtipulantem dotem
24 reſtitui ſibi; † ſed lis eſt cauſa reſtitutionis in integrum l. ſi filius ſupra de minor. l. ſi
25 intra C. de reſtit. in integr. † & reſtitutio etiam actio dicitur l.etiam ei ſupra de minor. ergo lis inter filiam, & patrem eſſe poteſt. ſolutio ſit, quod illa eſt reſtitutio extraordinaria, quæ fit officio Prætoris, & ita eſt unus ex illis caſibus priuilegiatis, de q. bus quærere magis laborioſum, quam ſubtile eſſe, ſupra ex Bart. dictum fuit. Præterea dici poteſt, quod in caſu d. l. 3. §. ergò etiam ſupr. de minor. filiafamilias litigat ex cauſa dotis, quæ ſicut peculium eſt filij
26 fam. proprium, ita & † ipſa filiæ eſt propria, quamuis ſit profectitia l. quarta infr. de collat.bonor. nil mirum ergo ſi filia aduerſus patrem reſtituatur.

27 Lis nulla] hoc eſt actio nulla, † lis enim actionem, ſiue in rem, ſiue in perſonam ſignificat l.litis nomen. infr. de uerb. ſignif.

In poteſtate habemus] intelligamus de liberis, non ut aliqui putant etiam in ſeruis, cum de illis tractetur inf. in l.uix certis hoc tit. noſtro, & quod de liberis intelligi debeat tex. iſte, patet ex illo uerſiculo, niſi ex Caſtrenſi peculio, quæ eſt exceptio, locum tantum habens in liberis, non in ſer-
28 uis, ad hoc itaquè, ut ſit † bona exceptio, eſt intelligendus textus de liberis, argum. l.nam quod liquidè inf. de pen. legat.

29 Niſi] exceptionem ponit † hæc dictio, ſimul, & affirmat, quod præcedens ratio negat l. actione, & ibi notatur infr. de tranſact.

Ad l. v. Vlp. lib. 5. ad Edict.

Si quis ex aliena iuriſdictione ad Prætorē vocetur, debet venire, vt & Pomponius

ponius,& Vindius scripserunt. Prætoris est enim æstimare, an sit sua iurisdictio: vocati autem non contemnere auctoritatem Prętoris. nam & legati cæterique, qui reuocandi domum ius habent in ea sunt causa, vt in ius vocati veniant priuilegia sua allegaturi.

SVMMARIVM.

1 *Vocatus in iudicium tenetur comparere, quamuis sit de aliena iurisdictione.*
2 *Contemnens auctoritatem Prætoris mulctæ subijci potest.*
3 *Citatus non comparens, quamuis possit carere dolo, non tamen caret culpa, & temeritate.*
4 *Si Iudex contra aliquem aliena iurisdictionis procedere velit, potest quis ei impunè non parere.*
5 *Priuilegium habens, si citatur debet comparere, & docere de priuilegio.*
6 *Pars grauata à pronunciatione per iudicem facta, potest appellare.*
7 *Iudex habet suam intentionem fundatam, dum ille, qui citatur, reperitur in loco suæ iurisdictionis.*
8 *Iudex quando non possit cognoscere de exceptione declinatoria sui fori.*
9 *Dominus feudi non potest cognoscere, an ipse habeat notionem in vassallum.*
10 *Iudex quis in causa propria esse non potest.*
11 *Causa propria qua, & quando dicatur.*

1 AD iudicium vocatus † licet ex aliena iurisdictione sit, tamen comparere debet, inquit tex. noster, cui concordat l. 2. supra si quis in ius vocat. nō ier. & hoc ratione, de qua in tex. nostro, quia Prætoris est cognoscere, an sit sua iurisdictio, vocatusquè in iudicio auctoritatem Prætoris
2 contemnere non debet, † alias mulctæ subijci potest, ut in l. nō uidetur in fi. superius
3 dictum est, si enim non compareat, † licet non sit in dolo, ut dicatur latitare fraudationis gratia, & ita pœnæ edicti Prætoris subijciatur, non tamen caret culpa, & temeritate, dum non se præsentat Prætori, corā quo uocatur, cum ex illo actu cōparitionis nullum sibi inferatur præiudiciū, nisi Prætor vlterius uellet ei ius dicere, q͞a
4 tunc † illi poterit impunè non parere, ut p Duaren. in tit. nostro in c. de for. compet. col. 3. quod etiam uenit, & in eo casu, in quo quis habeat priuilegium reuocandi
5 domum, † debet enim comparere illud allegans, & id quidem in limine iudicij l. fin. C. de except. alias si non compareat, iudex contra eum procedere poterit, & ualebit processus, vt superius dicebamus in l. 2. §. legatis hoc tit. nostro, nec solum tenetur iste, qui habeat priuilegium illud allegare, uerumetiam probare debet, alias simplex allegatio non prodesset, nisi probaretur, ut per gloss. in Rubr. infr. si quadr. pau per. fecis. dicat. & in l. excusare infr. de excusat. tut. Ad Prætorem ergò spectat pronunciare se iudicem competentem, aut nō
6 competentem esse. & † si pars se grauatam sentiat, potest appellare à tali pronunciatione glos. ordin. in Auth. habita C. ne fil. pro patr.

Declaratur conclusio tex. nostri, ut uera sit, tunc quando uocatus ad iudiciū reperiatur in loco iurisdictionis illius, coram quo uocatur, quia tunc potest esse dubium aliquod, an sit de illa iurisdictione, uel nō,
7 & † est fundata intentio iudicis citantis, ita hunc tex. declarant Bald. Angel. & Castr. per doctr. Innoc. in c. præterea extr. de dilat. & in c. Romana de appell. lib. 6.
8 Limitatur autem conclusio de qua supra multis modis, & primo, ut non habeat
9 locum, tunc † quando opponitur exceptio talis, quæ honorem iudicis deturparet, ut puta, quia diceretur, quod est excommunicatus, infamis, uel seruus, tunc enim de hoc ipse cognoscere non potest, ita Bartol. quem omnes insequuntur in l. quidam cōsulebant infr. de re iudic. Abb. de communi testās in c. super litteris extr. de rescrip. Secūdo limitatur, ut nō habeat locum, qn̄ exceptio esset talis, quæ totalem iurisdictionem destrueret, ut puta, quia uocatus coram Prætore opponat eum non esse Prętorem,

torem, vel iudicem, tunc enim ad eum non spectat de hoc cognoscere. Bart. in l. ex sententia. infra de testam. tut. trad. Abb. in d. cap. super litteris. extr. de rescript. Tertio non procedit tunc quando iudex, contra quem opponitur declinatoria fori assumat iurisdictionem pro sua defensione, perinde ac si esset pars formalis, quia hoc casu propter suspicionem non poterit cognoscere, an sua sit iurisdictio, vt per gloss. singularem in cap. statutum, in princ. in verb. Copia, de rescript. lib. 6. sequitur Abb. in citat. c. super litteris, extr. de probat. Quarto li-
9 mitatur in domino feudi, † qui non potest cognoscere, an ipse notionem habeat in vassallum, gloss. in cap. vno, de inuestit. in marit. fact. in vsib. feud. limitatur quinto secundum aliquos, vt non procedat, tunc quando Iudex ex illa cognitione esset habiturus aliquod commodum sportularum, quia hoc casu propter suspicionem nõ posset cognoscere, neque pronunciare, an sit sua iurisdictio, ita gloss. per Bart. approbata in l. de iure, in principio, infra ad municip. & de incol. sed hoc neque verum, neque consuetudine probatum dicit Costal. in l. nostra in suis aduers. ad Pandect. Quis enim, inquit, nostrorum iudicũ, nisi mercede iudicauit vnquam? & tamen nemo dixit hoc nomine sublatam esse potestatem cognoscendi, an sit sua iurisdictio.

Opponitur, quia si iudex, contra quem declinatoria fori est proposita, possit cognoscere, an sit sua iurisdictio, vtique iudex erit
10 in causa propria, † quod non est admittendum, l. qui iurisdictioni, sup. de iurisd. omnium iud. l. Iulianus ait in fin. infr. hoc tit. nostro. l. 1. C. ne quis in sua caus. Pro solut. dicamus, quod dum cognoscit, an sit sua iu
11 risdictio non est propria causa; † Causa enim propria est, cum vel commodum, vel incommodum suo nomine ad aliquem pertinet, l. 1. §. in propria, infr. quand. appell. sit. Commodum autem in casu nostro ad iudicem non pertinet, nam commodum est litigantium, ergo nihil impedit, quominus pronunciet iurisdictionem suam esse, vel non esse.

Si quis ex aliena] Istud principium legis intelligitur de eo, qui ipso iure non subest iurisdictioni iudicis citantis, vt per Castr. hic, num. 2.

Iurisdictione] Iurisdictio ponitur hic pro vniuerso Praetoris officio, & munere, vt etiã per Gell. lib. 10. noct. Attic. c. 15.

Nam & legati] Haec pars legis respicit eos, qui subsunt iurisdictioni ipso iure, sed habent priuilegium reuocandi domum, vt per Castr. hic nu. 2.

Ad l. VI. Vlp. lib. VI. ad edict.

Caecus iudicandi officio fungitur.

SVMMARIVM.

1 *Caecus iudex esse potest.*
In Iudice iudicium desideratur, & nu. 8.
2 *Caecus album a nigro secernere non potest.*
Caecus non caret iudicio.
3 *Caecitas mentis non oculorum impedit animi iudicium, & furor dicitur.*
4 *Philosophi quidam se luminibus priuarunt, quo commodius philosophari possent.*
5 *Areopagitae nocte solum iudicabant.*
6 *Caecus repellitur à postulando, & quarè.*
7 *Differentia inter Iudicem, & Magistratum.*
8 *Magistratus decorem, & splendorem publicũ desiderat.*
9 *Iudex debet sententias in scriptis proferre.*
10 *Magistratus illustres possunt sententiam per alios legere, & proferre.*
11 *Sententiae sine scriptis proferuntur in causis breuibus, & humilibus.*

Nihil breuius hac lege dici potest, inquit Duaren. cui concor. tex. in l. 1. §. quã-
1 uis, supra de postul. Caecus † iudicandi officio fungi potest, ratio est, quia in iudice nihil aliud desideratur, quam iudicium, vt per Duaren. hic in tit. nostro in cap. de ijs, qui iudices dari possunt, in princip. Vn-
2 de Caecus licet † non possit album a nigro separare, iniquum tamen ab aequo secernere potest, cum non careat iudicio, prout ce-

teri,

teri, qui iccirco a munere iudicandi remouentur, de quibus in l. cum Prætor, infr. hoc
3 tit. nost. † Cæcitas namque mentis, non oculorum est, quę impedit animi iudicium & furor appellatur, quem Cicer. lib. 3. Tuscul. quæst. ad omnia mentis cæcitatem di-
4 cit, legimusq́. † Philosophos quosdam luminibus se priuasse, quo commodius Philosophari possent; & adempto corporis visu, mentem magis exercerent, affectibus enim multis, qui per oculos maxime inferuntur, carebant, & hinc videmus, quod
5 olim † Areopagitarum sapientissimus consessus noctu dumtaxat iudicare consueuit; Vnde optimi iudices olim cæcitatem optabant, vt non haberent aliquem respectum personarum, vt per Cuiac. hic in l. nostra in fine, Accursius, & alij etiam post eum putarunt tex. nostrum intelligi debere de eo, cui superuenerit cæcitas, postquam iam iudex datus erat, pōt. n. hoc casu iudicādi officio fungi, sed dū cęcus est, non pōt dari iudex, quem intellectum hausit Accurs. ex ijs, quæ tradit Vlp. in l. 1. §. secundo loco, versic. casum, supra de postul. vbi inquit,
6 quod † Prætor repellit cæcum à postulando, quia insignia Magistratus videre, & reuereri non potest, sed senatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur, quærit postea, an Magistratum gerere possit cæcus, & iam cęptum retinere posse ait, sed ad nouum aspirare penitus prohibet, & ita videtur, quod dum iudex iam erat possit prosequi officium iudicandi, sed de nouo dari iudex minime possit. Iste tamen intellectus nec Duaren. loco de quo supra, nec Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. ca. 24. placuit, cum sit contra vim, & potentiam verborum ipsius tex. Accursius enim, & qui eum sequuntur, non intellexerunt differentiam Magistratus, & iudicis, Vlp. enim, dum loquitur de iudice, absolutè dicit, Iudicandi officio fungitur, explicataque quæstione de iudice, transit ad quæstionem de Magistratu, & dicit. Numquid ergo, & magistratum gerere possit, sed de hoc deliberabimus, & ait iam susceptū retinere, sed nouum assumere prohibetur,
7 ratioque diuersitatis† inter iudicem, & Magistratum assignari potest, quia in iudice nihil aliud desideramus, nisi iudicium prudentiam, doctrinam, ac virtutem, vt per Duaren. lib. 1. disputat. anniuers. c. 23.
8 In † Magistratu vero præter hæc omnia decoris cuiusdam, & splendoris publici habenda est ratio, vt in d. l. 1. supr. de postul. & l. rescripto, inf. de mun. & honor. in Magistratibusq́; dignitas quædam etiam corporis, & externorum ornamentorum splendor desideratur, multaq́; ab ijs administrari debent, quæ sine oculorum visu exerceri nequeunt, vt per Donel. d. c. 24. col. 4. ideo nil mirum, si cæcus nouum Magistratum assumere non possit, quod autem etiam si natus esset cæcus, non possit esse iudex, nulla lex dicit, & quid prohibet cæcum quamuis ita natum, vt numquam litteras didicerit, ea tamen prudentia esse, vt iudicare possit, vt per Donell. loco de quo supra.
Opponitur de l. 1. & passim in tot. tit. C. de
9 sentent. ex peric. recit. vbi cautum est † iudicem debere sententias ex scripto proferre, quod certè cæcus facere nō potest, ideo non poterit esse iudex. Pro solut. dicamus, quod licet ipse de per se non possit sententiam scriptis tradere, & eam scriptam proferre, per alium tamen id facere potest, vt per Bart. hic, vnde si habeat consessorem per illum sententia pronuntiari poterit, vt per Donell. d. cap. 24. col. 5. vel dicamus, quod aut uolumus, quod iste cæcus gerat Magistratum, aut sit iudex datus, & gerat
10 Magistratum, & ita illustris iudex sit † per alium sententiam legi, & proferri faciet, ut in l. 2. C. eod. tit. de senten. ex peric. recit. si uero est iudex datus, tunc quia ut plurimum causæ istis iudicibus datis commissæ
11 sunt breues, atque humiles, ideo † sine scriptis sententiæ ualent, ut auth. nisi. C. eod. tit. de sentent. ex peric. recit. Opponitur etiam ex l. cum Prætor. §. penult. infr. hoc tit. nost. ubi uidemus iudices eos esse prohiberi, qui à natura impediuntur, prout mutus, & surdus, sed cæcus est huiusmodi, ergò nō uidetur admittēdus ad munus iudicandi. Pro solut. dicamus, quod oculis non iudicatur, sed lingua, ideo mutus prohibetur, cæcus non: surdus autem prohibi-

tus

tus est ea ratione, quia auribus inprimis opus est ad audiendas partes, ut rectè quis iudicare possit, ut ibi uidebimus.

Cæcus iudicandi] alias iudicantis officio.

Ad l. VII. Vlp. lib. VII. ad edict.

Si quis, postea quam in ius vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa ius reuocandi forum non habebit, quasi præuentus.

SVMMARIVM.

1 *Miles effectus, postquam citatus erat, non potest reuocare forum militiæ.*
Fallit, vt nu. 24.
2 *In iudicium vocatus quasi præuentus dicitur.*
3 *Iudex ille in pari causa præferri debet, qui præuenit.*
4 *Forus mutari non potest.*
5 *Fori semper est idem locus.*
6 *Præuentio per solam citationem inducitur. Et citatio vnica sufficit.*
7 *Præuentio non inducitur ex sola porrectione libelli, nisi adsit citatio.*
8 *Litis pendentia non inducitur per solam porrectionem libelli.*
9 *Lis pendere tunc dicitur quando pars citata est.*
10 *Actor ius acquirit ex citatione facta ad forum rei, quod a se auferri non debet.*
11 *Præuentio non inducitur nisi citatio sit legitima.*
12 *Citatio iniusta inutilis est, & perinde habetur, ac si non interuenisset.*
13 *Verba iuris cum effectu accipi debent.*
14 *Citatio, vt sit valida, plura requiruntur.*
15 *Citatio debet esse decreta ad requisitionem partis.*
16 *Citatio debet esse emanata de mandato iudicis competentis.*
17 *Citatio debet continere causam, ad quam quis citatur.*
18 *Citatio vt arctet, debet esse formata ad respondendum in causa, de qua agitur.*
19 *Citatus non potest declinare forum, in quo fuit citatus etiam si mutet conditionem.*
20 *Citatus non potest allegare litis pendentiam apud alium iudicē, coram quo contumax sit, nisi refectis expensis contumacialibus.*
21 *Fori alterius quis incipit esse dupliciter.*
22 *Domicilium vbi quis habet, ibi forum sortitur.*
23 *Milites habent proprios iudices militares.*
24 *Scholares habent iudicem Rectorem studij, ad quem remitti debent.*
25 *Laicus conuentus coram iudice temporali, si clericus efficiatur conueniendus est coram iudice Ecclesiastico.*
26 *Præuentio non datur in crimine hæresis.*
27 *Fori exceptio non potest opponi iudicio semel accepto.*
28 *Vocare in ius quid sit.*
29 *Militia duplex est.*

DE eo, qui dum conuenitur, habet priuilegium reuocandi domum, est tractatum, nunc de eo videndum est, cui priuilegium superueniat, postquam in ius vocatus est, an possit reuocare forum, & cum lege nostra concordat tex. in l. cum quædam supr. de iurisd. omn. iud. in l. Vbi cœptum, infr. eod. & in c. proposuisti, extr. de for. compet.

1 In iudicium vocatus, si postea † miles efficiatur, non potest petere se remitti ad forū suum militiæ, de quo in l. Magisteriæ. C.
2 de iurisd. omn. iud. ex quo † enim in iudicium vocatus est, ideo quasi præuentus dicitur, vt in tex. nostro, qui intelligi debet de eo, qui conuentus fuerit coram iudice suo, & competente, quem alioquin declinare non poterat, vt per Duare. in tit. nr̄o. in c. de for compet: col. 4. & per Donel. lib. 17. comment. iur. ciuil. cap. 18. in princip & ideo tenetur causam prosequi coram iudice, qui prius illum citauit, in † iudicibus
3 enim in pari causa, is qui præuenit præferendus est. l. neganda, & ibi Bart. in 1. not. notat C. qui accus. non poss. & hoc etiam si post præuentionem citatus statum, & conditionem personæ mutauerit, † quia forus
4 mutari non potest, vt per Cuiac. hic in
5 princ. Vnde eiusdem fori † idē locus semper dici-

dicitur,siue initij ipsius iudicij,siue finis.l. 3.§.fina infr. de act. empt. sequitur ergo, quod per solam in ius vocationem, hoc est
6 † per citationem inducitur præuentio, vt in d.c.proposuisti ext.de for.compet. sufficitque vnica tantum citatio,ut per Costal. hic num. 21.facit gloss.in clem.1.in princ, de iudic.& tex. in l. Titia Seio §. vsuras
7 infr.de leg.2.& ita † non erit satis libellum contra aliquem in actis porrectum esse,nisi etiam citatio emanauerit,quatum ad hoc,
8 vt dicatur præuentus, cum † per hoc non inducatur litis pendentia, vt per glos. in l. 1.supr.de in ius vocan.trad. Castr. hic nu-
9 mero 2.parte † namque citata tunc lis pendere dicitur,vt in Clem. 2.ut lit.pend.& id quidem ad commodum actoris, qui ex
10 citatione iam facta † ad forum rei ius acquisiuit,quod a se amplius auferri non debet argum.l.fin.supr.de pact.& l. 2. sup.de his,qui sunt sui, vel alien. iur. Hæc autem omnia declarantur, ut uera sint, quando citatio fuerit ualida,& legitima, alias †.n. si nulla sit, per eam non dicitur præuenta iurisdictio,ut in d.c.proposuisti ibi,legitime citatus,extr.de for. compet. gloss. fin. in c. cum plures de off.de leg.lib.6. & probat in argum.tex.in l.4.§.condemnatum infr.de re iudic. firmant omnes DD. hic, ut per
12 Costal.& cæteros, † quæ enim iniusta uocatio est,eadem & inutilis,perindeque habetur quasi non interuenisset l. non dubiū C.de legib.vnde licet tex. noster absolute dicat, in ius uocatus est, ubi tamen com-
13 pertum est,vt † uerba iuris cum re, & effectu sint accipienda l.1.§.1.sup. quod quisque iur.l.penul.§.1.sup.ne quis eū q in ius
14 uocat.est. Ad hoc autem, † ut citatio uali-
15 da sit plura desiderantur,primo † quod ad partis requisitionem sit decreta, cum alias non diceretur legitima d. c. proposuisti,& ibi Abb.num.2.extr. de for. compet. item
16 quod † fiat de mandato iudicis l. neminē C. de exhib.reis, & quidem competentis, quia alias non dicitur legitima, neque arctat citatum l. 3. supr. hoc tit. l. uir bonus
17 infr.iudic. solu.ulterius † in ea debet exprimi causa,ad quam citatur quis, alias enim non erit legitima,Clem.fin.ut lit. penden. tradit Guid. Pap. decis.153. in fin. debet etiam esse executa,secus uero si tantū mandata sit,argum.l.qui absenti §.si quis infr. de acquir.possess.trad.Castr. hic num.3.& Petr.Barbos.nu. 32. tandem debet esse ita
18 formata,† ut sit ad respondēdum in causa de qua agitur, secus uero si ad aliū effectū facta fuerit,ut per Iafred. Lanfr.Balb. decis. 60.per tot.conclusio ergo ex his omni-
19 bus sequitur, † quod si quis in ius uocatus sit, non possit amplius illum forum declinare,etiā si nouum forum acquirat, quod tamen aliquando sibi utile esse potest, si enim conueniatur coram nouo iudice, poterit eius forum declinare, & petere se remitti ad primum iudicem, ubi lis inchoata dicitur,ut per Castr.hic num.6.quod tamen uerum est, nisi citatus esset contumax
20 coram primo iudice citante,tunc † enim si citetur per alium iudicem in eadem causa, non poterit allegare præuentam esse iurisdictionem per primum iudicem. quem ipse contempsit,nisi refectis expensis contumacialibus,ut per Bart. in l. sepulchri infr. de sepulchr. violat.tradit Castr.hic nu.7.

Ampliatur conclusio tex.nostri, ut procedat non solum in milite, uerum etiam in quocumque alio,qui alterius fori esse cæ-
21 perit,ut in tex.nostro, † Dupliciter autem quis incipit esse alterius fori, uel quia mutauerit domicilium, ubi enim quis domi-
22 cilium habet,† ibi forum sortitur l. 2.C.de iurisdict.omn.iud. uel quia nouum priuilegium acquisiuerit proprij iudicis, quia scilicet,uel miles factus sit, aut studiosus ali-
23 cui Accademiæ subiectus, † Militibus nāque iudices militares sūt attributi,ad quos reuocant,cum conueniuntur l. Magisteriæ
24 C.de iurisd.omn. iudic. studiosis † pariter sunt attributi Accademiæ Rectores Auth. habita C.ne fil. pro patr. licet de istis studiosis non intelligatur tex. noster, ut mox mox subijciemus.

Limitatur autem primo in scholari, qui si post citationem uere scholaris efficiatur, non obstante præuentione, causa ad suum iudicem remitti debet,& id ex speciali fauore scholarium,ut post Bald. tradit concinus meus Ludou.Bologn. in Auth. habi-

ta nu. 210. C.ne fil. pro patr. fallit scd̃o in eo casu, quando quis mutaret forũ non ex propria voluntate, sed ex Principis iussu, & motu proprio, absquè suo facto, quia tunc priuilegio sui fori vti potest, vt per glos. pe nult. hic. tertio fallit quando ille, qui mutauit forum, mutauit simul statum, & conditionem personæ, vt quia ex laico Cleri-
25 cus factus sit, †tũc enim non obstante præuentione eoram iudice Ecclesiastico conueniendus est c. si diligenti, & c. proposuisti extr. de for. compet. tandem limitatur
26 † in crimine hæresis, in quo numquam datur præuentio inter iudices, qui etiam si mille essent, adhuc omnes citare, & cognoscere possunt, ut in c. vt officium de hæret. lib. 6.

Opponitur ex l. qui autem supr. si quis caut. ubi qui nouo priuilegio utitur, non videtur in eadem causa sisti, ergò post cœptum iudiciũ licet uti nouo priuilegio; Pro solut. dicamus vna cum Cuiac. hic, quod quis cœpto iudicio potest uti nouo priuilegio in eodem tamen foro, ut quia impetrauerit inducias anni, aut quinquennij,
27 sed † iudicio semel accepto, nulla exceptio fori adduci potest. Opponitur adhuc de l. qui eum vno §. reus infr. de re milit. ubi miles reus criminis capitalis capite puniẽdus est, nec remittendus est ad iudicẽ, vbi reus postulatus sit, ergò contra text. nostrum. Pro solut. est dicendum, quod ille text. loquitur de eo, q̃ reus est capitalis criminis, & ita iam condemnatus est à primo iudice, vnde ad eum non remittitur, quia iam damnauit, & post damnationem desijt esse iudex, cùm iam sit finitum iudicium, ut per Cuiac. hic in fine.

In ius vocatus est] iuris scilicet experiundi causa, ut in l. 1. supr. de in ius uocãd.
28 † uocare autem in ius est, uel uolentem ducere, uel inuitum trahere.

29 . Miles] Militia † autem duplex in iure nostro est, altera armata, quæ belli causa suscipitur, de qua in l. item miles infr. de re iudic. & in l. 1. C. de iur. & fact. ignor. altera uerò ciuilis, quæ est Ministerium publicorum Principis negotiorum, cuius causa salaria (ut commoda) à Principe tribuuntur.

. Reuocandi forum] Reuocare forum quid sit, supradictum est in l. 2. §. legatis hoc tit.

Ad l. vij. Gaius lib. 2. ad edict. Prouinciale.

Si quis in legatione constituerit, quod ante legationem debuerit: non cogi eum ibi iudicium pati, vbi constituerit.

SVMMARIVM.

1 *Legatus in loco legationis non potest conueniri de constituto facto ibi, super eo, quod ante debebat, & nu. 9.*
2 *Accessorium debet sequi naturam sui principalis, & num. 9.*
3 *Constitutum quarè inuentum fuerit.*
4 *Actum corroboratiuum praecedentis obligationis faciens, non sortitur forum in eo loco.*
5 *Conciliatur l. si quis in legatione ff. de iudic. & l. eum qui §. 1. ff. de constit. pecun.*
6 *Dictio, sed & si, ponitur inter diuersa, & ius idem importat, & num. 9.*
7 *Verba legis captari non debent.*
8 *A verbis legis non est recedendum.*
10 *Facti diuersitas diuersam iuris decisionem requirit.*
11 *Ex facto ius oritur.*
12 *Constituere quid importet.*

1 Legatus † si in legatione constituat se soluturum quod prius debebat, non potest cogi iudicium pati in loco legationis, cuius tex. nulla alia ratio esse potest,
2 nisi quia † accessorium debet sequi naturam sui principalis l. cum principalis infr. de reg. iur. §. liberis Instit. de pupill. substit. vnde sicut pro principali obligatione legatus in loco legationis ea durante conueniri non potest, ita nec per istud constitutum ibidẽ conueniri poterit; vel altera ratio sit, quia

3 † quia constitutum principaliter inuentum est ad corroborandum debitum præcedẽs, & ideo noua actio à Prætore conceditur, quæ de constituta dicitur §. de constituta
4 Instit. de act. sed † qui facit actum corroboratiuum præcedentis obligationis propter hoc non sortitur forum in loco, in quo actũ corroboratiuum facit, ut per Rom. in l. nõ videtur supr. hoc tit. nostro, & per Iason. in l. more num. 29. supr. de iurisd. omn. iudic. nil mirum itaquè si ibi conueniri non possit.

Obstat huic legi tex. in l. eum qui §. 1. infr. de constit. pecun. ubi inquit tex. quod Iulian. putat conueniri debere legatũ Romæ constituentẽ ꝙ in prouincia acceperat, ergò directè contra tex. nostrũ nolentẽ, qđ
5 Romæ possit couenìri, glos. hic † pro concilianda hac antynomia ualde laborat, variasquè solutiones in medio protulit, quæ apud ipsam videri possunt, magis recepta est illa, quam in d. l. eum qui glos. tertio loco affert, & quæ à Castr. hic refertur, & ꝓbatur, quod scilicet in casu legis nostræ simpliciter legatus constituat se soluturũ, nec locum exprimat vbi soluere deberet, vnde per illud constitutum non debet posse cõueniri in loco legationis, & sic non debet ammittere priuilegiũ domum reuocandi, In d. verò l. eum qui §. 1. infr. de constit. pecun. legatus expressit locum ubi soluere debeat, constituit enim se soluturum Romæ, undè non est mirum si ibi conueniri possit, & ammittat priuilegiũ domum reuocandi, cum constituendo se in eo loco soluturũ illi renunciare videatur. Cuiac. sup. in l. 2. §. legatis hoc tit. col. 3. ut tollat hoc contrarium de istis iuribus inquit in d. l. eũ qui §. 1. neg atiuam (non) desiderari, & ita vult legendum esse (Iulianus nõ putat conueniri debere legatum Romæ constituentem) & hoc modo tex. ille non erit contrarius huic nostro, imo concordabit, & pro roboranda hac sua opinione ponderat uersiculum subsequentem ibi, in quo dicit I. C. (sed & si nõ cum Romæ esset, sed in prouincia adhuc constituit se Romæ soluturum, denegatur in eum actio de constituta) di-
6 ctio enim † (sed & si) ponitur inter diuersa, sed denotat postea ius idem, vt in princip. Instit. de ingen. tradit Bart. in l. sed & si lege num. 1. infr. de petit. hæred. ad hoc ergò ut sit idem ius in primo, & secundo uersiculo d. l. eum qui §. 1. dicendum est, quod sicut in secundo denegatur in legatum actio de constituta, ita & in primo denegãda sit, nec Romæ conueniri possit, & hoc modo hæc duo iura non erunt contraria, sed concordantia, non placet hæc conciliatio Cu-
7 iac. cum habeamus, quod † uerba legis captari non debent l. penult. infr. ad exhib. iuraquè à nobis, prout littera iacet sunt ex-
8 plicanda, † nec à verbis ipsorum est recedendum l. non aliter infr. de leg. 3. Bart. in l. nõ dubium C. de legib. Alio pacto Hug. Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. cap. 14. colum. 8. putat concilianda esse hæc iura, ut scilicet dicamus, quod in lege nostra Gaius determinat de loco, ubi legatus nõ possit conueniri, & inquit, quod in loco legationis non potest cogi iudicium pati, non tamen sequitur, quin alibi postea conueniri non possit, in loco nempè domicilij, uel contractus, Vlpianus verò in d. l. eum qui §. 1. infr. de constit. pecun. determinat non de loco, ubi cõueniri non possit, sed de obligatione, an illa teneat necnè, & determinat constitutum ualere, & legatum conueniri debere, quod intelligi debet in loco sui domicilij, & pro roboranda hac sua conciliatione, considerat, & ipse vtrumquè uersiculum in d. l. eum qui, nam in uersiculo (sed & si) denegatur simpliciter, & in totũ actio de constituta, in primo uerò uersiculo denegatur tantum Romæ, ratio primi uersiculi est, quia legatus dum Romæ esset indefinitè constituit se soluturum, ideo Romæ denegatur actio propter priuilegium, quod habet reuocãdi domũ, ratio uerò secũdi uersiculi, dũ. s. vult, ꝙ nõ obligetur, si in ꝓuincia cõstituat se soluturũ Romę, est, quia neutrubi conueniri potest, neque in Prouincia, neque Romę, non in Prouincia, quia non constituit se ibi soluturum, sed Romæ, non etiam Romæ, quia cum in prouincia constituerit, constituit ante legatio-
9 nem, † & legatus de eo, quod ante legationem etiam Romæ constituit, Romæ non tene-

teretur l. 2. §. item extra supr. hoc tit. nost. & ita intelligendo hæc iura, non erunt contraria; Reijcienda est etiam hæc solutio Donel. propter illum uersiculum sequentem, (sed & si) de quo in d. §. 1. l. cum qui, cū ius idem, & factum diuersum denotet, ut supr. dictum fuit, hoc enim modo intelligendo, & ius, & factum diuersum importaret contra propriam naturam, Petr. Barbos. in l. 2. §. legatis num. 141. cum seq. supr. hoc tit. nostro putat hæc duo iura non esse contraria, sed quod vnum veniat ad ampliationē alterius, præposterat enim illa duo dicta, de quibus in l. cum qui §. 1. infr. de constit. pecun. & exorditur à secundo dicto, quod scilicet si legatus adhuc in prouincia existens, constituat id, quod in prouincia acceperit, se Romæ soluturum, non dabitur Romæ aduersus eum actio de constituta pecunia, cuius dicti eam putat esse rationē, quia non potest videri renunciasse priuilegio legati, quod adhuc sibi non competebat, unde Romæ conueniri non pōt actione de constituta, quia poterit opponere de priuilegio sibi competenti reuocandi domum. Ampliatur ex mente Barbosæ hæc conclusio per dispositionem tex. nostri nē pè l. si quis in legatione, in qua habetur, q licet quis iam legatus, & Romæ existens cōstituat se soluturum id, quod ante legationem debebat, adhuc actio de constituta in eum non dabitur, & est ratio, quia cum constitutum necessariā habeat relationē ad id, quod ante legationem debebatur, naturam sui principalis sequi debet, ut superius est dictum, quod scilicet durante legatione, pro eo legatus non conueniatur, nisi expresse istud conuentum esset, ut in l. 3. infr. de legation. Limitatur autem hæc conclusio secundum Barbos. ut non procedat tunc, quando legatus Romæ existens constituat etiam se Romæ soluturum, tunc enim actio de constituta aduersus eum dabitur, ut Romæ cogatur soluere, prout promisit, & hæc est dispositio dictæ l. cum qui §. primo, in primo versiculo, quæ dispositio, ad hoc ut locum habeat, duo copulatiuè requiruntur, quod scilicet Legatus Romæ sit, & quod constituat se soluturū Romæ, quorum vnum si deficiat non procedet limitatio, & ideo si legatus Romæ existens, simpliciter constituat se soluturum, nec Romæ exprimat, non poterit Romæ conueniri, quia cessat alterum ex prædictis requisitis, & ita tantum abest, quod hæc duo iura contraria sint, ut unum ueniat ad ampliationem alterius, verum hæc præpostera tio facta à Barbosa non placet cum leges, prout compositæ fuere, & prout iacēt sint accipiendæ, nec nostrum sit ordinem compilatorum præuertere. Quarè cōciliationem horum iurium ego puto hauriendam esse partim ex cōmuni illa solutione de qua supra per Castr. & partim ex hac ultima solutione Barbosæ, ut scilicet dicamus, casus istarum legum inter se differentes esse, ideò etiam iura differentia esse de-
10 bere, diuersitas † enim facti diuersam iuris decisionē desiderat, ut per Rimin. iun. cons. 313. nu. 40. volum. 3. habemus enim,
11 quod † ex facto ius oritur l. si ex plagis §. in cliuo infr. ad l. Aquil. diuersitas autem consistit, quia legatus in lege nostra simpliciter dum Romæ esset, constituit se soluturum, nec de loco vbi sit facienda solutio aliquid dixit, nil mirum ergò si Romæ conueniri non possit propter priuilegium de quo supra, At in d. l. cum qui §. 1. infr. de constit. pecun. legatus non simplicitèr constituit se soluturum, sed Romæ promisit soluturum, ideo nil mirum si ibi conueniri possit, quasi renunciauerit priuilegio sibi competēti, cum duo hæc copulatiuè requirantur, ad hoc ut legatus Romæ conueniri possit, quod scilicet promissio sit facta, & quod sit facta de ibi soluendo, ut per Barbos. ubi supr. num. 151. cum ergò diuersitas sit in facto, etiam diuersum ius oritur ex istis iuribus, & ita hæc iura inter se non erunt contraria.

Si quis in legatione] existēs supplicamus, ut per Castr. hic in fin.

12 Constituerit] † constituere autem est sine stipulatione promittere se daturum, vel facturum id, quod iam debetur, uel pro semetipso, uel pro alio l. 1. & passim in toto tit. infr. de constit. pecun.

Ad

Ad l. ix. Vlpianus lib. 9. ad edictum.

Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt: & cuiusq; Prouinciæ.

SVMMARIVM.

1 *Insula vario iure censentur.*
2 *Correctores Italiæ præsunt, & iurisdictionẽ habent ad eam purgandam malis hominibus.*
3 *Insulæ Italiæ pertinent ad fora Italiæ.*
4 *Insulæ sunt pars illius prouinciæ, vbi sunt propinquæ.*
5 *Modicum spatium dicitur de centum milliaribus in terra, & de duabus dietis in mari.*
6 *Insulæ quãdoquè etiam valdè remotæ ab aliqua prouincia, dicuntur illius prouinciæ ratione vicinitatis alterius Insulæ, quæ sit de illa prouincia.*
7 *Insula Sardiniæ dicitur pars Italiæ.*
8 *Insula quæ propriè sit, & vnde dicta sit.*
9 *Italia quousquè se extendat.*
10 *Italia dicitur Regina, & domina aliarum prouinciarum.*
Nec subiacet tributo.

LEx hæc licet paucis verbis expediatur, & ideò parui momenti videatur, cum solum denotet nobis, quod Insulæ Italiæ dicuntur pars ipsius, sicut etiam, & in quacumquè altera Prouincia, in qua Insulæ positæ eius pars dicuntur, vtilitatem maximam continet, quæ versatur circa cognitionem iurisdictionis, quis scilicet in Insulis ius dicere valeat, nam vt Aristot. in
1 lib. de Mundo ait † Insulas alij censent proprio iure, quidam eas eximunt à iure terræ continentis, alij verò attribuunt eas finitimis patrijs I.C. Vlpianus hic noluit eas cẽseri proprio iure, sed ait Insulæ Italię pars
2 Italiæ sunt, quarè sequitur, † vt Correctores, qui Italiæ præesse dicuntur, iuxtà tex. in l. ex omnibus supr. de offic. Præsid. iurisdictionemquè in Italia in terra firma habent, ut illam purgent malis hominibus l. cõgruit. sup. de off. Præsid. ius quoq; dicere debeant in Insulis, quæ Italiæ propinquæ
3 sunt q̃a Insulę illæ sũt pars Italiæ, & † ideò pertinent ad fora ipsius, & Insulani cognoscũt cõem forũ Italiæ, vnde de eis idem statui debet, quod de Italia argum. l. quæ de tota infr. de rei vend. sic pariter Præsides, qui in Prouincijs ius dicunt, habent etiam iurisdictionẽ, & in Insulis, quæ propinquæ sunt ipsis Prouincijs, & ideò Insulani ipsarum communem forum Prouinciæ agnoscunt, ut per Cuiac. hic. Vt autem cognoscamus quomodo Insula, vel Italiæ, vel alterius Prouinciæ esse dicatur ad Bar. recurramus in suo tract. de Insul. ĩ verb. (Nullius
4 enim) in princip. vbi voluit † Insulas dici illius prouinciæ, à qua modico spatio distãt,
5 † modico autem spatio distare putat, quando distant per centum milliaria, vnde ait Italiæ Insulas dici illas, quæ ab ea non distant ultra centum milliaria, & quæ duab. dietis tantum per mare distant, argumen. tex. in c. nonnulli extr. de rescript. quinimò
6 etiam aliquando Insulæ, licet † ualdè remotæ sint, & ultra duas dietas, & centum milliaria, adhuc tamen alicuius prouinciæ dicũtur ratione vicinitatis alterius Insulæ, quæ ipsius prouinciæ sit, prout exemplum
7 affertur in Insula † Sardiniæ, quæ licet ab Italia magno spatio distet, quia tamen est propinqua Insulæ Corsicæ, quæ modicum ab Italia distat, ideò Insula Italiæ dicitur, ut per Bartol. loco de quo supr. numero 3.

Insulæ] Insula non erat olim nisi maris,
8 ex eo dicta, † quod in salo posita sit, vnde mutata littera, a, in, u, insula dicta fuit, ut per Schar. in suo Lexic. in verb. (Insula) hodie verò etiam fluminum Insulæ dicuntur, ut in §. Insula Instit. de rer. diuis.
9 Italiæ] Italia † durat vsquè ad Galliã, & vsquè ad Siciliam, ut per gloss. 2. in l. 1. supr. de off. præfect. Vrb. terminaturq; per duo maria Adriaticum scilicet, & Lugdunense, diciturquè Regina, & domina aliarum Prouinciarum, nec subiacet tributo, vt per glos. in l. omnes C. sine censibus, uel reliqu.

Ad l. x. Vlpianus lib. x. ad edictum.

Destitisse is videtur non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum. desistere enim est de negotio abstinere, quod calumniandi animo instituerat. Planè si quis, cognita rei veritate, suum negotium deseruerit, nolens in lite improba perseuerare, quam calumniæ causa non instituerat: is destitisse non videtur.

SVMMARIVM.

1 *Materia huius legis vtilis est, & notabilis, licet à paucis explicetur.*
2 *Edictum de calumniatoribus quid disponat.*
3 *Turpillianum S. C. aduersus quos emanauerit.*
4 *Tergiuersatores appellantur, qui in vniuersum ab accusatione desistunt.*
5 *Desistere à lite quis dicatur.*
6 *Pœnæ imposita ijs, qui a lite desistunt, duo requirit.*
7 *Qui cognita veritate, nō vult amplius litem prosequi, dicitur differre, non desistere.*
8 *Desistere sonat in malam partem.*
9 *Actor ad iudicium instructus venire debet, nec malam causam fouere, alias in expensis condemnatur.*
10 *Desistere, & differre, quomodo differant.*
11 *Negotium pro lite ponitur.*
12 *Calumniari quis dicatur.*

Materiam illius, qui à iudicio desistit, proponit Vlp. I. C. in hac lege,
1 quæ † vtilis est, & notanda, ut per Iacob. de S. Georg. hic, licet à paucis explicetur, neque enim Costal. neque Duaren. neque Donell. nec Petr. Barbos. nouissimè de ea uerba habent, nos tamen circa eam aliqua dicamus, pertinet namque lex hæc ad edictum de calūniatoribus, ut per Cuiac. hic
2 in princip. quo † edicto coercentur ij, qui à lite calumniandi animo instituta desistunt pretio accepto, pertinet etiam ad S. C. Tur
3 pillian. quo † puniuntur ij, qui in uniuer-
4 sum ab accusatione desistunt, † qui tergiuersatores appellantur, ut in l. 1. in princip. infr. ad S. C. Turpil. declarat itaque lex nostra, quis nam desistere dicatur, aitquè quod
5 ille † dicitur destitisse, qui liti in totum renunciauit, quam calumniandi animo instituerat, non qui distulit prosequi litem, & cum hac l. concord. tex. in l. destitisse supr. de minor. in l. ab accusatione §. animo, in l. destitisse infr. ad Turpil. S. C. & in l. final. C. eod. tit. ad Turpil. S. C. vnde ad hoc, ut quis subijciatur pœnæ impositæ ijs, qui à
6 lite desistunt, † duo concurrere debent, ut per Castr. hic, primo quod in totum liti renunciauerit, secundo quod lis improba, & calumniosa esset.
7 Et ideò † si quis cognita rei ueritate, cū à principio haberet iustam causam litigandi, in processu uerò cognoscat se non fouere iustam causam, & nolit amplius prosequi, non dicitur destitisse, sed potius distulisse, ut in secunda parte tex. nostri, cui concord. l. Senatus cēsuit in princip. infr. de iur. fisc.
8 & in l. 2. C. de abolit. illud enim † verbum (desistere) sonat in malam partem, quod scilicet calumniosa lis, & improba esset, hancquè secundam conclusionem tex. nostri locum habere in reo dicebat Castr. qui quidem ex processu potest in cognitionem uenire, an iustam causam foueret, uel ne, secus uerò in actore, in quo uerificatur tan-
9 tum prima conclusio tex. nostri; † Ad iudiciū n. instructus uenire debet, nec malam cām fouere, alias tamquam temerarius litigator in expensis, condemnari debet l. eū quem temere infr. hoc tit. nostr. & si desistat edicto Pretoris de calumniatorib. coercendus uenit, unde colligamus differentiā
10 esse inter desistere, & differre, desistere †. n. dicitur ille, qui litem improbam mouit, & desistere est in totum deserere, differre uerò ille dr, qui iustam causam litigādi habet, & solum procrastinat in prosequendo litē.

Desistere enim] desistere est renunciare, unde desistere litibus Terēt. dicebat in Phor. idest litibus renunciare, ut per Iò. Cruc. hic.

De

11 De negotio] † negotium pro lite ponitur, ut in l. qui explicandi C. de accusat. & ideò executores modo dicuntur litium, modo negotiorum, ut per Cuiac. hic.

12 Calumniandi animo] † calumniari dicitur, qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat, ut Paul. lib. 1. sentent. c. 5. dixit, & ideò aduersus istum competit actio illa calumniæ antiqua, de qua per Imper. in §. hæc autem Institut. de pœn. temer. litig.

Ad l. xi. Vlpianus lib. xij. ad edict.

Si à me fuerit arrogatus, qui mecũ erat litem contestatus, vel cum quo ego, solui iudicium Marcellus libro tertio digestorum scribit: quoniam nec ab initio inter nos potuit consistere.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium soluitur, si sequatur arrogatio illius, cum quo lis sit cœpta.*

2 *Actus deueniens ad eum casum, à quo incipere non potest vitiatur.*

3 *Iudicium soluitur, si litigans cum Monasterio, illud ingrediatur.*

4 *Lis contestata quænam dicatur.*

Circa huius legis explicationem nõ est insistendum, cum sit simplex ampliatio ad ea, quæ superius dicta fuerunt in l. lis nulla hoc tit. nostr. in tantum enim uerum est, quod lis nobis esse non possit, cum
1 eo, quem in potestate habemus, quod † si sequatur arrogatio illius, cum quo iam nobis lis sit, iudicium soluatur, cum deueniat ad eum casum, à quo incipere non potest, nec enim ab initio, inter nos lis esse potuisset, ut citat. l. lis nulla supr. hoc tit. cũ alijs legib. ibi pro concord. adduct. vnde colli-
2 gitur per DD. hic, quod † actus deueniens ad eum casum, à quo incipere non potest, uitiatur, & nullus redditur, l. pluribus §. & si placeat, & ibi Bart. infr. de uerbor. oblig.
3 & ideò Castr. & alij hic colligunt, † quod si quis litem habeat cum Monasterio, & postea lite pendente in eo Monasterio Monachus efficiatur, tunc iudicium soluetur, adeò quod non poterit amplius prosequi.
4 Litem contestatus] lis contestata sublatis formulis, ordinarijsque iudicijs, illa dicitur, quæ apud iudicem agi cœpta est, l. 1. C. de lit. contest.

Ad l. xij. Paulus lib. xvij. ad edictum.

Cum Prætor vnum ex pluribus iudicare vetat, cœteris id committere videtur.

SVMMARIVM.

1 *Vetare ille potest, qui & iubere potest.*

2 *Exclusio vnius, est alterius inclusio, & è conuerso. Fallit multis modis.*

3 *Tutoribus pluribus impuberi datis, si alter decedat, loco defuncti alius subsititui dēt.*

4 *Tutoribus pluribus datis, si vnus remoueatur, cæteri ex natura officij officium ipsum exercere valent.*

5 *Iudicibus pluribus si causa sit commissa, vnus sine altero expedire non potest.*

6 *Committere quid importet.*

1 Cum eius † sit uetare, cuius est iubere, ut Cuiac. hic exordit, Prætor autem iubeat, dum iudices delegatos dat, ideò nil mirum si uetare possit unum ex pluribus iudicibus à se datis iudicare, quo casu si id faciat, tunc alijs id committere uidetur, ex-
2 clusio † enim vnius alterius inclusio dicitur, & è conuerso, ad quam regulam passim allegatur tex. noster, & cum eo alia multa iura, ut tex. in l. ait Prætor §. sed quod Papinianus supr. de minor. in l. Labeo infr. de compensat. in l. cum tale §. fin. infr. de condit. & demonstrat. in l. maritus C. de procurat. & in c. nonnè extr. de præsumpt. Quæ regula postea patitur uarias limitationes, & fallentias, octo enumerantur per Beninc. in §. actionum num. 277. cum seq. Instit. de act. duæ afferuntur per Socin. iun. in

l.Gallus §.& quid si tantum num.45.infr. de lib.& posth.alias proponit Caccher. in Pedemont.decis.45.nu.12.cum seq.Petr. Barbos.hic nu.49. & ipse limitat hanc regulam varijs modis.

Opponitur de tex.in l.si quis sub condi
3 tione in fin.infr.de testam.tut. ubi †si plures sint dati tutores impuberi, vnusquè ex illis decedat,tūc loco defuncti alius substitui debet,ergò ita in casu nostro, dū vnus prohibetur iudicare,alter in locū eius subrogari debet. Pro solut.inquit Castr.quod licet vnus subrogetur in locum tutoris defuncti,alij tamen poterant interim administrare tutelam, cum quilibet eorum ha-
4 beat officium insolidum, si ergò †vnus remoueatur,cæteri ex natura officij officium ipsum exercere possunt,& sic tutela non patitur moram per subrogationem faciendā, secus verò est in casu nostro, in quo quādo
5 plurib. iudicibus fuit commissa causa, † vnus sine altero non potest expedire, & si interim expectaretur subrogatio,causa morā pateretur,quarè fatendum est, quod alias in locum mortui alter subrogari potest, ut in l.si longius infr.hoc tit.nostr. ante subrogationem tamē alij possunt iudicare,quasi illis illud sit commissum,uel dicamus cum Petr.Barbos.hic nu. 29. quod quando tutor subrogatur in locum mortui in casu d. l.si quis sub conditione, id fit ratione speciali,quia sumus in tutoribus testamento datis,ut enim satisfiat volūtati patris plures tutores filio relinquentis,loco defuncti alius subrogandus est,sed antequam subrogetur,alij administrare possunt l. decreto infr.de administr. tur. Opponitur adhuc de c.uno delegatorum extr. de off. deleg. ubi si plures dati sint iudices, & vnus moriatur,alij non possunt se ingerere in iudicio sine noua delegatione.Pro solut.Castr. inqt aliud esse quando unus moritur,aliud quando superior, qui delegauit, uetat aliquem non se ingerere, tunc enim censetur uelle,quod alij sine illo expediant, nec est necessaria noua delegatio.

6 Committere] idest † iam commissum relinquere,ut per gloss.hic, uel committere,idest iniungere,& imperare, ut per Cuiac.hic.

Ad §. Iudicem dare.

Iudicem dare possunt,quibus hoc lege, vel cōstitutione, vel Senatuscōsulto cōceditur,lege,sicut Procōsuli,is quoque,cui mādata est iurisdictio, iudicem dare potest:vt sunt legati procōsulum:item hi,quibus id more concessum est propter vim imperij: sicut Præfectus Vrbi,cæterique Romę Magistratus.

SVMMARIVM.

1 *Iudicem dare possunt ij,quibus hoc lege, vel constitutione,vel S.C. vel more est concessum.*
2 *Iurisdictio est iudicis dandi licentia.*
3 *Iurisdictio vbi est,ibi & iudicis dandi facultas est, & è conuerso vbi non est iurisdictio,ibi non est iudicis dandi facultas.*
4 *Iurisdictionem qui habet,iudicem dare potest.*
5 *Iurisdictionem iudices dupliciter habent.*
6 *Magistratus omnes,& ordinarij iudices iudicem dare possunt.*
7 *Magistratibus Romæ quæ sunt cōcessa, sunt quoquè attributa Prouincialibus.*
8 *Exempla non restringunt,sed declarant.*
9 *A verbis legis non est recedendum.*
10 *Mandatam iurisdictionem habentes iudicē dare possunt.*
11 *A legato Proconsulis arguitur ad eum, cui mandata est iurisdictio.*
12 *Media sumunt declarationem à suis extremis.*
13 *Legis pars vna alteram declarat.*
14 *Magistratuum tria sunt genera, Vrbani, Prouinciales,& Municipales.*
15 *Magistratus Municipales non dant iudicem.*
16 *Magistratus Municipales solum in seruos habent coercitionem.*

17 Con-

17 *Consuetudo tribuit facultatem dandi iudicem.*
18 *Quæ specialiter à lege deferuntur, alteri mandari non possunt.*
19 *Mandata iurisdictio alteri mandari non potest.*
20 *Mandare iurisdictionem potest, qui eam iure proprio, non alieno habet.*
21 *Mandare iurisdictionem, & dare iudicem differunt.*
22 *Mandare iurisdictionem quid importet.*
23 *Iudicem dare quid sit.*
24 *Index datus iudicem dare non potest.*
25 *Qui iudicare iubet, Magistratum esse oportet.*
26 *Mandatam iurisdictionem qui habet, fungitur vice Magistratus, & eius imperio vtitur.*
27 *Proconsules qui nam sint.*
28 *Textus iste debet intelligi de ijs, qui mandatam iurisdictionem à lege habent. & num. 10.*
29 *Præfectus Vrbi quis sit, & à quo primo fuerit institutus.*
30 *Magistratus dicitur, apud quem est arbitrium moderandæ Reipublicæ, vel Ciuitatis.*

CVm in principio legis nostræ fuerit firmatum, quod Prætor vnum ex iudicibus datis iudicare vetando, cæteris id committere videtur, sequitur, quod Prætor habeat facultatem iudicis dandi, hinc itaquè sumpta occasione, quæritur, qui nã sint ij, qui possint iudices dare, & è conuerso, qui nam iudices dari possint, de quibus duobus tractat Paul. I. C. in §. nostro, & sequenti vsque in fin. huius legis. Quoad primam itaquè quæstionem, qui nam iudices dare possint, ex hoc tex. illud primo col-
1 ligitur, quod † iudicis dandi facultas spectat ad eos, quibus hoc lege, vel constitutione, uel S.C. aut more conceditur, quod etiam colligitur ex l. penult. infr. hoc tit. nostro; & illud facili negotio suadetur ex ijs, quæ tradit Vlp. in l. Imperium supr. de
2 iurisdict. omn. iud. dum dicit, quod † iurisdictio est iudicis dandi licentia, quod Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. cap. 23. in princip. ait ita accipiendum esse, ut intelligatur, iudicis dandi licentiam esse iurisdictionem, hoc est iurisdictionis, adeò ut di-
3 ci ualeat, & affirmatiuè, & negatiuè, † vbi est iurisdictio, ibi est iudicis dãdi facultas, & è conuerso, ubi non est iurisdictio, nec ibi facultas est iudicis dãdi. Regulam ita-
4 què constituamus, quod † quicumquè iurisdictionem habet, iudicem dare potest, nisi à lege sibi prohibitum sit, & hoc est, quod dicitur iudicem dare possunt, quib. hoc lege, uel constitutione, uel S.C. conce-
5 ditur. Cum autem † iurisdictionem iudices dupliciter habeant, uel iure proprio Magistratus, & ordinarij iudices appellantur, uel iure alieno, & Pedanei iudices olim, hodie uerò delegati iudices dicuntur, quibus mandata est iurisdictio, ut supr. in Rub. huius tit. num. 11. dictum fuit, ideò circa ordinarios iudices dicamus, quod
6 † omnes Romæ Magistratus, qui iurisdictionem ordinariam habent, & ordinarij iudices sunt, iudicem dare possunt, ut hic in tex. nostro, quod etiam, & de omnibus Magistratibus Prouincialib. est intelligen-
7 dum omnia enim, † quæ sunt Magistratib. Romæ concessa, sunt quoquè attributa Proconsulibus, omnibusquè Præsidibus, & Correctoribus Prouinciarum, l. ex omnib. l. omnia, & l. sed licet supr. de offic. Præsid. quamuis in tex. nostr. mentio solum habeatur de Proconsule, id enim exempli causa
8 factum fuit, unde solet dici, † quod exempla non restringunt, sed declarant l. damni infecti (secunda) infr. de damn. infect. l. 1. §. quod vulgo infr. vnde vi. Circa iudices pariter delegatos, quibus scilicet sit mandata iurisdictio, ex hoc text. dicamus, eos quoquè iudicem dare posse, & licet inter DD. nostros nõ parua sit difficultas, & contentio, an tex. iste generaliter in quocumquè, cui mandata sit iurisdictio, & sic in omni delegato procedat, an uerò solum in legato Proconsulis, de quo mentio habetur hic inuersic. (vt sunt legati Proconsulũ) cui cõcord. tex. in l. legatus sup. de off. proconf.
9 & leg. vnde videtur, † quod a uerbis ipsius tex. non sit recedendum argum. l. non aliter infr. de leg. 3. ut sentit Bellon. lib. 3. sup

put.c. 10.mihi tamen magis placet, ut di-
10 camus hunc tex. generaliter † in quocum-
què cui à lege sit mandata iurisdictio intel
ligendum esse,& id quidem cum Duaren.
hic in tit.nostr.in c.de iudicib.dat.col.2.cũ
Alciat.lib.2.Paradox.c.5. & cum Donell.
d.c.23.col.2.id enim,quod de legatis Pro
consulum dicitur in tex.nostro, loco exem
pli positum est,quæ exempla (ut supra di-
ximus)non restringunt, legesque passim ar
11 guunt † de legato Proconsulis ad eos,qui-
bus mandata est iurisdictio l.1. §.fin.supr.
de offic.eius,l.1.§.an autẽ infr. de suspect.
tut.& quod in tex.nostro,id quod de lega-
to Proconsulis dicitur in viam exempli ꝓ-
12 cedat,patet† quia media sumunt declara-
tionem à suis extremis l. reos §. cum in ta-
bulis infr.de duob.reis,§. media Instit. de
capit.diminut.sed in principio tex.dum lo
quitur de ijs,quibus lege concessum est iu
dicem dare,loquitur per viam exempli, &
dicit(sicut Proconsuli) in fine etiam, dum
loquitur de ijs,quibus more concessum est
propter uim imperij iudicem dare, loqui-
tur per viam exempli,dum dicit (sicut Præ
fectus vrbi,cæterique Romæ Magistratus)
ergò etiam in medio, dum loquitur de eo,
qui mandatam iurisdictionem habet,& di
cit(ut sunt legati Proconsulum) debet in-
13 telligi per viam exempli, † vna enim pars
legis ab alia declarationem recipit l,sed &
posteriores supr.de legib.l.utrum aũt infr.
de petit.hæredit.& ita etiã alias hunc text.
declaraui in ordinarijs lectionibus Rubr.
sup.de off. eius in discussione illius q̃stio-
nis, an sit differentia inter dare iudicem,
& mandare iurisdictionem, Pro perfecta
autem cognitione illorum,qui iudices da-
re possint, dicamus cum Cuiac. hic, quod
14 † tria sunt genera Magistratuum,alij enim
Vrbani sunt,alij Prouinciales, alij Munici
pales, Circa Vrbanos illi dant iudicem, &
iure suo,ut more maiorem l. more supr. de
iurisdict. omn.& habetur hic in fin.tex.no
stri, Circa Vrbanos illi dant iudicem non
iure suo,sed quia sibi à lege concessum est,
ut hic in tex.nostro,& ideò legati Procon-
sulum dant iudicem, quia sibi à lege con-
15 cessum est. † Municipales autem non dant
iudicem,quia eis tantum permissum est,ut
ius dicant vsquè ad certam summam, nec
in liberos homines aliquã iurisdictionem
16 habent,† sed solum in seruos habent casti-
gationem l. Magistratibus supr. de iurisd.
omn.iud. Vltra istos etiam ex mente Ang.
hic,iudicem dare possunt ij,quibus ex con
suetudine id concessum est, Vnde colligũt
17 DD.† quod consuetudo potest tribuere fa
cultatem iudicis dandi.

Opponitur de l. 1.supr. de off. eius, ubi
18 dicit I.C. quod ea,† quæ lege,uel S. C.uel
constitutionib. Principum specialiter defe
runtur,non possunt mandari,neque trans-
ferri in eum, cui mandatur iurisdictio, at
iudicis dandi facultas lege defertur, ergò
videtur non posse mandari.Pro solut. dica
mus tex.in d.l.1.non dicere simpliciter, q
ea,quæ lege,S.C.& constit.deferuntur,nõ
possunt mandari,sed quod ea,quæ speciali-
ter,idest quæ iure speciali à lege deferun-
tur,cuiusmodi est tutoris datio, quæ non
competit iure magistratus, & similia man-
dari non possunt,& hæc quidem debent di
stingui ab eis, quæ competunt iure Magi-
stratus,& lege deferuntur, sed non speciali-
ter, & ita tolli posse hoc obiectum putat
Duaren.hic in tit. nostr.in d.c.de iudicibus
dat.col.2.Opponitur adhuc de l.fin. supr.
eod.tit.de off.eius, & de l. More maiorum
supr.de iurisd.omn. iud. in l.fin. hæc uerba
19 expressa habentur.(† Mandatam sibi iuris-
dictionem mandare alteri nõ posse mani-
festum est)in l.More dicitur,More maiorũ
20 comparatum esse, vt † is iurisdictionẽ man
dare possit,qui eam proprio beneficio,non
alieno habet;Ex quibus videtur,quod qui
mandatam iurisdictionem habet,iudicem
nequaquam dare possit, cum iurisdictionẽ
non suam,sed alienam habeat. Pro solut.
21 animaduertamus nos † differentiam esse
inter duos terminos,qui tamen in iure no-
stro confunduntur, mandare scilicet iuris-
dictionem , & dare iudicem , prout & ego
alias hanc differentiam extare ostendi in
d.Rubr.supr.de off. eius in fin. huius quæ-
stionis, vbi multas differentias proposui,
22 pro nũc dicamus, quod † mandare iurisdi-
ctionem est in iudicem transferre eandẽ

iuris-

iurisdictionem, quam habet ipse, qui mandat, ita ut ille, cui mandatur habeat imperium, & potestatem exequendi id, quod in
23 dicat † Iudicem uerò dare est simpliciter iudicem constituere, qui in aliqua causa iudicet sine tamen iurisdictione, & imperio exequendi iudicatum, in text. itaque contrario non dicitur, quod qui mandatam iurisdictionem habet, non possit iudicem dare, sed quod iurisdictionem mandare non potest, & hoc ea ratione, quia eam nō suā, sed alienam habet, & ita solum exercitium habet, iudicem uerò dare potest, quia iudice dato nihilominus in ea causa retinet iurisdictionem, cum ipse exequatur sententiam, quam iudex à se datus tulit l. à Diuo Pio in princip. infr. de re iudic. & hinc vi-
24 demus, † quod iudex datus iudicem dare non potest l. à iudice C. hoc tit. nostr. qui verò mandatam iurisdictionem habet, id facere potest, ut in tex. nost. Opponitur adhuc de l. eum qui supr. de iurisd. omn. iud.
25 vbi in uerbis dicitur, † eum qui iudicare iubet magistratum esse oportet, sed ille, qui mandatam iurisdictionem habet, & ita delegatus non est magistratus, cum iurisdictionem non habeat suo iure, sed alieno, ut alias superius diximus, ergò iudicem dare non potest. Pro solut. dicemus, quod dum dicitur, eum qui iudicare iubet Magistratum esse oportere, non per hoc excluditur
26 is, qui mandatam iurisdictionē habet, † cū is vice magistratus fungatur, & eius imperio utatur l. & si Prætor supr. de offic. eius l. solet sup. de iurisd. omn. iud. unde licet honore, & proprietate iurisdictionis non sit magistratus exercitione tamē imperij, atq; vsu pro Magistratu habendus est, dum uice eius, partibus, & imperio fungitur ita Donell. d. c. 23. col. 3.

Vel S.C. conceditur] ratione scilicet iurisdictionis, nam qui iurisdictionem habet iudicem dare potest, ut supr.

27 Sicut Proconsuli] † Proconsules erāt ij, qui in Prouincias mittebantur, antiquitus enim auctis Imperij finibus, institutum fuit, ut Magistratus crearentur, qui in Prouincias summo cum Imperio mitterentur, ut scilicet, qui Romæ Cōsulatum, aut Præturam gessissent, ij anno sequenti cum eodem summo Imperio in Prouincias mitterentur, vnde qui ex Consulatu Romæ ad Prouincias mittebantur Proconsules dicti fuere, vt per Vltramont. in descript. Magistr. Rom. in verb. (Proconsules) post comment. de ueib. iur.

Legati Proconsulum] isti à lege au-
28 ctoritatem habent † quare de ijs, qui man datam iurisdictionem a lege habent intelligi debet tex. noster.

Propter vim Imperij] idest iurisdictionem, quam iure Magistratus habent.

29 Præfectus Vrbi] † Præfectus Vrbi is dicitur, qui quoties cæteri peregrè proficiscuntur, in Vrbe relinquitur, ut ius dicat, ita Fenest. de Prætor. c. 13. quem Præfectū Vrbi Augustus primum instituisse dicitur, ut per Tranq. in Augustum.

30 Romæ Magistratus] † Magistratus ille dicitur, apud quem est arbitrium moderandæ Reipublicæ, uel Ciuitatis.

Ad §. non autem omnes.

Non autem omnes iudices dari possunt ab his, qui iudicis dandi ius habent. quidam enim lege impediuntur, ne iudices sint, quidam natura, quidam moribus; Natura, vt surdus, mutus, perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carent; lege impeditur, qui Senatu motus est; Moribus, fœminę, & serui; non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officijs non fungantur. Qui possunt esse iudices, nihil interest, in potestate, an sui iuris sint.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet iudex esse potest, qui non reperitur prohibitus, & sub nu. 27.*
2 *Omnia de iure fieri possunt, quæ non reperiuntur prohibita.* *Per-*

3 *Personæ prohibitæ iudicis officium exercere, sunt triplicis generis.*
4 *Senatu moti à lege prohibentur iudices esse, & quare.*
5 *Infamibus honores, & dignitates non debēt conferri.*
6 *Infamiæ exceptio poteſt opponi contra iudicē delegatum, & quando.*
7 *Exceptio, quæ reſpicit defectum perſonæ iudicis, ante litem conteſtatam debet opponi.*
8 *Qui non habent facultatem earum rerum, quas iudicis munus deſiderat, natura prohibentur eſſe iudices.*
9 *Iudicis munus quatuor exigit, & quæ.*
10 *Surdus, & mutus prohibentur iudices dari, & quarè.*
11 *Furioſus prohibetur iudex dari, & quarè, & de quo furioſo intelligatur.*
12 *Impubes prohibetur iudex dari, & quarè.*
13 *Impubes arcetur ab omnib. officijs publicis.*
14 *Imperitus iuris, ac legum prohibetur iudex dari, & quarè.*
15 *Minor 25. annis iudex dari non poteſt.*
Item nec arbiter eligi.
Et an, & quando eius ſententia ſit ſeruanda.
16 *Exceptiones, quæ defectum à natura in iudice arguunt, quandocumquè opponi poſſunt.*
17 *Iudices qui ex defectu naturæ dari prohibentur, poſſunt tamen habere iuriſdictionem iure proprietatis, & eam per alios exercere.*
18 *Fœmina quando arceatur à munere iudicandi, & quarè, & quando in ea compromitti poſſit.*
19 *Comitiſſa Matilda fuit domina quaſi totius Italiæ.*
20 *Ioannæ Reginæ Neapolitanæ encomium.*
21 *Serui moribus repelluntur à munere iudicandi.*
22 *Serui de iure ciuili pro nihilo reputantur.*
23 *Exceptio eorum, qui moribus impediuntur iudicare, quandocumquè opponi poteſt.*
24 *Filius familias iudex eſſe poteſt.*
25 *Iudicis munus publicum eſt.*
26 *Filius familias tutelam ſubire cogitur.*
27 *Patria poteſtas non conſideratur in ijs, quæ ſunt publici iuris.*
28 *Senatus à quo inuentus fuerit, & cuius numeri eſſet.*
29 *Senatu moti propter propriam turpitudinē infames efficiuntur.*
30 *Fœmina non habet conſtantem voluntatē.*

PRima quæſtio qui nam iudices dare poſſint expedita fuit in §. ſuperiori, nunc de ſecunda, de perſonis ſcilicet, quæ iudices eſſe poſſint hic tractat Paul. I.C. & cum triplicis generis proponat perſonas, quæ arcentur a munere iudicandi, videtur
1 regulam permiſſiuam facere, † quod quilibet poſſit eſſe iudex, qui nō reperiatur prohibitus, ut per Caſtr. hic, ꝑ Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 24. in princip. & per Barboſ. hic in princ. quemadmodum euenit in teſtibus, in quibus quilibet teſtis eſſe poteſt, qui non reperiatur prohibitus l. 1. infr. de teſtib. idem etiam in procuratore l. mutus §. 1. ſupr. de procurat. idem conſideratur in ijs, qui teſtamenta cōdere poſſint, regula enim teſtamentorum permiſſoria eſt, ut omnibus ſcilicet, qui non reperiantur prohibiti permiſſum ſit facere teſtamētum, vt in princip. Inſtit. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. pariter hoc accidit in ijs, qui accuſare poſſint, vt in l. qui accuſare
2 infr. de accuſat. † Ius enim perpetuum eſt ea omnia licita eſſe, quæ iure fieri non prohibeantur, quod eſſe proprium inquit Donell. libertatis illius, quæ omnibus ciuibus eſt tributa l. quarta ſupr. de ſtat. homin. in materia itaquè noſtra ij ſolum non poſſunt eſſe iudices, qui expreſsè prohibentur, ſunt
3 † autem iſti, ut Paul. I.C. hic definit triplicis generis, alij enim lege impediuntur, alij natura, alij tandem moribus; Qui à lege
4 impediuntur iudices dari ſunt ij, † qui ſenatu moti ſunt, ut in tex. noſtr. cui cōcord. tex. in l. 2. ſupr. de Senat. is enim, qui propter propriam turpitudinem à ſenatu remouetur l. Iulia repetundarum iudex eſſe prohibetur, infamis .n. dicitur, ut per gloſ.
5 hic in uerb. (motus) † iſtiſquè infamib. honores, & dignitates conferri non debent l. 1. infr. ad l. Iul. de vi priuat. & l. 2. C. de dignit. lib. 12. quod verum fuit poſt legem Iul. repetund. antea enim certum eſt, iudi-

ces

res eos legi potuisse, ex quo remotio hæc nullam rei iudicatæ auctoritatem habebat, & ideò ipsi condemnato non ignominiam, sed ruborem tantum inferebat, vt ex Cicerone refert Donell. d.c. 24. col. 5. quinimo subdit, quod per hoc aditus non erat præclusus ad honores etiam summos, lex verò Iul. repet. istos tamquam infames reiecit à munere iudicãdi, vndè colligitur
6 secundum DD. hic, quod † exceptio infamiæ potest opponi contra iudicem delegatum, ꝙ tamen ità intelligatur, si iste iudex iam fuisset condemnatus de tali crimine, quod eum infamem redderet, secus verò si nondum condemnatus sit, quia talis exceptio non debet admitti, ut per Innoc. in c. sciscitatus extr. de rescript. & in c. super extr. de off. deleg. debetquè exceptio ista
7 ante litem contestatam opponi, † cum sit exceptio talis, quæ respicit defectum personæ iudicis l. fin. C. de except. trad. Inno-
8 cent. in d.c. sciscitatus extr. de rescript. † Qui à natura impediuntur sunt ij, in quibus nõ est facultas earum rerum, quas Iudicis munus desiderat, cum Iudex non sit nomen honoris solum, & tituli, sed officij, & admi-
9 nistrationis; † Iudicis autem munus quatuor desiderat, ut per Donell. d.c. 24. col. 2. nempè causam audire, loqui ea, quæ pertinent ad causæ cognitionem, & terminationem, cognoscere rem, & tandem iudicare, Personæ autem, quæ harum facultatum sunt incapaces, quatuor in tex. nostro recensentur, surdus nempè, mutus, furio-
10 sus perpetuò, & impubes. † surdus ergò prohibetur iudex dari, quia litigatorum disceptationem audire non potest, Mutus verò quia non potest interloqui, nec sententiam proferre, & ita cum careant isti his duobus sensibus tam necessarijs ad humanos conceptus explicandos l. 1. §. propter casum supr. de postul. nil mirum, si repellantur à munere iudicis cum illud exequi non possint, & hæc est ratio, quarè isti duo prohibeantur esse iudices, non ea, quã putat Barbos. hic num. 17. quod scilicet careant iudicio, licet enim hæc sola ratio in tex. nostro assignetur post hæc quatuor genera personarum, quæ natura impediũtur iudices esse, illa tamen solum vera est pro vltimis duobus generibus personarum, furiosorum nempè, & impuberum, & illis solum adaptatur, quoad mutos verò, & surdos nullam assignauit rationẽ Paul. quia illa ad sensum patet, & de per se notoria
11 est. † Item furiosus prohibetur iudex dari, quia intellectu caret, & per consequens non cognoscit rem, quam gerit, quod est vnum ex quatuor iudicis muneribus de quibus supra est dictum, quod intelligi debet de perpetuo furioso, vt hic in text. nostro vers. (& perpetuo furiosus) cui concord. l. cum furiosus, & l. iudex datus infr. hoc tit. nostr. alias enim nihil nocet furiosum esse datum iudicem, si sanæ mentis effectus de
12 re cognoscat, & iudicet. † Prohibetur demum impubes dari iudex ratione de qua in tex. nostr. quia iudicio caret, & ita non potest exequi illud iudicis munus, vt co-
13 gnoscat rem, & ꝺe illa iudicet; undè † arcetur ab omnib. officijs publicis l. 2. §. fin. infr. de reg. iur. Vltra has personas Donel. in d. c. 24. colum. 2. addit alias duas, quæ natura prohibentur iudicis officio fungi. Imperitus nempè iuris, ac legũm, & mi-
14 nor 25. annis, nam † quoad Imperitum iuris, non sufficit iudicem simpliciter iudiciũ habere, sed tale iudicium requiritur, quod iuri, ac legibus consonum sit, quòd & semper obseruatum fuit in qualibet Republica bene instituta, & à Iustiniano nostro sancitum est in princip. in Auth. de iudicibus, & in l. certi C. hoc tit. nostr. Circa
15 minorem 25. annis, † nec iste iudex rectè dari potest, quia nec etiam in arbitrum assumi potest, & si assumptus sit, eius sententiam litigatores non ligare dicitur in l. cum lege supr. de recept. arbitr. si id euenit in arbitro, & multo magis in iudice considerari debet, quod non possit iudex dari propter maiorem legibus iudicandi difficultatem, si tamen quandoquè iudex datus sit ab eo, qui ius dandi habuit, & ipse volens cognitionem susceperit etiam consentientibus litigatoribus, & sententiam tulerit, æquum est illam seruari l. quidam

guunt.

16 consulebant infr. de re iudic. † exceptionesquè istæ, quæ defectum à natura arguunt quandocũquè opponi possunt etiã post sententiam, quia reddunt iudicium retro nullum, vt in argum. facit tex. in l. licet C. de procurat. Istæ autem exceptiones tunc veræ sunt, & procedunt, quando quis iudex detur, & ita quando iurisdictio
17 conceditur in administrationem, † secus verò si isti incapaces à natura habeant iurisdictionem iure proprietatis, vt puta qa mutus, surdus, furiosus, vel impubes succedant in aliquo feudo, quia tunc bene poterũt retinere iurisdictionem, & eam exercebunt, & administrabunt per tutores, vel curatores, c. grandi de supplend. neglig. prælat. lib. 6. tradit Ang. hic. Qui moribus tandem prohibentur iudices dari, sunt fœ-
18 minæ, & serui, † fœminæ arcentur à munere iudicandi, non quidem ea ratione, quia non habeant iudicium, ut supr. in tex. nostr. sed quia ciuilib. officijs non funguntur, vt hic, cui concord. tex. in l. fœminæ infr. de reg. iur. & ideò videmus, quod nec in eas regulariter cõpromitti potest l. fin. C. de recept. arbitr. c. dilecto extr. eod. tit. de arbitr. hoc tamen non procedit, quando fœmina haberet proprietatem iurisdictionis, tũc enim ipsa de per se iurisdictionem exercere poterit, & etiam in ea compromittitur, prout dicitur de Comitissa Campaniæ, quæ fuit filia Regis Nauarræ,
19 & de Comitissa Matilda, † quæ fuit domina quasi totius Italiæ, vt Odofred. & Alber. hic referunt, de quibus Comitissis extat gloss. in d. l. fin. C. de recept. arbitr. Idẽ
20 quoq; euenit, & de † Regina Ioanna Neapolitana, de qua dicitur, quòd à quingentis annis citra in Cathedra Regali nõ stetit ei similis in gratia, & virtute, ut per Bal. in c. 1. §. hoc quoquè in fin. de succes. feud. in vsib. feud. quæ sedens tulit sententiam quamdam, vt Ang. & Castr. hic referunt.
21 † Serui tandem moribus prohibentur iudices esse eadem ratione, quia ciuilibus officijs non fungũtur, seruus enim est incapax
22 iurisdictionis, † cum quantum ad ius ciuile pro nihilo reputetur l. quod attinet infr.
23 de reg. iur. & ideò † exceptio harum personarum, quæ moribus iudicare prohibẽtur quandocumquè opponi potest, etiam post litem contestatam, quia iudicium retroactum nullum reddet, cum incapaces sint iurisdictionis, vt per Castr. hic.

Tandem ex hoc tex. colligamus regulã, quòd quilibet iudex esse potest, etiam si
24 † filiusfamilias sit, concord. tex. in l. quin
25 etiam supr. de recept. arbitr. † iudicis enim munus publicum est l. quippè infr. hoc tit. nostro, l. fin. §. Iudicandi infr. de mun. &
26 honor. & ideò videmus etiam, † quod filiusfamilias tutelam subire cogitur, ut in princip. Instit. Qui testamen. tut. dar. poss.
27 patria † enim potestas non cõsideratur in his, quæ sunt publici iuris l. filiusfam. supr. de his qui sunt sui vel alien. iur. d. l. fin. §. iudicandi infr. de muner. & honor.

Non autem omnes] regula ergò est prohibitoria certarum personarum tantũ, quarè sequitur, quod regulariter quilibet, qui non sit prohibitus iudex dari possit.

28 Senatu motus] Senatus † à Romulo primum institutus fuit, statuit enim continuo sibi consiliarios cooptare, virosquè centum ex patritijs legit, quibus cum Rẽpublicam administraret, ut Dionis. attesta
29 tur, † qui ergò ab hoc Senatu propter propriam turpitudinem amouentur, tamquã infames noluit lex Iulia ad munus iudicis admitti.

Fœminæ] fœmina moribus prohibe-
30 tur iudicis officio fungi, † cum non habeat constantem voluntatem, quę in iudice desideratur, dici namquè solet, quod varium semper, ac mutabile profert fœmina testimonium c. forus extr. de verbor. significat.

Ciuilibus officijs,] & ideò nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec curatores existere possunt l. fœminæ infr. de reg. iur.

Ad

Ad l. xiij. Gaius lib. vij. ad edictum Prouinciale.

In tribus istis iudicijs, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum, quæritur, quis actor intelligatur: quia par causa omnium videtur. sed magis placuit eum videri actorem, qui ad iudicium prouocasset.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum de calumnia in initio litis præstandum esse Iustinianus introduxit.*
2 *Actor in iudicijs duplicibus ille dicitur, qui prius ad iudicium prouocauit.*
3 *Iudicia duplicia quæ dicantur, & quarè.*
4 *Iudicium finium regundorum, communi diuidundo, & familiæ erciscundæ, modo duplicia dicuntur, modo mixta, & quarè.*
5 *Procurator datus in iudicibus duplicibus, & mixtis, dicitur datus, & ad agendum, & ad defendendum.*
Et duplicem cautionem præstare tenetur.
6 *Actori in formando processu magis, quam reo fauendum est.*
7 *Reo in fine iudicij magis fauendum est, quã actori.*
Sententia pro reo in dubio ferenda est.
8 *Iudicium familiæ erciscundæ quid sit.*
9 *Erciscere familiam quid significet.*
10 *Iudicium communi diuidundo quid sit.*
11 *Iudicium finium regundorum quid sit.*

PRo intellectu huius tex. illud præsciendum est vna cum Cuiac. hic in versic.
1 notandum, quod † Iustinianus Imper. noster primus illud introduxit, vt initio litis iuramentum de calumnia præstari debeat per utrumquè ex litigatoribus, actor enim iurare debet se non agere calumniæ causa, reus uerò se non inficiari calũniæ causa, sed quod existimant se bonam causam habere; Aduocati pariter vtriusquè partis hoc iuramentum suscipere debẽt §. ecce enim, §. Item actoris, & §. vtriusquè Institut. de pœn. temer. litig. l. 2. C. de iureiur. propt. calum. dand. voluitquè Iustinianus satis esse, ut initio litis de calumnia iuratũ sit, adeò ut si post sumptum tale sacramentum de calumnia, actor reo uel sit deferre iuramentum, aut ab eo exigere cautionem, tale iusiurandum calumniæ non sit repetendum, ut in §. quia igitur in Authent. de his qui ingred. ad appellat. adhoc igitur, ut sci re possimus, quo ordine sit causa agenda, & quis nam actor sit in casibus legis nostræ
2 inquit Gaius, quod Actor † ille in iudicijs familiæ erciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum dicitur, qui ad iudicium prius prouocauit; concordat cũ hac l. tex. in l. 2. §. fin. infr. com. diuid. ubi ad literam repetita est hæc lex nostra ab eodẽ Gaio, & concordat tex. in l. qui prior infr. hoc tit. nostro, cũ enim in dubio essemus, & par omnium litigatorum causa esset, ut in tex. nostro in uers. (quia par) cui cõcord. tex. in l. iudicium infr. fin. regund. in l. 2. §. In familiæ, & in l. inter cohæredes §. qui familiæ infr. famil. erciscun. & sic non posset discerni, quis actor, & quis reus esset dicendus, ideò statutum fuit, quod ille actor dicatur, qui ad iudicium prius prouocauerit,
3 & ob id † hæc tria iudicia, de quibus supra duplicia dicuntur per DD. hic, mixtaquè
4 etiam † alias appellantur, quia indiscretæ sunt personæ actoris, & rei l. actionis §. mixtæ infr. de act. & obligat. ut per Cuiac. hic in princip. l. nostræ. In his quoquè sunt mutuæ præstationes personales, cum sint tam in rem, quam in personam, & per hoc mixta dicuntur §. quædam Institut. de act. Cum itaquè duplicia, & mixta sint
5 hæc iudicia, sequitur, quod in eis † procurator datus uidetur datus, & ad agendum, & ad defendendum, & duplicem cautionem præstare debet, ut in l. si defunctus §. fin. supr. de procurat. cautionem nempè de rato pro actore, & de iudicato parendo pro reo, quod tamen intelligendum est antequam partes ad iudicium prouocent, ut per Castr. hic n. 3. postquam enim ad iudicium prouocatum est, tunc ea simplicia iudicia dicuntur, quia clarè patet, quis fuerit actor. qui scilicet prius prouocauerit, ut in tex. nostro, ꝙ certè est utile cognoscere, quia

6 quia, † licet in formando processu magis faueatur actori, quam reo, glos. in c. licet in verb. (vti) extr. de probat. Ias. in l. de die in prin. nu. 2. sup. qui satisd. cog. Alex. in l. duo
7 iudices num. 6. infr. de re iudic. in fine † tamen iudicij magis reo, quam actori fauendum est l. fauorabiliores infr. de reg. iur. & in dubio sententia pro reo contra actorem est ferenda l. Arrianus C. de act. & oblig.

8 Familiæ erciscundæ] iudicium † familiæ erciscundæ est, quod inter cohæredes ideò redditur, vt & hæreditas diuidatur, & quod eo nomine alterum alteri dare, facere oportebit præstetur l. 1. & passim
9 infr. famil. ercisc. † & erciscere familiam significat diuidere hæreditatem.

10 Communi diuidundo] iudiciū † cōmuni diuidundo est, quod inter eos redditur, qui rem communem ex alia causa, quā hæreditaria habeant, vt diuisio, & cuiusq; suæ partis demonstratio sequatur l. 1. 2. & per tot. infr. commu. diuid.

11 Finium regundorum] iudicium † finium regundorum est, quod ipsis confinibus conceditur postulantibus, ut quod cuiusquè proprium sit, à iudice definiatur, & si quid ab altero commissum sit resarciatur l. 2. §. fin. infr. fin. regund.

Ad l. xiv. Vlpian. lib. 11. disputat.

Sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet.

SVMMARIVM.

1 *In iudicijs duplicibus si ambæ partes prouocent, sorte eligitur actor.*
2 *Sortis iudicio locus est in rebus dubijs, & quando, cum numeris sequentib.*
3 *Factum semper probari debet.*
4 *Iuris dispositioni, quando declarat, standum est.*
5 *Iudex potest compellere partes discordantes ad concordandum, cum de præiudicio tertij tractatur.*
6 *Prouocare quid sit.*

Cvm in duplicib. iudicijs ille actor dicatur, qui prius ad iudiciū prouocat, vt in tex. antecedenti, modò si ambo prouocent, quærit Vlpianus quid dicendum sit,
1 & determinat † sorte dirimi debere quis
2 nam sit actor. Vndè colligitur, quod † in rebus dubijs sorti locus est, neque iudiciū tale est improbandum, concord. tex. in l. si quæ sunt infr. famil. ercisc. & in §. optionis Instit. de leg. Pro cuius conclusionis declaratione ex mente Salicet. in l. fin. C. commun. de legat. distinguere debemus, quod aut discensio est sup facto, aut super iure,
3 si super facto sit, † factum ipsum probari debet l. actor C. de probat. si verò sit super iure, & tunc dicamus, quod aut ius decla-
4 rat, aut non, Si ius † declaret eius dispositioni standum est l. maiorem supr. de pact. si uerò ius non declaret, & tunc iterum subdistinguēdum est, aut enim agitur de præ-
5 iudicio tertij, † & hoc casu iudex partes discordantes ad concordandum compellere poterit, uel ipse pronunciabit, quis nam potior sit §. fin autem Instit. de satisd. tut. aut verò non agitur de alicuius præiudicio, uel saltem de modico grauamine, & tunc forte lis dirimenda est, ita distinguendo concludebat Salicet. Barbos. autem hic nu. 69. noluit ad sortem vmquam recurrendū esse, nisi partes consentiant, ijs enim dissentientibus ad sortem recurri non debet, qa mutuo se impedient l. quoties supr. de vsufruct. Duaren. verò in tit. nostro in c. de litigator. in fin. voluit. tunc sorti iudicio locum esse, quando alitèr lis terminari non posset, vt in d. l. fin. C. comm. de leg.

6 Prouocant] idest † in ius vocant in termihis tex. nostri, & etiam legis antecedentis, alias autē prouocare in iure nostro est appellare, vt in tit. C. quand. prouoc. non est necess. vndè Prouocatio appellatio dr, vt p Schar. in suo Lex. in verb. prouocare.

Ad l. xv. Vlpian. lib. xxi. ad edictum.

Filius familias iudex, si litem suam faciat, in tantam quantitatem tenetur, quæ tunc in peculio fuit, cum sententiam dicebat.

SVM.

SVMMARIVM.

1 *Filiusfamilias litem suam faciens, tenetur pro quantitate peculij, quam habet tempore iudicij à se facti.*
2 *Textus iste varijs modis à DD. intelligitur.*
3 *Pater de peculio non tenetur ex pœnali causa, sed tantum ex contractu, vel quasi, & num. 9.*
4 *In actione de peculio spectatur solũ id, quod in peculio sit tempore rei iudicatæ.*
5 *In legib. ipsis quidquã non est immutandũ.*
6 *Verus sensus tex. nostri affertur ex Azon. & Cuiac.*
7 *Iudicans perperam per dolum tenetur ad veram litis æstimationem.*
8 *Iudicans perperam per imprudentiam, tenetur ad id tantum, quod religioni iudicantis æquum visum fuerit.*
9 *Bonum, & æquum quid sit in hac materia.*
10 *Filius familias condemnatus ex eo, quod perperam iudicauit, aliundè, quam ex peculio prouidere debet, vel in carcerem detrudi.*
11 *Imperitia culpæ ascribitur.*
12 *Cautela pro iudice filiofamilias affertur.*
13 *Litem suam facere quid sit, & num. seq.*
14 *Litem suam facere dicitur quis dupliciter.*
15 *Peculium quid, & quotuplex sit remissiuè.*

Filium familias iudicem esse posse, dictum fuit superius in l. cùm Prætor §. fin. hoc tit. nostr. quæritur modo si dum iudex est, litem suã faciat, ad quid teneatur. Circa quod ex tex. nostro in principio il-
1 lud colligitur, quod si † filius familias litẽ suam fecerit, in tantam quantitatem teneri debet, quantam in peculio tũ habebat, cum sententiam diceret, quam quidẽ conclusionem non ita de planò procedere, ex
2 eo patere potest, quod † varijs modis text. iste à DD. explicatur. Quidam enim putãt quod hæc actio detur aduersus patrem pro
3 viribus peculij, quod tamen falsum est, † nã pater nõ tenetur de peculio ex pœnali causa, sed tãtum ex causa contractus, vel quasi l. 1. §. si filius familias sup. de his qui effud. vel deiecer. l. 3. §. ex furtiua infr. de pecul. l. pœnalib. infr. de reg. iur. Præterea si aduersus patrem competeret hæc actio, non posset competere, nisi pro quantitate, quæ in peculio esset tempore, quo in eũ sententia de peculio diceretur, non autem pro quantitate, quæ fuit tempore, quo filius familias iudicans litem suam fecit, cum † in
4 actione de peculio spectetur id solũ, quod in peculio est tempore rei iudicatæ l. quæsitum inf. de pecul. l. fulcinius §. si quis actione inf. quib. ex caus. in possess. eat. Alij (prout Cuiac.) hic in l. nostra putant tex. istum non legi debere (filius familias iudex) sed legẽdum esse (alij familias iudex) ita quod sensus tex. nostri sit, si iudex litem de peculio institutam aduersus patrem filij familias suam fecerit, in tantam quantitatẽ teneri debet, quãnta fuit in peculio rei iudicatę tpe, iudex. n. debebat dãnare patrẽ in quantitatem, quæ erat in peculio rei iudicatæ tempore, quia ergò id non fecit, ipsemet iudex litem suam faciens in eam quantitatem tenebitur, verum hæc explicatiò non est admittenda, cum violet litterã tex. nostri, omnes enim Codices etiam Pandectæ Florentinæ ita leguntur (filius familias
5 iudex) neç † sanè quidquam mutandũ est
6 in ipsis legibus, quarè † huius legis eam esse germanam interpretationem dicamus, quæ fuit Cuiac. lib. 13. obseruat. c. 18. vt scilicèt lex hæc non loquatur de filiofamilias, qui in iudicando fecit dolo malo ad-
7 uersus præceptum legis † quo casu teneretur in solidum ad veram litis æstimationẽ, vt in fine huius legis, sed de filiofamilias,
8 qui † per imprudentiam perperàm iudicauit, hic enim non tenetur in solidum ad litis æstimationem, sed actione in factum tenebitur ad id tantùm, quod religioni iudicantis bonum, & æquum videbitur, l. final.
9 infr. de var. & extraord. cognit. † bonum autem, & æquum ita definitur, ut ne conueniatur ultra eam quantitatem, quam in peculio, quasi in patrimonio suo habuit iudicati tempore, ita tamen ut satisfaciat, nõ de ipso peculio inuito patre, cum ex pœnali causa pater non teneatur de peculio, vt
10 supra, sed † aliundè, vel in carcerem detru-

datur l.penul.C.qui bon.ced.poss. & ita inquit Cuiac.accipiendum esse tex.in §.si filius familias Instit.de oblig.quę ex quas. delict.nascunt.dum ait filium familias iudicem,qui litem suam fecit teneri non patrem,& hunc intellectum comperio etiam prius fuisse Azon.vt per gloss. hic in verb. (tenetur) & ita conclusio tex.nostri erit intelligenda in iudice perperam per imperitiam iudicante,cui concord.tex.in l. final. infr.de var.& extraord.cognit. in l.ex maleficijs §.si iudex infr.de act.& oblig. in §. 1.& in §. si filiusfamilias Instit. de oblig. quæ ex quas.delict.nascun.& alia multa iura,de quib. per glos.in d.l.fin.in verb. (per imprudentiam)infr.de var. & extraordin.
11 cognit.& ratio huius conclusionis est,† quia imperitia culpæ ascribitur l.imperitia infr. de reg.iur.tenetur ergò pro.virib. peculij, quod tunc habebat, cum iudicauit, ut in tex.vndè Bart.hic,& post eum Ang. & Ca
12 stren. inquiunt optimam † cautelam ex hoc colligi, ut si quis in syndicatu timeat se condemnari,opponat se esse filium familias, sic enim de facili eludet condemnationem,si peculium non haberet.

Litem suam faciat] litem suam face-
13 re † idem est ac damnũ alterius in se transferre gloss.in §. 1. in figuratione casus Instit.de oblig.quæ ex quas. delict. nascunt. & ibi Mysing.num.2.& Claud.Cantiunc. in litt.f.trad.Sim.Schar.in suo lex.in verb. (litem suam)vel litem suam facere est idẽ, quod teneri ad id,in quo iudex aliquem lędit in lite secundum glos.in d.§.1. in verb. (litem suam) Instit.de oblig. quæ ex quas. delict. nasc. vel clarius litem suam facere idem est,quod teneri ad uerã litis æstimationem secundum Io. Fabr.in d.§.1. nu.1. Instit.de oblig.quæ ex quas.delict.nascũt. tradit Farinac.in tit.de var. ac diuers. cri-
14 min.q. 111.artic.16.num.440.† Dupliciterquè litem suam facere quis dicitur, vel propter imperitiam,vel propter dolum,vt per DD.hic,&refert Iul.Pac.centur.3.leg. conciliat.quæst.22.Cuiac.verò hic.in l.nostra inquit,Iudicem litem suam facere,cũ ab aduersario lis in eum transfertur, vel si in fraudem legis sententiam dicat, vel si malè iudicet per imperitiam scilicet, aut dolum.

15 In peculio] quid † & quotuplex sit peculium,vid. per DD. in §. igitur liberi Instit.per quas person.nob.acquir. & in l. cũ oportet C.de bon. quæ lib.

Ad §. Iudex.

Iudex tunc litem suam facere intelligitur,cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo malo autem videtur hoc facere, si euidens arguatur eius,vel gratia,vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur.

SVMMARIVM.

1 *Iudex litem suam dolo faciens, tenetur veram litis æstimationem præstare, & numero 5.*
Et criminaliter puniri potest,vt num. 4.
2 *Dolus est delictum.*
3 *Delinquens puniri debet.*
5 *Male iudicans propter imperitiam, tenetur in id,quod religioni iudicis visum fuerit.*
6 *Vera litis æstimatio quomodo sumatur.*
7 *Lex nostra,& l.fin.infr.de var.& extraord. cognit.tanquam pugnantes cõsiderantur à Bud.*
8 *Non tamen sunt contrariæ,vt nu.8.*
9 *Dolus malus quid sit, & quarè malus dicatur.*
10 *Sordes quid sit.*
11 *Per sordes iudicare quandò dicatur iudex.*
12 *Noctua in moneta Atheniensium cusa.*

DE filio familias iudice litem suam per imperitiam faciente est tractatum,nunc de eo casu,quandò dolo malo litem suam facit est agendum, quo casu ex
1 tex.nostro colligitur † quod veram æstimationem ei,quem læsit præstare tenetur,cõcordat tex.in l.fin.C.de pœn.iud.qui mal. iudic.

2 indic.ratio est,quia cũ dolo id fecerit,† do-
lus est delictum l.prima,§. nunc tractemus
3 intr.de Magistr.conueniend.vnde † delin-
quẽs puniri debet argum. l. ita vulneratus
4 infr.ad l.Aquil. quinimò etiam † ultra ue-
ram litis æstimationem condemnari pote-
rit,criminaliter nempè, vt per Bald. post
Iacob.de Beluis.in c. 1. §. iudices uerò de
pace iuram. firmand.in usibus feud.tradit
Contard.in l.diffamari in 1.limit.nu.4.
C.si de moment.possess. fuer.appellat. &
hæc est differentia inter principium legis,
& §.nostrum, nam in principio loquitur
de eo casu,quandò dolus nõ interuenerit,
sed solum imperitia,ut per DD.communi-
5 ter hic,quo † casu tenetur tãtũ in id,quod
religioni iudicis uisum fuerit l. fin. infr. de
var.& extraord.cognit. in §. nostro autem
tractaĩ de eo casu,quando dolo malè iudi-
cauit iudex,quo casu tenetur nõ solum ad
interesse parti læsæ, verum etiam tenetur
ad totius litis æstimationem,quod etiam
voluit gloss.in d.l.fin.in uerb.de ea re infr.
de uar.& extraordin.cognit. Aret. in §. 1.
num. 2.Instit. de obligat quæ ex quas. de-
6 lict.nasc.pro † uera autem litis æstimatio-
ne,nihil aliud sumendum esse,quam illati
damni æstimationem tradit Alciat. in l. si
quis in conscribendo num.31. C. de pact.
habetquè locum hæc dispositio tex. nostri,
non solum in iudice filiofamilias, verum
etiam communiter extenditur ad omnes
alios iudices,ut per glos.Bart. Fulg. Castr.
& cœteros hic, tradit Farin. in tit. de uar.
ac diuers.crimin.q 111.artic.14.nu.362.
Opponitur text.nostro, dum in eo dicitur,
quod iudex tũc litem suam facere dicitur,
cum dolo malo in fraudem legis sententiã
dixerit,uidetur enim requirere dolum ad
hoc ut iudex litem suam faciat, & tamen
in princip.legis nostq.ex communi dictum
fuit,quod iudex tunc litem suam facit,cũ
per imprudentiam tantum etiam absq; do
lo iudicat,quod & vult text. in §. 1.Instit.
de oblig. quæ ex quas.delict.nasc.& in l.fi-
nal.intr.de uar.& extraord.cognit.& hanc
7 esse iuris antynomiam † notat Bud.in l.fi.
intr. de ædil.edict. Pro concord. dicamus
una cum Duaren. in tit. nostr. inter de uar.
iudicior.præcept.col. 3. illud esse animad-
uertendum,quod in tex.nostro non simpli
citer dicitur dolum malum requiri, ut iu-
dex litem suam facere dicatur, sed ut uerã
litis æstimationem præstare teneatur, sed
si is qui per imprudentiam perperam iudi
cat,litem suam facit, ut supra in princip.le
gis nostræ,& in d.l.fin.int. de uar.& extra-
ord.cognit. multò magis is qui dolo iudi-
cat,litem suam facere dicitur, & ita dum
tex.noster dicit, (Iudex tunc litem suam)
debet intelligi etiam si dolo malo iudicet,
idest multò magis,hæc enim est differẽtia
inter eum, qui iudicat perperam propter
imperitiam,& eum qui perperam iudicat
propter dolum,ut supra dictum est,omnes
enim litem suam facere dicuntur, sed di-
uersimodè puniuntur,nam qui propter im
peritiam,tenetur solum quatenus religio-
ni iudicis uisum fuerit,ut in d.l.fin.intr. de
uar.& extraord cognit. & si sit filiusfami-
lias,tenetur tantum,quatenùs esset in pe-
culio tempore iudicij, ut in princip. legis
nostræ. Qui uerò propter dolum ad ueram
litis æstimationem tenetur,ut hic in §.no-
stro,& in d.l.fin.C.de pœn.iud.qui male iu
8 dic.& ita † hæc iura inter se non sunt con-
traria,quinimò Iul.Pac.cent.3.leg.conci-
liat.q.22.miratur, quod Bud. hanc nota-
uerit tanquam antynomiam.

9 Dolo malo] † dolus malus qd sit,uid.
l. 1.§.dolum supr.de dol.mal.ideò aũt do-
lus malus dicitur,quia ueteres etiam dolũ
bonum dicebant,& pro solertia hoc nomẽ
accipiebant d.l. 1.§.non fuit supr. de dol.
mal.

Vel gratia] quod scilicet magis gratus
sit uni parti, ita ut litem ipsius tamquam
propriam tractet,& eum absoluat,cũ con-
demnandus esset.

Vel inimicitia] ut quia contra alterũ
ex litigatoribus inuehatur eum condem-
nando,cum esset absoluẽdus,quia eius ho-
stis,uel inimicus esset.

10 Vel etiam sordes] † idest pecuniaria
corruptio,vt l.3.§.1.l.sed si in seruũ §.sunt
& alij supr.de recept.arbitr.&l,sed etsi §.
ait Prætor supr.ex quib.caus.maior. in in-

11 tegr.restit. † quid quid enim per pecuniam
faciunt iudices, idest accepta pecunia per
sordes facere dicuntur, ideò de sordido iu-
dice solet dici, quod Noctua illi assedit, id-
est pecunia, & sordium consilio sententiam
12 protulit, cum † Noctua in Moneta Athe-
niensium cusa esset, vt per Decian. in suis
tract. crimin, lib. 8. c. 33. nu. 4. & 5. istiquè
iudices per sordes iudicantes acerrimè pu-
niuntur, ut per Menoch. de arb. iud. lib. 2.
cent. 4. cas. 342. num. 1. cum sequentibus.

Ad l. xvi. Vlpian. lib. v. ad edict.

Iulianus autem in hæredem iudicis, qui litem suam fecit, putat actionem cõpetere, quæ sententia vera non est, & à multis notata est.

SVMMARIVM.

1 *Hæredes iudicis, qui litem suam fecit, nõ teneantur parti læsæ.*

2 *Actio, quæ datur contra iudicem perperàm iudicantem oritur ex quasi delicto.*

3 *Actiones ex delicto, vel quasi non dantur aduersus hæredes.*

4 *Hæres non tenetur stare syndicatui, ad quē defunctus tenebatur.*

5 *Pater pro filio malè iudicante, an & quando teneatur.*

6 *Actiones pœnales post litem contestatam ad hæredes transeunt.*

7 *In litis contestatione quasi contrahitur super actione, quæ intentatur.*

8 *Hæredes tenentur de eo, quod ad eos peruenit ex delicto, vel quasi defuncti.*

9 *Hæredes ex æquitate iuris Canonici tenentur de delicto, vel quasi defuncti, vt sic defunctus à peccato liberetur.*

10 *Notare est reprehendere.*

QVià firmauit Vlpianus in l. antecedenti Iudicem litem suam facientem obligari parti læsæ, quatenus est in peculio, si per imprudentiam iudicauit, si verò per dolum, ad veram litis æstimationem teneri, ideò quærit nunc qd
iuris, si decedat iudex iste, an eius hæredes
eo nomine teneantur, refertquè Iulianum
eius opinionis fuisse, ut in hæredem iudi-
cis hæc actio competat, eius tamen senten-
tia vera non est, & à multis notata est, ut
tradit Vlpian. hic in l. nostr. quarè conclu-
1 sio ex hoc tex. erit, † Hæredes iudicis qui li-
tem suam fecit, non teneri aliqua actione
2 parti læsæ, & hoc ea ratione, † quia actio
hæc, quæ intentatur contra iudicem perpe-
ràm iudicantem oritur ex quasi delicto, ut
in princip. Instit. de obligat. quæ ex quasi
3 delict. nasc. † quæ actiones ex quasi delicto
nascentes non dantur aduersus hæredes §.
fin. Instit. eod. tit. de obligat. quæ ex quas.
delict. nascun. Vlterius hæc actio pœnam
continet, vt suprà, ideò nil mirum si in hæ-
redes hæc actio non datur, & in conse-
4 quentiam ex hoc tex. sequitur, † quod nec
hæres teneatur stare ad syndicatũ, ad quē
defunctus tenebatur, ut per Castr. in l. an-
teced. num. 12. vbi etiã Iacob. de S. Georg.
5 num. 9. sicut † nec etiam pater pro filio te-
netur, nisi quatenus esset in peculio, vel ex
tali iudicio à filio perperàm facto, peculiũ
locupletius factum esset, vt per Castr. vbi
supr. d. num. 12.

Fallit autem conclusio tex. nostri primò
in eo casu, quando adhuc viuo iudice lis
cum eo contestata esset super hac actione,
6 † actiones namquè etiam pœnales post li-
tem contestatam ad hæredes transeunt l.
omnes pœnales infr. de act. & oblig. l. pœ-
nalia infr. de regul. iur. §. non autem in fin.
Instit. de perpet. & tempor. act. & l. vnic. C.
7 ex delict. defunct. † in litis enim contesta-
tione uidetur quasi cõtrahi super illa actio-
ne pœnali, ut per Fulg. in l. vnic. in princip.
C. ex delict. defunct. fallit secundo in eo
casu, quando ad hæredes iudicis aliquid
peruenisset ex iudicio perperàm à iudice
8 defuncto facto, † tunc enim in hæredes da-
tur actio pro eo quod ad eos peruenerit, &
hoc ne alieno scelere ditentur, ut in dicta l.
vnic. C. ex delict. defunct. Tandem fallit
9 de iure canonico, † cuius æquitas voluit, ut
etiam in hæredes, licet ad eos nihil ex deli-
cto defuncti peruenerit actio detur propter
maleficium antecessoris, ut sic delinquens

valeat

valeat à peccato liberari c. fin. & ibi gloss. & Abb. extr. de sepult. c. in litteris extr. de raptor. tradit Couarru. lib. 3. var. resolut. c. 3. num. 7.

10 Notata est] † idest reprehensa est, sic etiam in l. metum autem præsentem §. fin. supr. quod met. caus. dū ibi dicitur (non immeritò Iulianus à Marcello notatus est) idest reprehensus.

Ad l. xvij. Vlpian. lib. xxij. ad edictum.

Iulianus ait: si alter ex litigatoribus iudicem solum hæredem, vel ex parte fecerit; alius iudex necessario sumendus est, quia iniquum est aliquē suæ rei iudicem fieri.

SVMMARIVM.

1 *Iudex hares institutus ab altero ex litigatoribus desinit esse iudex.*
2 *Iudicem aliquem in re sua fieri iniquum est. Fallit in notorijs vt nu. 8.*
3 *Res & causa propria quando dicatur.*
4 *Iudicium suspicione iusta vacare debet.*
5 *Testimonium à suspicione alienum esse debet.*
6 *Iudicium in re propria valdè suspectum est.*
7 *Homines sibi, & suis commodis fauent.*
9 *Actus deueniens ad eum casum, à quo incipere non potest vitiatur.*
10 *Officium iudicis est indiuiduum.*
11 *Iudicium idem fit partis, & totius.*

THema quoddam ponit hic Vlp. I. C. in quo iudicium iam cæptum soluitur, sicut etiam in l. si à me fuerit arrogatus suprà in hoc tit. similis euētus positus fuit.

1 † Si Iudex itaque unius causæ ab altero ex litigatoribus uel in totum, uel pro parte hæres scribatur desinit esse iudex, & hoc ratio

2 ne de qua in tex. nostro, † quia iniquū est aliquem rei suę iudicem fieri, cum quo cōcordat tex. in l. qui iurisdictioni supr. de iurisd. omn. iud. & in l. vnic. C. ne quis in sua caus. iudic. & in l. fin. §. sciant C. ubi senat.

3 uel clariss. † Res uerò, & causa propria, & sua tunc dicitur quandò eius emolumentum, uel damnum ad aliquem suo nomine pertinet l. 1. §. in propria infra quand. appell. sit, iniquitas autem quando quis rei

4 suæ iudex fiat, in eo consistit, quia † iudicium suspicione iusta uacare debet, quem-

5 admodum de † testimonio dicitur in l. 3. infra de testibus. At iudicium, quod quis

6 in re sua, uel ad se spectante dicit, maximè omnium suspectum est appellandum pro-

7 pter spem commodi propositi, omnes † n. homines sibi, & commodis suis fauent, nec facilè quisquam reperitur, qui uelit aduersus se ius dicere, vt in simili dicebat Donel. ad l. omnibus C. de testibus in princip. lib. 25 comment. iur. ciuil. nil mirum ergò, si qs in causa propria iudex nequaquam esse

8 possit, † quod fallit in notorijs, in quibus iudex sibi ius dicere potest, etiam in causa propria, vt firmat Petr. Barbos. in l. si de vi num. 143. infr. eod. Ex hac ergo conclusione tex. nostri duo per DD. colliguntur, pri-

9 mum est, quod † quando res deuenit ad eum casum, à quo incipere non potest, vitiatur, vt etiam supra in d. l. si à me fuerit

10 arrogatus dictum fuit, secūdum est † quod officium iudicis est indiuiduum, quia etiā si ex parte tantum sit hæres institutus adhuc tamen ratione alterius partis desinit esse iudex, & ideò Bart. hic volebat, quod si tres rē communem habeant, quorū duo insimul de ea litigent, tertius non poterit eiusdem rei iudex esse, & hoc propter partem, quam ipse habet.

11 Vel ex parte] vndè colligitur † idem iudicium partis fieri, quod de toto l. quæ de tota infr. de rei vendic.

Ad l. xviij. Vlp. lib. 23. ad edict.

Si longius spatiū intercessurū erit, quominus iudex datus operam possit dare, mutari eum iubet Prætor. hoc est, si fortè occupatio aliqua iudicem nō patiatur operam iudicio dare; incidente infirmitate, vel necessaria profectione, vel rei suæ familiaris periculo.

SVMMARIVM.

1 *Iudex datus alias iudex delegatus dicitur.*

2 *Iudicium soluitur si iudex longo impedimento detineatur.*

3 *Iudex dari debet in locum iudicis perpetuò impediti.*

4 *Iudex datur etiam in locum iudicis longo tempore impediti.*

5 *Impedimentum in litibus prosequẽdis afferri non debet.*

6 *Iudex unus in locum alterius quandoquè subrogari potest.*

7 *Iudex subrogatus in locum alterius ex ijsdem actis iudicare debet.*

8 *Instantia causæ transit de iudice in iudicẽ.*

9 *Iudex non debet dari in locum iudicis breui tempore impediti, & quarè.*

10 *Infirmitas longa in iudice superueniens est in causa, ut iudicium soluatur.*

11 *Infirmitas longa quomodo æstimetur.*

12 *Peritis in arte credi debet.*

13 *Absentia necessaria est in causa, ut iudiciũ soluatur.*

14 *Absentia necessaria, quænam sit.*

15 *Periculum rei familiaris excusat iudicem à munere iudicandi, & quandò.*

16 *Notarius an, & quãdo in locum alterius impediti deputari possit ad scribẽdum acta.*

17 *Aduocatus absens, & impeditus quatenus sit expectandus.*

18 *Clausula (q̃d si omnes interesse nequeãt, alij procedant) apposita in commissione causæ pluribus iudicibus facta, quomodo sit intelligenda.*

19 *Dispositio tex. nostri locum habet etiam in iudice ordinario.*

20 *Longum spatium impediti iudicis arbitrio taxatur.*

21 *Iudex iudicio operam dare dicitur.*

ALias recenset causas adhuc Vlpian. I.C. in quibus iudicium iam cœptũ soluitur, loquturq; in præsenti tex. de iudi-
1 ce dato, † qui alias iudex delegatus dicitur, ut in l. à iudice C. hoc tit. nostro, qui iudex datus si impedimento tali afficiatur,
2 quod per longum temporis spatium eum distracturus sit, quominus operam iudicio
2 dare possit, † tunc iudicium soluitur, aliumquè iudicem dari Prætor iubet, ut in text. nostro: Cui concordat tex. in l. licet supra de recept. arbit. & in l. penul. C. de Pedan. iudicib. Vt autem perfectam notitiam dispositionis text. nostri, & eius materiæ habeamus, ad distinctionem recurrentes dicamus, quod postquam susceptum est iudicium, aut impedimentum superuenit, quod perpetuum est, aut temporaneum, si
3 perpetuum sit, † & tunc de necessitate alius iudex dari debet, ut c. uno delegatorum extr. de off. deleg. d. l. licet supr. de recept. arbitr. & hoc ne causæ remaneant indecisæ, si uerò impedimentum temporaneum erit, & tunc iterum subdistinguendum est, quod aut tempore lõgo istud impedimentum durare debet, aut breui, & modico tẽ-
4 pore, † si longo tempore habeat durare, tunc excusatio à munere iudicandi admittitur, & ita iudicium soluitur, & loco iudicis per longum tempus impediti, alium iudicem dari Prætor iubet, qui causam breuiter determinet l. placuit C. de pedan. iu-
5 dicib. & † hoc ne impedimentum aliquod in prosequendis litibus afferatur, ut in fin.
6 d. l. placuit; Vndè colligitur, quod † iudex unus in locum alterius subrogari potest,
7 quo casu † iudex subrogatus ex ijsdẽ actis
8 iudicare debet, & † sic instantia causæ trãsit de iudice in iudicem, ut per Iacob. de S. Georg. hic num. 4. Si uerò breui, & modico tempore duraturum sit impedimentũ,
9 tunc † loco impediti iudicis alius iudex dari non debet, sed expectandum est, quoad cesset impedimentum, ut etiam in l. & si qua supra de recept. arbitr. & in l. Prætor §. fin. Infr. de vacat. & excusat. mun. ubi etiã ratio assignatur, quia tolerabilius est interdum iudicem, qui semel cognouerat tantispèr expectare, quam iudici nouo rẽ rursus iudicandam committere, & ex hac distinctione breuitèr habemus; an & quãdo propter impedimentum iudiciũ soluatur.

Colligamus itaquè ex hoc tex. primò,
10 quod † infirmitas superueniens est in causa, ut iudicium soluatur aliusquè iudex detur, quod tamen secundum distinctionem supra traditam uerum erit in infirmitate lon-

longa, secus verò in infirmitate breui, quo
11 modo † autem cognoscendum sit, an infir
mitas longa, an verò breuis sit futura, ex
mente Alberici hic dicendum est, stãdum
esse Medicorum iudicio, & relationi, cum
12 † peritis in arte credendum sit l. semel. C.
de re milit. lib. 12. cap. proposuisti extr. de
probat. Secundò colligamus ex tex. nostro
13 † absentiam necessariam diù duraturam
secundum distinctionem, de qua supra, es-
se in causa, vt iudicium soluatur, alterquè
iudex detur, quænam † autem sit absentia
necessaria videndus est Bart. in l. inter mi-
nores num. 3. supr. de in integr. restit. Col-
15 ligamus demum, quod † periculum rei fa
miliaris superueniens excusat iudicem de-
legatum à munere iudicandi, quod tamen
verum sit, & intelligatur in periculo gran-
di, secus verò in modico tantum secũdum
distinctionem de qua supr. d. l. penult. infr.
de vacat. & excusat. mun. & d. l. placet. C.
de Pedan. iudic.

Id autem quod de iudice delegato di-
citur in tex. nostro extẽditur per DD. mul
tis modis, & primo, vt locum habeat etiã
16 † in notario deputato ad scribendum acta
iudicis, qui si breui tempore sit impeditus,
non est subrogandus alter loco ipsius, sed
debemus expectare, quod cesset illud bre-
ue impedimentum, secus verò si longum
sit futurum impedimentum, ut per Angel.
17 & Castr. hic; secũdo extenditur etiam, † vt
procedat in aduocato, qui si abfuturus
est per modicum tempus, expectari debet,
& dilatio parti danda est, secus verò si eius
absentia longa futura sit, quia alter in lo-
cum eius subrogari debet l. ait Prætor in fi.
supr. ex quib. caus. maior. in integr. restit.
trad. Bart. Ang. & Castr. hic extenditur vl-
terius ex mente Castr. hic, vt procedat etiã
in eo casu, quandò tribus iudicibus causa
18 commissa sit, cum clausula † (quòd si om-
nes interesse nequeant, alij procedant) tũc
enim si alter eorum breui impedimento
detineatur expectandus est, secus verò si
longum sit impedimentum, quia alij pro-
cedere poterunt, ut per Innoc. in c. pruden
tiam extr. de offic. deleg. Extenditur tan-
19 dem, † ut etiam procedat dispositio text.
nostri non solum in iudice dato, & delega
to, uerum etiam, & in iudice ordinario, se-
cũdum distinctionem de qua per Barbos.
hic num. 10.

20 Longius spatium] quod nã † sit istud
longum spatium arbitrio Prætoris deter-
minari debet, ut per Verrut. in suo Lex. c.
iur. in urb. longum tempus.

Operam iudicio dare] notandum
21 est, † quod iudex dicitur iudicio operam
dare, idquè proprium iudicis esse attesta-
tur Cuiac. hic per tex. in l. Prætor in prin-
cipio infr. de vacat. & excusat. mun. tradit.
Cicer. 4. pro Verin.

Vel necessaria profectione] idest
absentia necessaria, de qua sup. dictum est.

Ad § si filius familias.

Si filiusfamilias ex aliqua noxa, ex qua patri actio competit velit experiri; ità demum permittimus ei agere, si non sit, qui patris nominè agat. Nã & Iuliano placet; si filiusfamilias legationis, vel studiorũ gratia aberit, & vel furtum, vel damnum iniuria passus sit, posse eum vtili iudicio agere; nedum pater expectatur, impunita sint maleficia, quia pater venturus non est, vel dum venit, se subtrahit is, qui noxam commisit. Vndè ego semper probaui; vt si res non ex maleficio veniat, sed ex cõtractu debeat filius agere vtili iudicio; fortè depositum repetens, vel mandati agens, vel pecuniam, quam credidit petens; si fortè pater in prouincia sit, ipse autẽ fortè Romę, vel studiorum causa, vel alia iusta ex causa agat, ne si ei non dederimus actionem, futurum sit, vt impunè fraudem patiatur, & egestate Romæ laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei de-

destinauerat. Et finge Senatorem esse filiũ familias, qui patrem habet in prouincia, nonne augetur vtilitas per dignitatem?

SVMMARIVM.

1 *Filiofamilias contrahente, uel delictum patiente, non ipsi, sed patri actio competit.*

2 *Filiusfamilias suo nomine nullam actionem habet, præterquam de castrensi peculio, vel quasi.*

3 *Filius omnem actionem patri acquirit, quæ ne momento quidem penes filium remanet, & num. 15.*

4 *Filius actionem habet, quando pater absit, nec aliquis sit, qui eius nomine agat, & num. 9.*

5 *In iudicio nõ potest quis pro altero esse absq; mandato.*

Fallit in filio, & alia coniuncta persona.

6 *Qui admittitur ad agendum pro alio in iudicio debet cauere de rato.*

7 *Iudicium cum absente elusorium redditur, si ipse ratum non habeat.*

8 *Delicta non debent remanere impunita, & num. 14. & 15.*

10 *Filius inuito patre qui præsens sit agere nõ potest.*

11 *Cautio de rato, ut locum habeat, quid requiratur.*

12 *Procurator si ab absente constitutus sit, & velit agere, coniuncta persona non admittitur ad agendum.*

13 *Paria sunt non adesse procuratorẽ, & adesse, & nole agere.*

14 *Filiofamilias absente causa legationis, uel studiorum competit actio utilis pro furto, uel damno sibi ex iniuria illato, & quando.*

15 *Directa actio quarè non competat filiofamilias absenti.*

16 *Actio, uel exceptio quoties deficit, tunc utilis actio, uel exceptio competit.*

17 *Persona alias minus legitima admittitur in iudicio, ubi periculum est in mora.*

18 *Exceptiones declinatoriæ remittuntur, ubi periculum est in mora.*

19 *Propter suspicionem fugæ aliqua permittuntur, quæ alias denegantur.*

20 *Debitor suspectus de fuga potest capi pro debito in diem, uel sub conditione ante euentum diei, uel conditionis, quod non procedit cessante suspicione.*

21 *Actiones omnes filio dari utile est, ne fraudem patiatur propter absentiam patris.*

22 *Actiones utiles extraordinariæ sunt.*

23 *Actiones utiles, quarè ita appellentur.*

24 *Aduentitia hodie iure proprietatis filio, iure uerò usufructus patri acquiruntur.*

25 *Filius ex consensu patris, qui præsens sit, agit in ijs bonis aduentitijs, in quib. patri non acquiritur ususfructus, absente uerò patre absolutè.*

26 *Pater cum consensu filij agit in ijs bonis, in quibus sibi acquiritur usufructus.*

27 *Dignitas prodesse non obesse debet.*

28 *Noxa appellatione omne delictum continetur.*

29 *Actiones utiles quænam dicantur.*

30 *Vtatriculum quid sit.*

LImitationem proponit hic Vlpianus
1 ad regulam illam, quæ vult † quod
filiofamilias contrahente, vel delictum pa
tiente, nõ ipsi, sed patri eius cõpetit actio,
quam regulã habemus in l. filiusfamilias
2 infr. de act. & oblig. regulariter † enim fi-
lius suo nomine nullam actionem habet,
præterquam de castrensi peculio, uel qua-
3 si, omnem namquè † actionem patri confe
stim acquirit, quæ ne momẽto quidem in
eius persona consistit l. placet infr. de ac-
quir. hæred. §. 1. Instit. per quas pson. nob.
acquirit. oblig. id enim non procedit, tunc
quandò pater absens sit, & nemo sit, qui pa
tris nomine agat, ut in tex. nostro, cui con-
cordat tex. in l. si libertus supra de in ius vo
4 cand. Ex hoc itaquè text. conclusio sit † fi-
lium tum demum pro delicto, ex quo patri
actio competit, agere posse, si ipse pater ab
sit, nec aliquis sit qui nomine patris agat,
5 licet enim regulariter † quis pro alio absen
te absquè mandato in iudicio esse nõ pos-
sit, etiam si offerat se paratum præstare
cautionem de rato l. 1. C. de procurat. fi-
lius tamen, & alia coniuncta persona etiã
absquè

abſq; mandato admittuntur l.ſed & hæ in
6 princip.ſupr. de procur. cũ hoc tñ, † quod
caucant de rato, nã alias ſi abſens non ha-
7 beret ratum id quod fit † iudicium redde-
retur eluſorium, l.3.§.1. & ibi Bart. in.fin.
infr. iudic. ſolu l. 1. C. quibus res iudic.
non noc.trad. Iaſ.in l.exigẽdi num. 10. C.
de procurat.firm. Petr. Barboſ.hic num.4.
Ratio autem quarè filio hoc caſu actio cõ-
petat eſt ex mente Angel.hic, nè detur ma
leſactoribus cõmoditas aufugiendi, &
8 ita † delicta remaneant impunita contra l.
ita vulneratus infr.ad l.Aquil.
Extenditur hæc concluſio, ut procedat
non ſolum quando filius pro noxa patri il-
lata agat, verumetiam ſi agat ex cõtractu,
uel alia obligatione ad patrem ſpectante
ex contractu, vel facto ipſius patris, prout
hanc primam partem tex. noſtri intelligit
Petr. Barboſ. hic in princip. num. 3. cum ea
ſemper conditione, ut agat tamquam con
iuncta perſona, & caueat de rato, ut ſupra.
Declaratur autem hæc concluſio text.
9 noſtri, ut procedat † duobus concurrentib.
quod ſcilicet pater ſit abſens, & quod non
adſit procurator, qui eius nomine agat, ut
colligitur ex tex. noſtro ibi (ſi non ſit qui
patris nomine agat) undè ſequitur quoad
10 primum, † quod ſi pater præſens ſit, filius
nullo modo eo inuito agere poſſit l. Pom-
ponius §.fin. ſupr. de procur. nec ſatis eſt ſi
11 de rato caueat, q̃a ad hoc † ut ſit locus cau
tioni de rato requiritur, quod patris volun
tas præſens non facilè explorari poſſit l.
mutus §.is q̃ſi, & ibi Aug. & Caſtr. ſup. de
procurat. ſicut nec etiã filius agere poteſt,
12 ſi adſit procurator à patre conſtitutus, † p-
curatore enim conſtituto, tunc coniuncta
perſona excluditur, cui per patrem videtur
inhibitum ne agat, vt per Specul. in tit. de
coniunct. perſon. ſecus verò ſi procurator
conſtitutus nolit agere, tunc namquè filio
vti coniunctæ perſonæ competit actio, pa-
13 ria enim ſunt, quod † nõ adſit procurator,
& quod adſit, & nolit agere, vt per Caſtr.
in l.cũ Prætor in fin.prin.ſup.hoc tit.noſtr.
14 Concluſio altera ex tex. noſtro colligi-
tur, † quod filiofamilias abſenti cauſa le-
gationis, vel ſtudiorum cõpetit actio vtilis
pro furto, vel damno ſibi ex iniuria illato,
concordat tex. in l. ſed ſi vnius §. ait Præ-
tor, & §. filiofamilias infr. de iniur. ra-
tioquè in tex. noſtro aſſignatur, ne ma-
leficia remaneant impunita, vt etiam fir-
mat tex. in d.l. ita vulneratus infr. ad l. A-
quil. idquè in eo tempore, quo pater expe
ctaretur, quo durante, ne interim, qui no-
xam commiſit, ſe ſubtrahat, ideò actio hæc
15 vtilis filio competit, † directa autem com-
petere nõ poteſt, quia ut ſupra dictum eſt,
iure patriæ poteſtatis quælibet actio per fi
lium acquiſita patri quæritur, adeò ut ne
momẽto quidem penes filium remaneat;
ut in d.l. placet infr. de acquir. hæredit. fa-
cit tex. in l. 1. §. ſi filio infr. ad Trebel. S.C.
vndè filio eadem competere non poteſt,
iux. doctrin. gloſſ. in l. 3. in uerb. ſtatu infrà
pro ſoc. cum ergò periculum ſit in mora, ut
ille ſcilicet, qui noxam commiſit ſe ſubtra-
hat, & ſic delicta remaneant ſine debita pę
na, nil mirùm ſi utilis actio hæc filio detur
ex æquitate, ut inquit Barboſ. hic num. 17.
16 ex regula illa, quæ vult, † quod quotiès de
ficit actio, vel exceptio, tũc vtilis actio, uel
exceptio ſit, de qua in l. quotiès infr. de pręſ
cript. uerb. & ità ex hac concluſione duo
colliguntur per DD. noſtros, primum eſt,
17 † quod ubi periculum eſt in mora, tunc in
iudicio admittitur pſona, quæ alias minus
18 legitima eſt, nec admitteretur, † & ita ex-
ceptiones declinatoriæ remittũtur, ut not.
Bal. hic nu. 2. poſt eum Iacob. de S. Georg.
in princip. & Barboſ. num. 18. Alterum ue-
rò eſt ex illis uerbis (ſe ſubtrahat) quod ſci
19 licet † ratione ſuſpicionis fugæ aliqua per-
mittuntur, quæ alias non admitterentur,
ut per Caſt. hic nu. 3. & Iacob. de S. Georg.
20 nu. 2. vndè inferũt, † q̃ p debito cõditiona-
li, uel i diẽ põt pcedi ad capturã pſonę, uel
pignorũ, ſi ſuſpicio ſit de fuga, ad hoc ut de-
bitor caueat de ſoluẽdo adueniẽte die, vel
cõditione, iux. tex. in l. q̃ſitũ infr. de pigno-
rib. q̃ quidẽ ceſſante fugæ ſuſpicione fie-
ri nõ poſſet, alias captura nulla eſſet, ut p
Bal. in l. ſi q̃s curialis C. de Epiſc. & Cler.
trad. Caſtr. hic n. 4. & Iac. de S. Geor. n. 2.
Extendiẽ cõcluſiõ de qua ſup. ut non ſo-
lum filiofamilias abſenti propter furtum,
vel

vel damnum ex iniuria sibi illatum detur
utilis actio; verum etiam si damnum pro-
ueniret ex contractu, ut quia velit agere ex
contractu depositi, mandati, uel mutui ra-
tione de qua in tex. ad fin. scilicet, ne dum
non erit pater, ipse filius impunè damnum
ferat, & egestate Romæ laboret non rece-
ptis pecunijs sibi per patrem ad sumptum
21 destinatis, † omnes enim actiones dati vti-
litas exigit, ne fraudem filij patiantur pro-
22 pter absentiam patris. † Actionesque istæ
vtiles extraordinariæ quoquè appellãtur,
tum omnes actiones vtiles, extraordinariȩ
sint, ut per Cuiac. hic qui subdit, quòd uti-
23 les dicũtur, † ex eo, quia utilitate summa,
& æquitate dentur.

Declarantur autem hæc omnia, ut uera
sint in causis profectitijs, in quibus actio-
nes omnes, quæ filio acquirũtur, statim pa
tri dicuntur quæsitæ, ut supra; secus uerò
in causis aduentitijs, in quibus ius acquisi-
tionum aliquatenus mutauit Iustinianus
Imperator noster in l. fin. C. de bon. quæ
24 lib. voluit enim, † ut aduentitia iure pro-
prietatis filio familias acquirantur, patris
uerò tantum sit vsusfructus, in quibus ad-
uentitijs dicendum est, quod aut pater v-
sumfructum amplectitur, aut non, si pater
25 non est amplexus vsumfructũ † filius agit
consentiente patre, si præsens sit d. l. fin. §.
& filius C. de bon. quæ lib. absente verò pa
tre, cum alias consensus haberi non possit,
directò filius in iudicio etiam absquè pa-
tris consensu est admittendus iuxta regu-
lam tex. nostri, ut per Bart. hic num. 3. Ca-
stren. nu. 2. ad fin. & Iacob. de S. Georg.
num. 8. si uerò pater usumfructum ample-
26 ctatur, † tunc pater aget consentiente filio
d. l. fin. §. vbi autem in unũ C. de bon. quæ
liber. aut hoc casu etiam filius familias ab-
sente patre utiliter agere potest, ut per Cu-
iac. hic.

Colligitur tandem ex fine tex. nostri,
quod cũ filio absenti ex causa legationis,
uel studiorum succurratur, multò magis ei
succurri debet, si dignitatem habeat, ut quia
27 Senator sit, † cum dignitas sibi prodesse
non obesse debeat l. falsa demonstratio §.
sed si cui infr. de condit. & demonstrat. fir-
mat Cin. in l. si qui ex consensu num. 5. C.
de episcop. aud.

Ex aliqua noxa] idest ex aliquo deli-
28 cto, quia † noxæ appellatione omne deli-
ctum continetur l. plebs §. noxæ infr. de
verbor. signific.

Experiri] idest iudicio, uel actione,
vt etiam in l. si quis iniquum §. hæc pœna
supra quod quisquè iur. & in l. actione infr.
deposit.

29 Vtili iudicio] idest vtili actione, † vti-
les autem actiones dicuntur, quæ contra
stricti iuris rationem, utilitatis gratia ad
speciem propositam accommodantur, ut
in l. cum qui Ephesi §. si actori infr. de con
stit. pecun. & in l. 2. §. quanquam infr. de
aqu. & aqu. pluu.

30 Viaticulo]. † viaticulum est pecunia,
quæ iter facienti est necessaria, ut per Cruc.
hic, vnde viaticari dicebat Plaut. idest uia-
ticum consumere.

Ad l. xix. Vlpian. lib. lx. ad edict.

Hæres absens ibi defendendus est, vbi
defunctus debuit, & conueniendus,
si ibi inueniatur, nulloq; suo proprio
priuilegio excusatur.

SVMMARIVM.

1 *Hæres forum defuncti sortitur.*
Amplia vt num. 11.
2 *Hæres dicitur eadem persona cum defuncto.*
3 *Hæres adeundo dicitur quasi contrahere.*
4 *Forum sortitur quis rõne quasi contractus.*
5 *Creditoris conditio non debet mutari ex per-*
sona hæredis.
6 *Actiones in hæredem actiuè & passiuè tran-*
seunt.
7 *Textus l. nostræ varios patitur intellectus.*
8 *Absens quis dicatur.*
9 *Instantia cœpta cum defuncto trãsit in eius*
hæredem.
10 *Conuenire quid sit.*
12 *Priuilegia Principum in alterius iniuriam*
non censentur concessa.

13 Qui

13 *Qui in ius alterius succedit eius iure uti, & partibus eius fungi debet.*
14 *Qui cum defuncto contraxit, non debet sequi conditionem, & priuilegium hæredis, cum quo nihil contraxit.*
15 *Milites, scholares, & Ecclesiastici proprios iudices ex priuilegio habent.*
16 *Dictio (nullus) omnia excludit.*
17 *Priuilegium commune, quatenus uni competit, proprium illius dicitur.*
18 *Proprium quid nam dicatur.*
19 *Pupillus, & fiscus, si vt hæredes conueniãtur, iure defuncti, nõ proprio priuilegio vtuntur.*
20 *Præsens facilius se defendit quam absens.*

CVm ex edicto Pretoris bona eius possideantur, qui absens in iudicio non defenditur, ideò Vlpianus hic ad interpretationem huius edicti proponit, quo loci hæres defuncti, qui absit defendi debeat, & cum hac l. cõcordat tex. in l. si is qui Romæ infr. hoc tit. nostro.

1 Ex hoc itaquè tex. conclusio fit, † quod hæres forum defuncti sortitur, idquè cum
2 ratione factum est, cum † enim hæres, & defunctus vna, & eadem persona censeantur §. 1. in Auth. de iureiur. a mor. præstit. meritò ubi defunctus defendi debuit, ibi quoquè, & hæres pariter est defendendus, licet ibi domicilium non habeat, uel altera
3 ratio sit ex mente Angel. hic, † quia hæres adeundo quasi cõtrahit l. apud Iulianum §. fin. infr. quibus ex caus. in possess. eat. nil mirum ergò si hæres forum habeat, ubi &
4 defunctus habebat, † forũ namq; quis sortitur ratione quasi contractus, ut in §. seq. videbimus; Altera ratio fuit Sapiæ hic nu
5 mero 3. quia † ex persona hæredis non mutatur cõditio creditorum l. 2. §. ex his infr. de uerb. oblig. nil mirũ ergò si hæres sortiatũ
6 eundẽ forũ defuncti, Vel tandẽ rõ sit, † q. actiones à defuncto in hæredem transeũt actiuẽ, & passiuẽ l. 2. infr. de hęred. uel act. uendit.

7 Circa hunc tex. uarij sunt DD. nostri, ut eius intellectum afferant, uis. n. sibi contrariari; quatenus ĩ principio dicit, q̃ hæres absens defendi debet, ubi defunctus defendi debuit, subdit postea conueniendũ esse; vbi defunctus conueniebatur, si ibi reperiatur, & ita uidetur requirere præsentiã, quomodò ergò possunt stare insimul, quod ibi inueniatur, si est absẽs. Gloss. hic primo loco dicebat, quod hæres absens defendi debet, præsens uerò conueniri potest, sed hoc non tollit repugnantiam, quia si non potest conueniri, nisi ibi reperiatur, ergò quandò est absens non debet defendi, Alberic. hic in principio, quem sequitur Iacob. de S. Georg. num. 8. in fi. inquit, quod hæres erat absens absentia domicilij, præsens tamen postea præsentia suæ personæ, qui intellectus est contra proprietatẽ ver-
8 bi (absens) † cum absens dicatur, qui nõ est eo loci, in quo petitur, ut in l. absentẽ infr. de uerb. signif. Ang. & Castr. hic putant, q̃ heres absens possit cõueniri in loco defuncti, etiã q̃ ibi non reperiatur, si lis erat cœpta cum defuncto, quod etiam vult tex. in
9 in l. si is qui Romæ infr. cod. † in instantia. n. cœpta cum defuncto transit in eius hæredem l. seruus supr. de his, qui not. infam. & l. si eum dominum infr. de fideiuss. si uerò lis non erat incepta cum defuncto, tunc hęres in loco defuncti conueniri potest, si ibi reperiatur, istequè intellectus communiter est receptus, quidq̃d dicat Barbos. hic num. 12. qui vult, quod semper hæres siue præsens, siue absens sit, possit conueniri in loco ubi defunctus conueniebatur, & ita vult sensum tex. nostri esse, hæredem absentem defendi debere in loco, in quo defunctus etiam absens defendi debuisset, præsentem uerò cõueniri posse in loco, in quo defunctus præsens conueniri potuisset, qui quidem sensus non est amicus litterę, quæ illud uelle uis, q̃ si hæres non sit præsẽs vbi p̃sens defunctus conueniri poterat, ibi conueniri non debebit, cum repugnet natura
10 uerbi (cõuenire) † conuenire enim est coram appellare, & cum præsente agere de re aliqua, qui nobis de ea re respondeat, ita ut præsens quidem dicitur conueniri, & conueniri, idest coram appellari nemo ualeat nisi sit præsens, quarè sequamur communem intellectum, quod primus uersiculus loquatur quãdò lis contra defunctum erat

erat cœpta, quo casu hæres, & præsens, &
absens defendendus est, vbi & defunctus
defendi debuit, etiam si ex sua persona ali-
bi côueniri, & se defendere deberet, secun-
dus verò versiculus procedat, quandò iudi
cium cum defuncto nondum cœptum fuis-
set, quo casu hæres non potest conueniri,
nisi præsens sit, & ita hunc text. intellexit
Petr. Costal. lib. 5. aduersar. ex Pandect. ad
hanc l. nostram in princ.
11 Ampliatur conclusio tex. nostri, vt † ita
tantum verum sit hæredem sortiri forum
defuncti, ut in eo loco sit conueniendus, in
quo defunctus erat conuentus etiam non
obstante quocumquè priuilegio, quod ipsi
12 hæredi competat, † cum priuilegia Princi
pum in cuiusquam iniuriam tribui non so-
leant l. ne auus C. de emancipat. liber. vel
13 altera ratio sit, quia † qui in alterius ius suc
cedit, iure eius uti debet l. qui in ius infr. de
reg. iur. & partibus eius fungi debet l. que-
dam §. nihil interest supr. de edend. non. n.
14 æquitati conuenit, † ut ille, qui cum defun
cto contraxit, conditionem, & priuilegium
hæredis sequatur, cum quo nihil côtraxit,
argumento l. apud Iulianum infr. Quibus
ex caus. in possess. eat. quam ampliationê
declaremus veram esse, siue priuilegium
particulare, & priuatum ipsi hæredi a Prin
cipe concessum sit, vt scilicet si nolit, non
possit conueniri nisi coram certo iudice, si-
ue priuilegium sit publicum, & commune
insertum in corpore iuris, & ita à legib. pu-
blicis certò generi personarum sit attribu-
15 tum, ut proprio iudice uti possint, ut † eue-
nit in militibus, de quibus supra in l. si quis
posteaquàm hoc tit. nostr. l. magisteriæ C.
de iurisd. omn. iud. & l. penult. C. de pact.
idem in scholaribus, ut in Auth. habita C.
ne fil. pro patr. idem etiam, & in Ecclesia-
sticis personis, vt in l. placet C. de Episcop.
& Cleric. & in Auth. statuimus C. de Epi-
scop. aud. & quamuis omnes ferè DD. hic
velint hanc tex. nostr. ampliationem intel
ligi debere solum de priuilegio, quod par-
ticulare sit ipsi hæredi concessum, vt viden
tur sonare verba illa (nulloquè suo proprio
priuilegio) hallucinantur tamen, cum de
quocunquè priuilegio intelligi debeat, vel
16 tur enim verbo (nullo) † quod omnia exclu
dit, & licet subiungat alia illa verba (suo
proprio priuilegio) generaliter tamen
17 intelligenda sunt, † quia etiam priuilegiû
pluribus commune, quod insertum sit in
corpore iuris, & alicui competat, adhuc
proprium illius priuilegium dicitur, nam
saltem pro ea parte, quæ iure eum attingit
illius est l. pupillus §. fin. inf. de verb. signi-
18 ficat. † cum proprium illud dicatur, cuius
commodum, aut incommodum ad aliquê
suo nomine pertinet l. 1. §. in propria infr.
quand. appell. sit, & licet gloss. hic moueat
oppositionem de legato, qui si alicuius hæ
res sit, non tamen conueniri potest duran-
te legatione, & sic priuilegio iure publico
sibi tributo utitur, dicamus tamen ex men
te Donel. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 11.
in fi. illud procedere, quandò ut legatus,
non si ut hæres conueniatur, nam si ut hæ-
res conuentus fuerit, omninò iure defuncti
vti debet, quemadmodum in simili uide-
mus in pupillo, & fisco, qui licet alias val-
19 dè priuilegiati sint † si tamen conuenian-
tur non ex persona propria, ut pupillus, &
ut fiscus, sed ut hæredes, & successores, tûc
iure defuncti uti debent, nec proprio priui
legio se tueri possunt, ut de pupillis appa-
ret in dicta l. apud Iulianum infr. quib. ex
caus. in possess. eat. & de fisco in l. fiscus inf.
de iur. fisc.

Opponit de d. l. fiscus in princip. infr. de
iur. fisc. vbi fiscus postquam priuatò succes-
sit habebit priuilegium suum, ergò contra
tex. nostrû, qui vult quod hæres nullo suo
proprio priuilegio excusetur. Pro solut. di-
camus quod aliud est priuilegiû fori, aliud
priuilegiû prælationis, ac tacitæ hypothe-
cæ, tex. noster loquitur de priuilegio fori,
& d. l. fiscus loquitur de priuilegio præla-
tionis, tacitæquè hypothecæ, ut per Iul.
Pac. cent. 3. leg. côciliat. q. 24. vel dicamus
ut mox mox supra dictum fuit, quod dum
fiscus côuenitur ex propria persona, habet
priuilegium suum, & ita loquitur contra-
rium, dum verò conuenitur ex persona de
functi priuati, tunc priuati iure utitur, ut so
nant prima verba d. l. fiscus infr. de iur. fisc.
& ita etiam loquitur tex. noster.

Ibi

Ibi defendendus] amplia ut multò magis si præsens sit, debeat se defendere, facilius enim præsens se defendere potest, quam absens.

Et conueniēdus] idest coram appellandus, & ideò præsens esse debet.

Si ibi inueniatur] verba hæc referri debent ad illum versiculum (& conueniendus) qui proximus est, non ad versiculum (ibi defendendus) qui remotior est, & loquitur de eo casu, quandò hæres absit.

Ad § si quis tutelam.

Si quis tutelam, vel curam, vel negotia, vel argentariam, vel quid aliud, vndè obligatio oritur, certò loci administrauit, & si ibi domicilium non habuit, ibi se debebit defendere, & si nō defendat, nequè ibi domicilium habeat, bona possideri patietur.

SVMMARIVM.

1 *Forum sortitur quis ratione contractus.*
2 *Qui quasi contrahit obligatur.*
3 *Obligatio ubi contracta est, & ibi solui debet.*
4 *Forum sortitur qs. quasi ratione tutelæ, uel curę administratæ.*
5 *Tutor potest renunciare excusationi ab onere tutelæ sibi competenti.*
6 *Excusatio à tutela intra debita tempora est alleganda.*
7 *Argentariam exercens extra proprium domicilium, ibi forum sortitur.*
8 *Argentarius cogitur actione in factum rationes suas edere in loco, ubi argentariam exercet.*
9 *Administrans negotia aliena forum sortitur in loco administrationis.*
10 *Bona ipsius possidentur ex edicto Prætoris, qui in iudicio nō defenditur, siuè præsens, siuè absens sit.*
11 *Absens an debeat remitti ad locum quasi cōtractus, ut ibi se defendat.*
12 *Delinquens in criminalibus debet remitti ad locum commissi delicti.*
13 *Seruus fugiens à domino, & volēs ad libertatē se uēdicare, remittitur ad forū domini.*
14 *Iudex remitti debet ad locum, ubi gessit Magistratum, ut ibi stet ad syndicatum.*
15 *Pœna missionis in possessionem bonorum illius, qui in iudicio nō defenditur, ut locū habeat duo copulatiuè requiruntur.*
16 *Publicè expedit exemplum in sontes, & nocentes ibi edi, ubi deliquerunt.*
17 *Actor sequi debet forum rei.*
18 *Publicè expedit exemplum haberi de persona iudicum, qui malè se gerunt in officio suo.*
19 *Iudices in celeberrimis locis uersari debent antè omnium ora, quos gubernarunt, & quarè.*
20 *Argentariam exercere quis dicatur.*
21 *Domicilium quid sit, & ubi quis domicilium habere dicatur.*

VLpian. I. C. noster prosequens interpretationem eiusdem edicti Prætoris, quod bona illius possideant, qui absens in iudicio non defenditur, loquitur in præsenti tex. de eo qui ratione quasi cōtractus aliquo loco cōueniri possit, qui si absens nō defendatur, pœnæ edicti Prætoris subijcitur, vt bona eius possideantur;

1 Ex hoc itaquè tex. conclusio fit, † quod
ratione quasi contractus quis forum sorti-
tur, si scilicet tutelam, aut curā alicuius gef
ferit, vel alterius negotia administrauerit,
habetquè conclusio text. nostri multa iura
concordantia, concordat enim l. nequè fœ
mina in fin. supr. de procurat. l. interdum
§. senator, l. Argentarium in principio infr.
hoc tit. nostr. & l. 1. & 2. C. vbi de ratiocin.
2 ag. opor. ratioquè est in promptu, † quia dū
quis quasi contrahit etiam obligatur, ut in
tot. tit. Insti. de oblig. quæ ex quasi cōtract.
nasc. cum ergò obligetur, in se suscipit con-
ditionem obligationis, quam postea, & ius
3 confirmat, vultquè † vt vbi vna quæq; obli
gatio contracta sit, ibi & solui debeat per
regulam l. nihil tam naturale infr. de reg.
iur. mirum ergò si forum quis sortiatur
4 in loco quasi contractus; Vndè † qui tutelā
alicuius, vel curam gessit, quamuis eo loci
domicilium non habeat, ipsi tamē ratione

ipsius reddere debet,& ità ibi forum sorti-
tur d.l.nequè fœmina in fin. supr. de pro-
curat. nec mirùm sit, quod quis in alieno
5 territorio tutelam gesserit, vel curam † po-
test enim renunciasse excusationi sibi com-
petenti l.fin.inf.de excusat.tut.vel propter
moram talem excusationem ammisisse,
6 † cum excusatio intra debita tempora sit
7 alleganda,vt per Cuiac. hic, si quis † pari-
tèr argentariam extra proprium domiciliũ
exercuerit,ibi quoquè forum sortiri debet,
8 cum † & ibi cogatur per metum actionis in
factum rationes suas edere, ut in l. Prætor
9 ait in fin. supr.de edend. si quis† tandem
aliena negotia,vel administrationem alie-
nam tractauerit,ibi forũ sortiri debet, vbi
tractauit d.l. 1.C.vbi de ratiocin.ag.oport.
cum ibi instructio sufficiens, nota testimo-
nia,& verissima possint documenta præsta
ri,ut inquit Imper.in d.l. 2.C. vbi de ratio-
cin.ag.oport.ratione enim huius admini-
strationis,& sic huius quasi contractus, per
sonæ de quibus supra efficiuntur subditæ il
li iudici, in cuius territorio administratio
ipsa facta fuerit,vt per Barbos.hic num. 7.

Ampliatur hæc conclusio tex. nostri, ut
in tantum verum sit,quod ex quasi contra-
ctu quis forum sortiatur,ut si eo loci,vbi qs
contraxit,cõuentus fuerit,nec se defendat,
10 † tunc bona eius possideantur, & ità intret
pœna edicti Prætoris,vt hic in fin. tex. no-
stri;vndè colligitur necessitatẽ esse ex par-
te rei,ut debeat se defendere in loco quasi
contractus,nec aliquid dicitur in tex.quod
præsens,vel absens sit, qui conuenitur, sed
solum disponitur,quod si non defendatur,
bona eius possideantur,& ità apparet pœnã
hanc ità institutam aduersus non defensos
valere ergà omnes, siuè qui præsentes lati-
tent,siuè qui absentes per alium non defen
dantur l.item ait Prætor §. hæc autem sup.
ex quib.caus.maior.in integr.restit.l. 2.inf.
quib.ex caus.in possess.eat. sed hic nascitur
11 difficultas,† an iste qui absit, & alibi domi
cilium habeat instãte actore per Magistra-
tum eius loci,ubi reperitur, remitti debeat
ad locum quasi contractus, ut ibi se defen-
dat, gloss. quę hic refert opinionem Io. &
Azon. volentiũ quod remissio hoc casu fie-
ri debeat,exemplo criminalium causarum
12 † in quibus si reus,qui alibi extet, uocetur
in locum commissi delicti,placuit remitten
dum esse,ut res apud iudicẽ eius loci transi
gatur,ut in §.si uerò quis in Auth. ut null.
iud. item & exemplo serui, qui à domino
aufugisset,& alibi ad libertatem se vendi-
13 caret,† remitti enim debet ad locum,undè
aufugit,ut ibi causa cognoscatur l. 1.C.ubi
caus.stat.qđ etiam post Gugliel. de Cun.
voluerunt Castr.hic,& Iacob.de S.Georg.
14 exemplo iudicis,† qui remittitur ad locũ,
vbi gessit Magistratũ, ut ibi stet ad syndica
catum l. 1.C.ut omn.iudic. tam ciuil. quã
milit.& ità uolunt isti DD.quod iste sit ca
sus,in quo in ciuilib.debet fieri remissio ad
locũ quasi contractus,hęc tamen sententia
mihi non placet, sicut nec etiam Donello
placuit lib. 17.comment.iur.ciuil.c. 14.cõ-
lum. 5.hoc enim genus remissionis in rę pe
cuniaria est inauditũ iure ciuili, quinimò
ex edicto Prætoris aduersus eum, qui non
adsit, nec defenditur constituta est sola il-
la pœna,ut fiat missio in possessionem bo-
norum ejus d.l.Item ait Prætor §. hęc autẽ
supr.ex quib.caus.maior.in integr restit.l.
2.infr.quib.ex caus.in possess.eat. ut etiam
patet in l. satisquè supr. de in ius vocand.
15 † quæ pœna ut locum habeat duo copula-
tiuè requiruntur in text. nostro, ut scilicet
nequè se defendat, nequè ibi domicilium
habeat,ut in fin.tex.nostri, vndè sequitur,
quod si ibi domicilium habeat,tũc non de-
beat solum fieri immissio in possessionẽ bo-
norum eius ex primo decreto, sed debeat
vlterius etiam procedi ad secundum decre
tum,& ad sententiam diffinitiuam, ut per
Castr.in l. 2.§.legatis num. 3.supr. hoc tit.
nostr. vndè patet hanc solam pœnam im-
missionis in possessionem bonorum imposi
tam esse illi, qui absens non defenditur,
Nec vim faciant ea,quę in contrarium pro
opin. Io.& Azon.deducebantur, quod sci-
licet reus ad locum commissi delicti remit
16 titur,id enim fit cum ratione,quia † publi-
cè expedit exemplum in sontes, & nocen-
tes ibi edi,ubi deliquerunt l. 1.& Authent.
qua in prouincia C.ubi de crim.ag. oport.
l.si cui §.pen.& l.fin.infr.de accusat. quod
qui-

quidem fieri nō poteſt niſi reus præſens ſit, quæ ratio non uiget in eo, qui ex quaſi contractu obligatur, cum eius perſona non uocetur ad pœnam, ut exemplū ex ea detur, ſed bona eius capiuntur, undè ſatisfiat iudicatis l. 1. C. de execut. rei iudic.

Minus obſtat, quod de ſeruo, qui aufugit dicebatur, reſponderi namquè pariter poterit, nos eſse in caſu delicti propter fugam à domino, quaſi enim furto ipſi domino ſe ſubtrahere uidetur, vel cum Donell. ubi ſupr. col. 6. dicamus, quod dum uult libertatem ſibi vendicare actor dicitur, nil mirùm ergò ſi remittatur ad domicilium
17 domini ſui, † quia actor ſequi debet forum
rei l. fin. C. ubi in rem actio; Non obſtat tādem, quod de iudice dicitur, qui remittitur
ad locum, ubi officium exercuit, id enim pa-
18 riter ſuam rationem habet, † quia publicè
expedit exemplum haberi de perſona iudicū, qui malè ſe gerāt in officio ſuo, & ideò
19 inquit tex. in d. l. 1. C. ut omn. iudic. † quod
in celeberrimis locis ante omniū ora, quos gubernarunt, uerſari debent, ut pateat omnibus facultas libera ſuper furtis, aut criminibus quærimoniam commouendi.

20 Vel argentariam] † Argētariam exercere quis dicatur, colligitur ex l. ſi quis ex argentarijs ſupr. de edēd. trad. Prateius in ſuo lex. iur. in uerb. Argentariam facere.

21 Et ſi ibi domicilium] domiciliū † eſt domus poſseſsio in ea ciuitate, in qua quis ciuis cenſetur, & ſæpius commoratur, ut in tot. tit. infr. ad Municip. & de incol. domiciliūquè poteſt dici eſse locus, in quo quis habitat eo animo, ut ibi perpetuò conſiſtat, niſi quid auocet, ut p Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 12. col. 2. Domiciliū autem ibi quiſquè habere intelligitur ubi larem, rerūquè ac fortunarum ſuarū ſummam conſtituit, undè rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil auocet, & undè cū profectus eſt peregrinari uidetur l. ciues C. de incol. lib. 10.

Ad §. Proindè.

Proindè & ſi merces vendidit certo loci, vel diſpoſuit, vel cōparauit; videtur (niſi alio loci, vt defenderet, cōuenit) ibidem ſe defendere. Numquid dicemus eum, qui à mercatore quid cōparauit aduena, uel ei uendidit, quem ſcit indè confeſtim profecturum, nō oportere ibi bona poſſideri, ſed domicilium eius ſequi à. At ſi quis ab eo comparauit, qui tabernam, vel officinam certo loco conductam habuit, in ea cauſa eſt, vt illic conueniatur; quod magis habet rationem. Nam vbi ſic venit, vt confeſtim diſcedat, & quaſi à viatore, vel eo, qui παραπλεῖ emit duriſſimum eſt, quot quot locis quis nauigans, vel iter faciens, delatus eſt, tot locis ſe defendere. At ſi quo conſiſtit, non dico iure domicilij, ſed tabernulam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibiquè diſtraxit, egit, defendere ſe eo loci debebit.

S V M M A R I V M.

1 *Forum ſortitur quis ratione contractus in loco vbi contraxit.*
Fallit vt num. 5.
Declaratur, vt num. 13.
2 *Duo ſunt, quæ operantur, vt quis ſortiatur forum in loco contractus.*
3 *Vnum quodquè eodem modo, quo contractum eſt, etiam diſſoluitur.*
4 *Si actum ſit, vt pecunia certo loco ſoluatur, id etiam actum dicitur, vt ibi peti, & ab inuito exigi poſſit.*
6 *Contractus à conuentione legem accipiunt.*
7 *Conuentio non valet, vt alius Prætorius dicat, quam ille cuius iuriſdictio ſit.*
8 *Conuētio valet, vt alio loco quis ſe defendat, quam in loco contractus. & nu. 5.*
9 *Conciliatur text. noſter cum l. ſi conuenerit ſupr. de iuriſd. omn. iud.*
10 *Mutatio fori nudo pacto fieri non poteſt, poteſt tamen fieri lege contractus.*
11 *Pactum quod contractui ineſt ſeruandū eſt.*

12 *Reus potest conueniri, & in loco contractus, & in loco domicilij.*
13 *Contrahens in aliquo loco, vt aduena, uel viator ibi non sortitur forum.*
14 *Contrahens scienter cum viatore, præsumitur velle eum conuenire in loco domicilij.*
15 *Taberna unde dicatur, & quid sit.*
16 *Officina unde dicatur, & quomodo à Taberna differat.*
17 *Pergula quid sit.*
18 *Horreum quodnam dicatur.*
19 *Armarium quid sit.*

DE eo qui quasi contraxit dictum est in § antecedenti, quod in loco quasi contractus forum sortitur, nunc de eo, qui verè cōtrahat agitur, qui paritèr forum in loco contractus sortitur, & cum hoc tex. cōcord. tex. in l. 2. §. omnes sup. hoc tit. nostr. & in c. fin. extr. de for. compet.

1 Ex hoc itaquè tex. conclusio sit, † quod ratione contractus sortitur quis forum in loco vbi contraxit, si enim ratione quasi cōtractus quis forum sortitur, vt supra est dictum, multò magis est dicendum, quod ratione cōtractus quis forum sortiatur, † duo
2 enim concurrunt, quæ operantur, vt contrahens in aliquo loco subijciatur iurisdictioni eius loci, vbi contrahit, cōuentio nempè, & lex seu natura obligationis ipsius, cōuentio qua id agitur, vt quod alicubi contractum est eodem loco soluatur, vndè & eo loco præstari debet l. argentarium §. 1. infr. hoc tit. nostr. lex verò, seu natura obli-
3 gationis, quæ est, † vt quomodo quidquè contractum sit, eodem modo, & dissoluatur l. nihil tam naturale infr. de reg. iur. vndè qui locus est contrahendæ obligationis, idem etiam & dissoluendæ esse debet, quarè si id agatur, vt ibi pecunia soluatur, etiā
4 dicendum est, id agi, † vt ibi liceat petere, & exigere ab inuito, sine quo alias nulla futura esset solutio, & ità quis sortitur forum eo loci, quo contraxit.

Fallit autem conclusio de qua supra in
5 eo casu, † quando conuentio inter partes facta esset, vt ille, qui cōtrahit, alio loci se defendere possit, quam in loco contractus, vt hic in principio tex. nostr. cui concord. tex. in l. 3. infr. de bon. auct. iudic. possid. & in l.
6 contraxisse infr. de act. & oblig. nam † contractus à conuentione legem accipiunt l. legem C. de pact. Huic tamen fallentiæ obstate videtur tex. in l. si conuenerit supr. de iurisd. omn. iud. qui pugnare videtur cum
7 tex. nostro, ibi enim disponitur, † quod si conuētum sit, vt alius Prætor ius dicat, quā ille cuius iurisdictio sit, paciscentes non cōpelluntur huiusmodi conuētioni stare, hic
8 verò dicitur † posse conueniri, ut alio loco quis se defendat, quam in loco contractus,
9 Pro solut. & concordia istorum iurium † dicamus distinguendum esse inter pactū nu-
10 dum, & legem contractus † mutatio enim fori nudo pacto fieri non potest, & ita procedat tex. in d. l. si conuenerit, at lege contractus hæc mutatio fieri potest, idest pacto, quod contractui incontinenti sit adie-
11 ctum, itàut contractui insit † quo casu seruandum est l. iurisgentium §. sed cum nulla cum §§. sequentibus supr. de pact. tradit Iul. Pac. centur. 1. legum conciliat. q. 60. & centur. 3. q. 25. vel alio modo pro solut. dicamus, quod text. noster nō debet intelligi de mutatione fori, prout loquitur tex. in d. l. si conuenerit, sed de electione, quod scili-
12 cet † cum reus possit conueniri duobus locis, vel nempè ubi domicilium habet, uel vbi contraxit, adeò ut electio sit creditoris vtro loco malit reum cōuenire, ualeat conuētio, quæ hanc electionē perimat, cū conuentum fuerit, ut reus non conueniatur in loco contractus, sed in loco domicilij.

Declaratur hæc conclusio tex. nostri, ut uera sit in eo casu, quando cōtrahens in loco contractus constiterit conducta fortè taberna, aut officina, aut armario, ucl hor-
13 reo, aut pgula, secus uerò † si ut uiator, uel ut aduena contrahat in aliquo loco, tunc enim ibi forū non sortitur, nec ratione contractus ibi conueniri potest, ut hic & in c. 1. §. nequè etiam ubi gloss. de for. compet. lib. 6. cum necesse sit, ut eo loci constiterit, idq; ideò, ne quot locis quisquè iter faciet, tot locis se defendere cogatur, quod durū esset, Pro cuius declarationis apertò intellectu ad distinctionem est recurrendū, quando enim quis contrahit cum aduena, uel

viato-

viatore, aut contrahit cum eo, qui habebat officinam, tabernam, pergulam, armariũ, aut horreum, aut cum eo, qui nullum horũ habebat, Primo casu aduena ille debet forum sortiri in loco contractus, quia cum habeat ibi tabernam, vel pergulam, vel quid simile, dicitur ibi consistere, & ideò forum sortitur, secundo casu quando neque officinam, neque tabernam, aut quid simile habebat, tunc est subdistinguẽdum, aut enim qui cum eo contrahit, scit eum statim recessurum, aut non, primo casu aduena non sortitur forum in loco contractus, sed præ-
14 sumitur, quod qui cum eo contraxit, uoluerit eum conuenire in loco domicilij, secundo uerò casu poterit aduena statim in loco contractus conueniri, ita Bart. quem & Castren. insequitur & Iacob. de S. Georg. hic num. 5.

Vel disposuit] idest deposuit explicat Cruc. hic.

Nisi alio loci] & non ibi, vbi contraxit, ut per Castr. hic num. 3.

15 Qui tabernam] taberna dicta est, † qđ tabulis ut Festus interpretatur conficeretur, non quod tantummodò clauderetur, omne tamẽ ædificium licet tabulis nõ conficiatur, vel claudatur taberna dici potest Alciat. in l. Tabernę num. 1. inf. de verbor. signific. tabernaque erat ædificium in loco publico, ubi merces, & quæcũque alia opera omnis generis vènum proponebantur.

16 Vel officinam] † officina ab officio dicta est, in qua artifices operas exercẽt, differtque à Taberna, quia Taberna ut supra, est ædificium, ubi opera uenduntur, in officina verò ipsa opera fiunt teste Vall. lib 4. tradit Io. Brecheus in l. indè tabernaculæ infr. de uerb. signif.

Qui παραπλεῖ] idest prænauigabat, quæ lectio ex uetustis Codicibus approbatur, ut per Cruc. hic.

Pergulam] † Pergula est locus ab omnibus laterib. apertus accommodatus exponendis uenalibus rebus, ut solent pictores l. si uerò §. fin. & ibi Bud. infr. de his, qui eiecer. uel effud. sic etiam dicuntur pergulæ Magistrales, nam Magistri litterarum, vel artium liberalium pergula, appensa tabula respõdebant, qđ docerẽt; vndè Plaut. in Pseudo; Pergulæ meretricum. Item Pergula est pars domus ex porrecta, & propendens eiusdem generis, quas salientes artifices appellant, ut per Cruc. hic.

28 Horreum] † horreum accipitur pro quocumquè loco ad reponendum merces, ut per Alciat. in l. detestatio num. 46. infr. de verbor. signific.

19 Armarium] † armarium dicitur esse inquit Vall. ubi reponuntur libri, & similia l. 3. inf. de suppellect. leg. armariũ Adrian. Turneb. lib. aduersar. 7. c. 23. interpretatur Promptuarium è quo promitur cibus; Vndè Plaut. in Captiuis ĩquit Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.

Ad §. Apud Labeonem.

Apud labeonem quęritur; si homo prouincialis seruum institorem vendendarum mercium gratia Romæ habeat; quod cum eo seruo contractum est, ità habendum, atquè si cum domino contractum sit, quarè ibi se debebit defendere.

SVMMARIVM.

1 *Dominus obligatur ex contractu gesto à suo institore.*
2 *Qui per alium facit, per semetipsum fecisse dicitur.*
3 *Mandans non conuenitur in loco commissi mandati, sed in loco executi mandati.*
4 *Executio fieri non potest contra eos, qui in nundinas eunt.*
5 *Ius nundinas exercendi olim Princeps, & Senatus etiam priuatis concedebat.*
6 *Institor qui nam dicatur.*
7 *Institor, & procurator quomodo differant.*

CVm dictum fuerit, quod forum quis sortitur eo loci, quo contrahit, quæritur modò numquid forum quis sortiatur ex contractu gesto per seruum suum institorem; habetquè lex hæc concordantia iura in l. non alias §. legati infr. hoc tit. nostr. in l. 1. infr. de instit. act. in l. Iulianus §. si procurator intr. de act. empt.

1 Ex hoc autem tex conclusio fit, † quod contrahens obligatur non solum ratione contractus à se gesti, verum etiam ratione contractus gesti à suo institore, & ideò si quis seruum institoré aliquo loci habeat,
2 eo loci conueniri poterit pro negocijs ab institore gestis, ut clarè supponit Boer. decis.
3 114. in principio, † qui enim per alium facit (inquit regula) per semetipsum fecisse dicitur l. 1. §. deiecisse infr. de vi, & vi armat. c. qui per alium de reg. iur. lib. 6. Vndè
3 colligit Alber. hic, quod † quis non conuenitur in loco, in quo mandatum dedit, sed in loco, in quo committitur executio mandati, dominus enim dum in prouincia esset institorem constituit, & sic mandatum dedit, non tamen in prouincia conueniri potest, sed Romæ cũ ibi institor negocia gesserit, & ità mandatum executioni mandauerit, quod dictũ Alber. insequitur hic Iacob. de S. Georg.

Opponitur de l. 1. C. de nundin. vbi in-
4 quit Imper. † contra eos qui in nundinas eunt nullam executionem fieri posse, & sic eos non posse conueniri, vndè apparet non esse verũ, quod dominus obligetur ex negocio gesto per seruum Romæ, quia sicut seruus ipse, si liberã haberet personam nõ posset conueniri, ità nec etiam dominus ex persona ipsius debet posse conueniri. Pro solut. dicamus, quod si verè consideremus illum tex. lex illa pertinet tantum ad certũ tempus nũdinarum nempè, & respicit tantum certas personas, illos scilicet, quibus à
5 Principe nundinæ sunt cõcessæ, † Ius enim nũdinas exercẽdi olim Princeps, vel Senatus etiam priuatis dabat; lege autem illa cõstituitur, vt ij, qui ius illud nundinarum obtinuerint, non conueniant negociatores eo tempore concurrentes, nec merces eorũ detineant, cũ ergò tex. ille loquatur de certo genere personarum, & de certo tempore tantum, non obstabit conclusioni generali tex. nostri, ut dominus teneatur ex negocijs gestis per seruum institorem.

Si homo prouincialis] vnus scilicet ex ijs, qui in prouincijs degunt, de quibus in l. 2. §. omnes supr. hoc tit. dictum est.

6 Seruum institorem] institor † rectè appellatur, quicumquè negocio præpositus sit, vndè qui tabernis vinis vendendis, vel alicui alteri negocio præpositus est, institor appellatur l. institor (1. & 3.) infr. de instit.
7 act. differuntquè † Institor, & Procurator, nam is, qui quæstuariæ negociationi præfectus est, institor dicitur, qui verò negocio cuiquam non quæstuario præficitur, procurator dicitur, ut per Schard. in suo lex. iur. in verb. institor, & procurator.

Ibi se debebit defendere] & sic forũ eo loci sortietur, ibiq; conueniri poterit.

Ad §. fin.

Illud sciendum est; eum qui ita fuit obligatus, vt in Italia solueret, si in prouincia habuit domicilium, vtrobiq; posse conueniri, & hic, & ibi, & ità, & Iuliano, & multis alijs videtur.

SVMMARIVM.

1 *Qui constituit se certo loco soluturum potest, & ibi conueniri, & etiam vbi domicilium habet.*

Declara vt num. 10.

2 *Forus domicilij potentior, & fortior dicitur quocumquè alio foro.*

3 *Domicilium qui habet in aliquo loco, in consequentiam ibi forum sortitur, & ibi conueniri potest, etiam pro contractibus alio bi gestis.*

4 *Territorium, & multò magis homines ex territorio, territorij iurisdictioni subijciuntur.*

5 *Homines sunt propriè in quibus dicitur esse ius terrendi.*

6 *Territorium dicitur à iure terrendi.*
7 *Ex territorio quis dicatur.*
8 *Locus si destinetur solutioni, dicitur destinari in fauorem creditoris.*
9 *Quod fauore est inductum, non debet in odiũ retorqueri.*
11 *Domiciliũ prius tollitur ex eius mutatione.*
12 *Forus mutatur ex mutatione status.*
13 *Italia quę sit, & quantum duret remissiuè.*

PRo complemẽto huius legis proponit nobis Vlp. I. C. an ille, qui in loco destinato constituit se soluturũ, alio loco conueniri possit, & concordat cum hoc §. text. in l. si duo, §. sed & certo loco infr. de constit. pecun. & in l. 2. C. de iurisdict. omn. iudic.

1 Ex isto autem tex. fit conclusio, † quod qui constituit se soluturum aliquo loci, nõ solum conueniri potest, & forum sortitur in loco destinatæ solutionis, verum etiam, & in loco proprij domicilij, Ratioquè fit,
2 † quia forus domicilij fortior, & potentior quocumquè alio foro dicitur, ut per Cagn. in l. exigere dotem num. 9. infr. hoc tit. no-
3 str. vndè tenet hæc consequentia, † habet quis domicilium in certo loco, ergò ibi forum sortitur, ibiquè conueniri potest d. l. 2. & ibi Salic. num. 9. C. de iurisd. om. iud. qđ verum sit etiam pro contractibus alibi gestis, vt per Abb. in c. fin. num. 38. & ibi I cellin. num. 23. extr. de for. compet. idquè cũ
4 ratione, sicut enim † territorium ipsum, sic & omnis, qui ex territorio fit multò magis eius territorij iurisdictioni subijcitur, cum non loca inanimata, quorum nullus est sen
5 sus, † sed homines propriè sint ij, in quos di
6 ci possit ius esse terrendi, † vndè territoriũ dicitur l. pupillus §. territorium infr. de ver
7 bor. significat. † ex territorio autèm dicitur esse quisquis in eo domicilium habet, vel altera ratio fit, † quod locus destinatæ solutioni adiectus fuit in fauorem creditoris; quia eius scilicet intererat solutionem in
9 loco expresso recipere, † quod igitur in fauorem inductum est, non debet in odium retorqueri l. quod fauore C. de legib. & sic etiam in loco domicilij debitor conueniri poterit; Quid enim si nunquam ad locum destinatæ solutionis accederet? vt per Cuiac. hic in fin.

Declaratur autem hæc conclusio, vt in-
10 telligatur † de domicilio, quod reus habet cum conuenitur, non autem quod prius habuit, si enim quis alicubi potest conueniri propter domicilium, quod habeat, sequi-
11 tur, † vt sublato priore domicilio (quod eius mutatione contingit) non possit am-
12 plius ad id domicilium conueniri, † ex mutatione enim status mutatur forus, & ad alium iudicem peruenitur l. penult. in princip. supr. de iurisdict. omn. iudic. & l. fin. C. de incol. lib. 10.

13 In Italia] † quæ nam sit, & quantum duret Italia, vid. quæ dixi supr. in l. Insulæ Italiæ num. 9.

Si in Prouincia] extrà scilicet Italiam, vt supr. in l. 2. §. omnes num. 25. hoc tit. dictum est.

Vtrobiquè] & in Italia scilicet, & in Prouincia, & ità vbi destinata fuit solutio, & in loco domicilij.

Ad l. xx. Paul. lib. lviij. ad edict.

Omnem obligationem pro contractu habẽdam, existimandum est; ut ubicumquè aliquis obligetur, & contrahi videatur, quamuis non ex crediti causa debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio pro contractu accipitur in materia forum sortiendi, & nu. 14. & 15.*
2 *Bona illius, qui quoquomodo obligatus sit, possidentur ex edicto Prætoris, si se non defendat in loco obligationis.*
3 *Qui quasi contrahit tenetur se defendere in loco quasi contractus.*
Idem dicitur de eo, qui deliquit, uel quasi, ut num. 16.
4 *Obligatio ubi contracta est, ibi etiam dissolui debet.*
5 *Ratio eadẽ ubi uiget, ibi debet uigere idem ius.*

6 Con-

6 *Contractus strictè sumptus significat id quod mutuo consensu inter aliquos geritur.*
7 *Contractus latè sumptus significat conuentionem, & omne factū, ex quo oritur obligatio.*
8 *Contractus est causa obligationis, obligatio verò est effectus contractus.*
9 *Causa non potest esse effectus, nec è conuersò effectus potest esse causa.*
10 *Contractus est quid facti.*
11 *Obligatio nascens ex contractu dicitur esse iuris.*
12 *Quasi contractus, delicta, & quasi non possunt propriè dici contractus.*
13 *Contractus nullus potest esse sine consensu, & conuentione.*
15 *Quilibet se defendere debet, uel ubi domicilium habet, uel ubi contraxit.*
16 *Responsum debet accommodari quæsito.*
17 *Contractus, & delicta æquiparātur, quoad forum sortiendum.*
18 *Argumentum à contractibus ad delicta uales, & quando.*
19 *Videtur verbum improprietatem denotat.*
20 *Credendi uerbum generale est ad omnes contractus.*

CVm forum quis sortiatur ratione contractus à se gesti, vt supra dictū fuit, ideò Paul.I.C. declarat, quid nam veniat appellatione contractus in hac materia fo-
1 rum sortiendi, † vultquè omnem obligationem pro contractu accipiendam esse, & ex mēte Vigel.lib.5.ff.c.2.q.1.except.15. replic.6.duplic.3.cum hac.l.concord.tex. in l.non alias §.legati infr.hoc tit. nostro, concord.item l.3.in fin. & l.4. infr. Quib. ex caus.in possess.eat.

Ex hoc tex.conclusio fit, ꝙ q qualē quālem obligationem contraxit, quamuis in creditum itum non sit, contraxisse videtur d.l.3.§.fin.& l.4.infr.quib.ex caus. in possess.eat.omnis enim obligatio pro contractu habenda est, vt in tex.nost. vndè sequi-
2 tur, † quod missio in possessionem bonorum eius fieri debeat, qui quoquomodo obligatus non se defendat in loco obligationis
3 factæ, & per consequens, † qui quasi cōtrahit, qui delinquit, & qui quasi delinquit, defendi debet in loco contractæ obligationis nempè, quasi cōtractus, delicti, vel quasi, & sic ibi forum sortitur, quemadmodū, & ille, qui contrahit, in istis enim cadit eademmet ratio, quæ supra in contractibus
4 considerabatur, ut scilicet, † vbi contracta fit obligatio, ibi etiam dissoluatur l.nihil tā
5 naturale infr.de reg. iur. quarè † cū uigeat eadem ratio, & idem ius vigere debet, l.illud infr.ad l.aquil. contractus namquè in
6 hoc casu non strictè accipi debet, † quatenus significat id, quod mutuo consensu inter aliquos geritur, ut in l.labeo §.cōtractū infr.de uerbor. significat. sed latè sumitur;
7 † quatenus significat cōuentionem, ex qua oritur obligatio, ut in tex. nost. & in l. ante ced.§.si quis tutelam, & ità cōplectitur omne factum, undè obligatio nascitur, ut per Donell.lib.17.comment.iur.ciuil.c.14.co
8 lum.2.propriè enim loquendo † cōtractus est causa obligatio verò est effectus nascēs ex ipsa causa, nempè contractu, quarè stri-
9 ctè loquēdo † causa nō potest esse effectus, nec è conuerso effectus potest esse causa, ut
10 per Donell.d.col.2. † contractus item est quid facti l.consilio §.fin.inf.de curat. fur.
11 † obligatio uerò indè nata est iuris, ut in princip. Instit.de reb.corporal. & incorporal.vndè videmus quod Paul. I. C. noster hic non dicit absolutè omnem obligationē esse contractum, sed prò contractu haben-
12 dam esse, & ità impropriè, nam † quasi contractus, delicta, & quasi maleficia contractus propriè dici nō possunt, cū in eis quod
13 geritur, non geratur mutuo consensu, † nullusquè contractus sine consensu, & conuentione esse possit l.1.§.1.supr.de pact.

Declaratur hæc conclusio tex.nostri, ut
14 non intelligatur generaliter, † quod omnis obligatio semper pro contractu habēda sit, sed tantum in eo casu, cū agitur de aliquo, conueniendo in loco contractus, cum enim Paul. I. C. interpretaretur illud edictū Prætoris, ubi quisquè se defendere deberet? re-
15 sponsumq; esset, † ibi quemq; se defendere debere, uel ubi domicilium habet, uel ubi cōtraxit l.1.2.& 3.infr.de reb.auctor.iud. possid.indequè rursum quæreretur, quem hic contractum accipere debeamus, respon

det omnem obligationem prò contractu habēdam esse, nempè in hac parte, de qua quæritur, vbi quis se defendere debeat, ad hoc ne subijciatur edicto Prætoris, vt bona
16 illius possideantur, & ità † responsum accõmodatur quæsito §. præterea Instit. de inutil. stipul. quarè in hac materia forum sortiendi tantum intelligi debet dictū Pauli, non generaliter, & sic concludamus, quod non solum ille qui contraxit, se defendere debet in loco contractus, vt in §. proindè l. antecedētis dictum fuit, verùm etiam qui quasi contraxit, vt putà, quia tutelam, vel curam, vel negotia alterius administrauerit in loco administrationis conueniri potest, & ibi se defendere debet, vt in d. l. hæres §. si quis tutelam, & in l. interdum §. si. hoc tit. nostr. & l. 1. & 2. C. vbi de ratiocin. ag. oport. Item qui deliquit, vel quasi in loco delicti, vel quasi se defendere, & ibi iudicium pati debet l. non aliàs §. 1. l. si vxor infr. hoc tit. & l. 1. & 2. C. vbi de crim. ag. oport. isti enim omnes se obligare dicūtur, vt colligitur ex §. sequens Instit. de oblig. & ità ex hoc tex. colligitur ex mente Ia-
17 cob. de S. Georg. quod † contractus, & delicta æquiparantur, quod verum est, quantum ad forum sortiēdum, non autē quoad pœnam, ut per Bal. in l. in actionibus supr.
18 de his, qui not. infam. vndè † validum est argumentum à contractibus ad delicta, & è contra, ut ad hanc legem tradit Bernard. Alphan. ì suis collectan. iur. collectan. 502.

Omnem obligationem] idest omne factum, ex quo obligatio nascitur Donell. d. c. 14. col. 2.

Contrahi videatur] ergò non propriè
19 contrahit, cum † verbum videtur improprietatem denotet l. si quis fundum infr. de cōtrah. empt. not. DD. in l. 1. §. deiecisse infr. de vi, & vi armat. Bart. & cœteri in l. si is qui pro emptore infr. de vsucap. & ideò etiam superius dixit omnem obligationem prò contractu habendam, non autem dicit contractum esse.

Non ex crediti causa] idest ex aliquo
20 cōtractu, † cum credēdi verbum generale sit ad oēs cōtractus, vt in l. 1. inf. si cert. pet.

Ad l. xxi. Vlpian. lib. lxx. ad edict.

Si debitori meo velim actionem edere; probandum erit, si fateatur se debere paratumquè dicat soluere, audiendum eum, dandumquè diem cum competenti cautela ad soluendam pecuniam, nequè enim magnum damnum est in mora modici temporis. Modicum autem tempus hic intelligendum est, quod post condemnationem reis indultum est.

SVMMARIVM.

1 *Lex ista est aurea, & nobilis.*
2 *Reus si fateatur debitum, antè litem contestatam audiri debet.*
3 *Confitens non dicitur velle litigare.*
4 *Viri boni lites execrantur.*
5 *Ob lites quis efficitur pauper.*
6 *Confessus non condemnatur per sententiam, sed absoluitur à iudicio, & ei terminus ad soluendum cum præcepto assignatur.*
7 *Inconfessum partes iudicis sunt in condemnando.*
8 *Confessus pro iudicato in iure habetur.*
9 *Reus vbi fatetur se debere non est opus iudicio.*
10 *Reus confitēs post oblatum libellum dicitur litem contestari, & ideò cōtra eum potest procedi ad sententiam condemnatoriam.*
11 *Confesso datur ille terminus ad soluendum, quem lex tribuit condemnatis per sententiam.*
12 *Condemnatis per sententiam olim quodnam spatium ad soluendum concederetur.*
13 *Condemnato ad restituendam certam speciē terminus arbitrio iudicis assignatur.*
14 *Confesso hodie ex consuetudine decem tantum dies ad soluendum assignantur. Nec tenetur satisdare.*
15 *Voluntas hominis semper regulatur secundum ius.*
16 *Paratum quando quis se dicat aliquid facere, intelligi debet cum competēti dilatione, non incontinenti.*

17 Be-

17 *Beneficium à lege indultum nemini est aufe rendum.*
18 *Confessus extra ius, vel iudicium non habetur pro iudicato.*
19 *Competens cautela quę dicatur, & nu. 31.*
20 *Reus non potest uti dilatione sibi statuta, nisi caueat de soluẽdo infra dictam dilationem.*
21 *Creditor non potest agere contra debitorem actione iudicati intrà terminum illi statutum ad soluendum.*
22 *Debitor non cauens, nec bonis cedens carcerari potest.*
23 *Conuentus suo nomine non tenetur satisdare de iudicatum soluendo, sed tantum de iudicio sisti, & quando.*
24 *Cautio de indicio sisti lata sententia expirat.*
25 *Dilatio condemnato ad soluendum concessa, miserationis gratia conceditur.*
26 *Debitori si ex gratia concedatur dilatio ad soluendum, tenetur praestare cautionem de soluendo elapsa dilatione.*
27 *Debitor quisnam dicatur.*
28 *Debitor conditionalis, vel in diem nõ potest cogi ante euentum conditionis, vel diei.*
29 *Edere actionem quisnam dicatur.*
30 *Edere, verbum, multos habet significatus.*
32 *In mora modici temporis non est magnum preiudicium.*
33 *Princeps dilationem temporis ad soluẽdum concedere potest, non autem vt quis numquam soluat.*
34 *Damnum modicum aequo animo quis ferre debet.*

1 LEx ista † aurea, & nobilis est, vt post Bal. exorditur hic Iacob. de S. Georg. continetq; marceriam rei, qui conuentus debitum fateatur, & habet iura concordantia in l. si reus paratus supr. de procurat. in l. debitoribus infr. de re iudic. in l. certum §. sed & si fundum in fin. infr. de confess. & in §. fin. Instit. de perpet. & tempor. act.

2 Conclusio autem ex tex. nostro fit, † qđ si reus in iudicio conuentus debitum fateatur, antequam sibi edatur actio, vtique audiri debet, vt potè qui † confiteatur, & sic
3 litigare nolit, confitendo enim intentionẽ actoris, videtur voluisse euitare iudicium, tantò magis si dicat se paratum soluere, ut
4 in tex. † boni nàmquè uiri lites execrantur Litem si res §. fin. infr. de alien. iudic. mut.
5 caus. fact. † ob quas lites quis efficitur pauper, ut in princip. in Auth. vt differ. iud. &
6 † ideò per sententiam non condẽnatur iste confessus, imò absoluitur à iudicio, & ei terminus ad debitum soluendum est assignandus d. l. si reus paratus supr. de procurat. & sic fieri sibi debet praeceptum de soluendo infr. terminum assignatum, ut per gloss. in c. dudum (secundo) extr. de elect. & elect.
7 potest. cum † in confessum nullae partes iudicis sint nisi in condemnando, ut in l. pro
8 indè in fin. infr. ad l. Aquil. † cõfessus namquè in iure pro iudicato habetur l. post rem infr. de re iudic. l. vnic. C. de confess. vndè
9 dicitur, † quod vbi reus fatetur se debere, tunc non est opus iudicio d. l. si reus supr. de procurat.

Declaratur haec conclusio, vt vera sit, quando confessio facta fuerit ante litẽ contestatam, ut colligitur ex tex. nostr. in principio, in illis verbis (si debitori meo velim actionem edere) ex quibus datur intelligi nondum editam esse actionem, & per consequens litem non adhuc esse cõtestatam,
10 si † enim post editionem libelli quis confiteatur se esse debitorem, tunc diceretur litem contestari, ut in l. 1. & Auth. offeratur C. de lit. contest. & ideò in causa tunc procedendum esset, & fortius si post litem contestatam interponatur dicta confessio, tũc non debet fieri praeceptum de soluẽdo, sed in causa debet procedi ad sententiam condemnatoriam l. Iulianus, & l. qui Stichum infr. de confess. Bart. & alij in l. vnic. C. eodem tit. de confess.

Declaratur item cõclusio text. nostri, quod confesso detur terminus ad soluen-
11 dum, † idem scilicet, quem lex tribuit condemnatis per sententiam, ut in fin. tex. nostri, & concord. l. certum § fin. infr. de confess. quod ex lege 12. tabul. ortum habuit, quae quidem hos aequiparauit ad praedictũ effectum, vt per Gell. lib. 20. noct. Attic. c. 1. & per Alciat. lib. 1. parerg. c. 32. quinam
12 autem † sit iste terminus, dicamus secundum

dum varia iura variè etiam dispositū esse, nā lex. 12. tabul. olim spatium vnius mensis dabat, vt per Gell. d. c. 1. & per Alciat. d. c. 32. de iure verò Digestorum duos menses à lege ad soluendum concessos esse apparet ex l. debitoribus infr. de re iudic. de iure tandem nouo quatuor menses cōcessos esse habemus ex l. 2. & l. fin. C. de vsur. rei iudic. qui terminus quatuor mensium receptissimè ab oībus admitti tradit Boer. decis. 45. num. 1. Nos autem dicamus cum Barbos. hic num. 178. id verum esse in condemnato ad restituendum quid certum,
13 nā † terminus sibi arbitrio iudicis assigna-
14 tur §. & si rem Instit. de offic. iudic. † hodie tamen secundum gloss. fin. hic ex consuetudine decem tantum dies assignantur confesso ad soluendum, quarè Ang. hic nu. 5. voluit, quod cum soluti decē dies assignentur ad soluēdum, confessus nullam debeat præstare cautionem, cum enim consuetudo restrinxerit dilationem soluendi in confessis ad decem dies, in alio postea releuauit condemnatos, vt scilicet non cogerentur præstare cautionem de soluendo. Hocquè amplius mus verum esse, etiam si confessus dicat se paratum soluere, quia intelligi de-
15 bet in termino iuris, cum † uoluntas alicuius semper ad iuris reducēda sit, l. si duo infr.
16 de acquirend. hæredit. quando † enim quis dicit se paratum facere, intelligi debet pro materia, habita dilatione, non incontinenti, l. indè Neratius §. fin. infr. ad l. Aquil. & l. his consequenter §. fin. infr. famil. ercisc. Vndè quandò confessus, qui dicit se paratum soluere condemnatur, nō tamen perdit beneficium dilationis indul-
17 tæ causa miserationis, † quia indultum à lege beneficium nemini est auferēdum reg. indultum de reg. iur. lib. 6. istudquè proce-
18 dat in cōfessis in iure, vel iudicio, † si enim extra ius, uel iudicium confiteantur pro iudicatis non habentur l. post rem infr. de re iudic. Circa tamen istam dilationem dicamus nos, siuè simus in pecunia soluenda, siuè in restituenda aliqua specie, hoc omnē iudici arbitrarium esse, vt etiam sentit Rebuff. hic ad l. nostram in verb. dandumquè diem) & quod istud sit verum patet, quia

text. noster videtur uelle, quod modicum sit istud tempus dilationis, cū ex mora modici temporis magnum non inferatur præiudicium.

Declaratur etiam conclusio tex. nostri, vt ita procedat, quod huic confesso terminus ad soluendum assignetur cum compe-
19 tēti cautela, † hoc est datis pignoribus, vel fideiussoribus de soluendo transacto tempore assignato, vt per gloss. hic in verb. (cōpetenti) quamuis enim contra confessum in iudicio debeat fieri præceptum de soluendo, debet tamen ei assignari terminus
20 ad soluendum, † qua dilatione iste uti nō poterit nisi præstet cautionem de soluendo debito transacto tempore sibi ad soluendū assignato, esset enim iniquum si pendente dilatione debitor aufugeret, & res suas forsan exportaret argum. l. si longius §. 1. sup.
21 hoc tit. nost. † Vndè cum creditor intrà cōstitutum tempus non possit agere actione iudicati l. intrà infr. de re iud. ob id debitor
22 cauere tenetur, ut hic, † & nisi caueat, uel bonis cedat, potest capi, & carcerib. detrudi, ut per Bart. hic.

Opponitur de §. sed hodiè Instit. de sa-
23 tisdat. vbi hodiè statutum fuit, quod † conuentus suo nomine, quacūquè actione conuentus sit, non debeat satisdare de iudicatum soluendo, sed tantum de iudicio sisti, ergò cōtra tex. nostrum, qui vult, quod cautio interuenire debeat de soluendo in termino confitenti assignato. Pro solut. dicamus ex mente Bart. hic num. 2. diuersos esse casus à dicto §. sed hodiè ad legem nostram, nam dispositio d. §. procedit tunc, quādo lis adhuc agitatur, nec est decisum an conuentus debeat soluere, nec nè, quia casu satis est, quod caueat de iudicio si-
24 sti, quæ † cautio lata sententia expirat l. græcè §. si post litem inf. de fideiuss. in casu verò legis nostræ iam lis est terminata, & facta cōfessione per præceptum de soluendo declaratur, cōfitentem debere intrà terminum assignatum soluere, ideò si vult talem dilationem debet cauere de soluendo infrà tempus sibi assignatum, uel etiàm di-
25 camus, quod † dilatio, quæ condemnato ad soluēdum conceditur, miserationis gratia

tia concedi dicitur l. si cum militi §. fin. inf.
26 de compensat. & † quando debitori ex gra
tia conceditur dilatio ad soluendum, sem-
per is cogitur præstare cautionem de sol-
uendo debitum post dilationem l. vniuersa
C. de precib. Imper. offeréd. & ità post Bar
tol. inquiunt Castr. hic num. 4. & Iacob. de
S. Georg. num. 8.

27 Si debitori] Debitor † est is à quo inui-
to exigi pecunia potest l. debitor infr. de
uerb. signif. lex ergò ista non habet locum
in debitore conditionali, uel in diem, cum
28 † istis non possim ego edere actionem, nec
ab eis pecunia ante conditionem, uel diem
exigi possit §. hodie Instit. de except.

29 Actionem edere] is † dicitur actionem
edere, qui libellum offert l. edita actio C.
de edend. & etiam qui demonstrat, qua a-
ctione vti velit; ad hoc vt reus sciat, an cè-
dere, an verò contendere vltrà debeat l. 1.
30 supr. de edend. † edere verbũ multos alios
habet significatus, de quib. per Rebuff. in
l. boues §. fin. infr. de verbor. signific.

Probandum erit] idest approbandũ,
vel considerandum est l. qui repudiantis §.
fin. infr. de inoff. testam. l. si finita §. si forte
infr. de damn. infect. l. 1. §. si quis simplici-
ter infr. de verbor. oblig. & l. 1. in fin. princ.
infr. quand. appell. sit.

Cum competenti cautela] nõ potest
definiri (teste Cuiac. hic) quid sit competẽs
31 cautela, nam † pro qualitate personæ, vel
est satisdatio, vel iuratoria cautio §. sed ho
die Instit. de satisdat.

Neque enim magnum damnum]
32 adhoc passim allegatur tex. iste, † quod in
mora modici temporis non est magnũ præ-
33 iudicium, & ità † Princeps potest concede-
re dilationem ad soluendum, quæ non di-
citur magni præiudicij, secus verò si conce-
deret dilationem, vt debitor nũquã sol-
uat l. quoties C. de Precib. Imper. offeréd.
34 & ideò dicitur, quod † modicum damnum
æquo animo ferre quis debet l. si merces §.
vis maior. infr. loc.

Ad l. xxij. Paul. lib. tertio ad Plaut.

Qui non cogitur in aliquo iudicium pa
ti, si ipse ibi agat, cogitur excipere
actiones, & ad eumdem iudicem
mitti.

S V M M A R I V M.

1 *Reconueniri quis potest in loco, in quo agit,
quamuis alias ibi non posset conueniri nisi
ageret.*
Quod verum est in causis ciuilib. vt nu. 5.
2 *Agens in agendo repatitur.*
3 *Continentia causæ diuidi non debent.*
4 *Aequum quod quis pro se putat, non iniquũ
contra se existimare debet.*
6 *Reconueniri quis non potest, vbi agit, si cri-
minaliter agat.*
7 *Reconueniri quis non potest, si agat ex nece-
ssitate, non ex uoluntate.*
8 *Lex magis succurrit facienti actum ex ne-
cessitate, quam ex uoluntate.*
9 *Prætor dat, & reddit iudicium, litigatores
uerò dicuntur illud accipere, & iudicium
pati.*

MAteriam huius legis superius propo
suimus nos i explicatione l. 2. §. om
nes num. 12. hoc tit. nostr. ideò nunc parũ
in ea insistemus; Habet concordantia iura
in d. l. 2. §. sed & si agant supr. eod. in l. cum
Papinianus C. de senten. & interloc. omni
iud. in §. sancimus igitur in Auth. de exe-
cut. & in §. Reuerendissimi verò Apocrisa-
rij in Auth. de sanctissim. Episc. Ex ea au-
1 tem conclusio est, † quod quis reconueniri
potest in loco, in quo agit, licet non posset
2 ibi conueniri nisi ageret; omne † enim agẽs
in agendo repatitur, ut ex Arist. trad. Bal
3 hic, ratioque tex. nostri sit, † quia continen-
tia causæ diuidi non debent l. nulli C. hoc
4 tit. & quia conueniens est, ut quod † quis
pro se æquum putat, non iniquum postea
contra se existimet d. l. cum Papinianus, &
Auth. & consequenter C. de sentent. & in-
terlocut. omn. iud.

Decla-

Declaratur hæc cōclusio, vt vera sit, &
5 procedat in causis ciuilib. † si enim ciuiliter in causa ciuili quis agat corā iudice nō suo, in eadem pariter recōueniri poterit, vt
6 hic in tex. nostro, secùs verò si quis † criminaliter coràm nō suo iudice agat, nō enim ibi criminaliter recōueniri poterit, vt per Abbat. in c. 1. num. 22. extr. de mut. petit.

Declaratur pariter, vt procedat si quis
7 † voluntariè agat, quia tūc reconueniri potest, secùs verò si necessariò agat quis, recōueniri enim nō poterit, neque respondere cogetur coràm iudice nō suo, vt etiam superiùs in d. l. 2. §. omnes nu. 12. hoc tit. est
8 dictum, vndè colligitur, quod † lex magis succurrit actum facienti ex necessitate, quā ex volūtate l. si fideiussor §. si necessaria infrà qui satisd. cog.

9 Iudicium pati] sicut † Prætor dat, & reddit iudicium, ità litigatores accipiūt, & suscipiunt iudicium, l. 3. supr. hoc tit. nostr. & ideò iudicium pati dicūtur, vt in tex. nost.

Excipere actiones] idest exceptiones aduersus actiones aduersarij proponere, vt in l. non solum infr. de noxal. act.

Ad eumdem iudicem mitti] coram quo scilicèt prius ipse conuenit.

Ad l. xxiij. Paulus lib. vij. ad Plautium.

Non potest videri in iudicium venisse, id quod post iudicium acceptum accidisset, ideoquè alia interpellatione opus est.

S V M M A R I V M.

1 *Iudicium inter partes acceptū intelligitur de ea controuersia, quæ ab initio inter ipsas fuit.*
2 *Iudex de futuris aliquid statuere nō potest.*
3 *Lex de futuris disponit.*
4 *Iudicium non subsistit quoad ius de nouo superueniens post litem contestatam.*
Quod intelligēdum est de iure superueniente ex parte actoris, vt num. 7.
5 *Lis non potest dici contestata super eo, quod adhuc in esse non erat.*
6 *Iudicium non potest subsistere sine litis contestatione, & nu. 11.*
8 *In iudicium non videtur deductum id, quod ab initio nullum erat.*
9 *In iudicium venit id, quod erat in iure petitoris, licet ex post facto incipiat esse in iure rei.*
10 *Actio considerari debet ex iure petitoris non ex persona possessoris, & quando.*
12 *Lis contestata est lapis angularis iudicij.*

PRoponit Paulus I. C. in hac l. quæstionem an id, quod superuenit post iudicium acceptum possit in eodem iudicio terminari, & lex hæc habet iura concordātia in l. de his reb. sup. de recept. arbitr. & ind. non quemadmodum infr. hoc tit. nostro.

1 Conclusio autem ex hoc tex. fit, † quod vbi iudicium inter aliquos acceptum est, vtiq; acceptum dicitur de ea controuersia tantum, quæ ab initio fuit inter partes, nō quæ
2 post superuenit, Iudex † enim de futuris aliquid statuere non potest, & hæc est differentia inter legem, & iudicem, cum Iudex de præsentibus tantum, & præteritis iu
3 dicet, lex † verò de futuris disponat, vt per Cuiac. hic, & ideò formato libello, & facta litis contestatione si id, quod petitum fit postea ad actorem incipiat pertinere,
4 vel illi deberi ex noua causa, non † subsistit iudiciū, quoad illud ius de nouo superueniens, sed noua interpellatione, nouo libello, & nouo processu vti debebit, vt ex text. nostro firmant hic omnes DD. & tradit Rot. Rom. in nouissim. decis. 47. num. 17. par. 2. & firmat Cacher. in Pedemont. decis. 74. nu. 20. & ratio fit ex mente Cacheri vbi suprà, quia tempore litis contestatæ il-
5 lud non debebatur, vndè cùm † in esse adhùc non esset non potest fingi in iudicium venisse, & ità super eo non potest dici lis cōtestata, & tamen sine litis contestatione
6 † iudiciū subsistere nō potest c. 1. ext. vt lite non cōtest. §. si verò in Auth. de exhib. reis.

Declaratur hæc conclusio tex. nostri, vt
7 procedat, & intelligatur de eo, † quod post litem contestatam accidit in iure petitoris, istud enim noua interpellatione eget, vt puta, quia actor petat id, quod initio litis

G ad

ad ius eius non pertinet, seu de quo illi nō est ius agendi, exempli gratia fundum aliquem ad se pertinere dicat, & in veritate tempore oblati libelli non pertineat, sed lite contestata actor ipse succedat domino fundi, vel alio modo illum acquirat, vel illi deberi incipiat, & sic probet dominium, certè talis probatio sibi non potest prodesse ad victoriam, cum super ea causa nō fuerit lis contestata, & iudicium fuerit institu
8 tum de eo dominio, quod † quia initio nullum erat, ideò non potuit in iudicium deductum uideri argum. l. non quemadmodum infr. hoc tit. nostr. & ideò noua interpellatione opus est; secùs verò si simus in
9 re, † quæ esset in iure petitoris antè libellū oblatum, & sic tempore litis cōtestationis, ea enim in iudicio venit, etiam si superueniat ex post in iure, & possessione rei conuenti, nec noua interpellatione opus erit, ut putà, quia actor cum hæres esset, peteret hæreditatem suam, iudicium enim de ea possessione consistit etiam aduersus eum, qui nihil eius rei possideat, si modò dicatur possidere, & ideò si etiàm post litem contestatam incipiat possidere id, quod in iudicium contra eum deductum est, tenebit iudicium, & actori per iudicem condemna-
10 bitur rem possessam restituere, † actionem namquè consideramus ex iure petitoris, non ex persona possessoris, seu eius, cū quo tamquam cum possessore agitur l. 1. §. 1. infr. si pars hæredit. pet. quod etiam procedit in omnibus specialibus in rem actionibus, & in actionibus personalibus, in quib. possessio operatur, vt cum persona possessoris agi possit, vt per Donel. lib. 19. comment. iur. ciuil. c. 14. col. 4. & 5. vbi ait id receptum esse in rei vēdicatione l. fin autem §. 1. infr. de rei vendicat. in actione ad exhibendum l. tigni §. si quis nō infr. ad exhib. in actione depositi aduersus eum, qui dolo rem depositā desierat possidere, cuius possessionem inter moras iudicij recuperauit l. 1. §. non tantum infr. depos it. sic etiam, & in actione de peculio aduersus patrem, dominum uè, cùm quo actum sit de peculio tùnc, cùm in peculio nihil haberet, sed postea cępit habere l. quæsitum in princ. infr. de postul. iudicium enim in istis casib. consistit, nec noua interpellatione opus erit.

Post iudicium acceptū] † idest post
11 litem contestatam, numquam † enim iudicium propriè acceptum dicitur, nisi facta litis contestatione glos. in l. illud §. fin. C. de appellat. vndè Bald. in c. 1. extr. de lit. con-
12 test. dicit, † quod lis contestata est lapis angularis ipsius iudicij.

Alia interpellatione] idest alia iudiciali conuentione, ut explicat ad casum l. nostræ, Schard. in suo lexic. iur. in verbo (interpellare est.)

Ad l. xxiv. Paul lib. septimo decimo ad Plautium.

Non alias in eos, quos Princeps euocauit, Romæ competit actio, quam si hoc tempore contraxerint.

SVMMARIVM.

1 *Romę non potest conueniri qui ibi à Principe euocatus est.*
Fallit vt nu. 7.
2 *Romę qui euocatus est non debet à publicis negotijs euocari.*
3 *Romæ à Principe euocati non distant multū à legatis.*
4 *Legati non possunt conueniri, ne ab officio legationis auocentur.*
5 *Tex. legis nostræ qualitèr intelligendus sit.*
6 *Tex. huius legis in quo differat à l. 2. § legatis supr. hoc tit.*
8 *Roma contrahens, dum ibi est ex causa publica euocatus videtur se subycere oneri, vt ibi conueniri possit.*
9 *Legatus durante legatione prohibetur contrahere, & propria negocia tractare.*

PAulus I. C. in l. hac nostra proponit materiam, de qua actum est etiam in l. 2. §. legatis supr. hoc tit. nostro, quomodò scilicèt, & quādò actio competat in eos, quos Princeps Romæ euocauit, & concordat cum principio huius legis tex. in l. non distinguemus §. Itèm si qui Romæ supr. de recept. arbitr. in l. 2. §. omnes supr. hoc tit.

in

in l.si legationis,& in l.cum furiosus §.fin. infr.eod.& in §. Reuerendissimi vers.si verò in Auth.de sanctis Episcop.

Conclusio autem ex hoc text. fit, quod
1 † qui Romæ à Principe euocatus est, ibi cō ueniri non potest, Ratio autem quarè Romæ dum ibi ex causa euocationis consistit,
2 non possit conueniri est,† nè diù à negotijs publicis auocetur, argumento l.sed si quis ex signatoribus infr. quemad. testam.aper.
3 isti † enim hoc modo à Principe euocati nō multum à legatis distant, ut per Cuiac. in d.l. 2.§. legatis in fin. supr. hoc tit. & ideò videmus, quod statim in hac lege legatis
4 æquiparantur, vnde quemadmodum † legati non possunt conueniri nè ab officio legationis auocētur, quod pro Republica susceperunt, ut in §.fin. huius nostræ legis in l.de eo infr. eod.& in l. si legatis in principio infr.ad Trebell. S. C. ità nec isti, qui à Principe euocantur, debent posse conueniri, nè dum eis infertur molestia, uel importunitas per aliquem, fiat præiudicium, uel impedimentum ipsi negotio publico §. si uerò Episcopi, uel clerici in Authen.de san
5 ctis.Episcop.† Vndè tex. iste debet intelligi, ut per Cuiac. ubi supr.de eo, qui à Principe euocatur publici negotij causa, & ità de eo, qui euocatur per sacram euocationē l. 1.C.ut omn. iud. tam ciuil.quam milit.l.
6 fin. C.de dignit.lib. 12. ad hoc † ut differat à d.l.2.§.legatis supr. hoc tit. qui loquitur de eo, q. testimonij, uel tutelæ causa à Principe, & ità priuati negotij causa est euocatus, intelligamus itaquè tex. hūc.de eo, qui publici negotij causa est euocatus, Romæ enim conueniri non potest.

7 Limitatur autem hæc conclusio, ut † nō procedat in contractu Romæ gesto eo tempore, dum ibi ex causa publica euocati sīt, ratioquè est, quia dum contrahunt durante ipso negotio publico, cuius causa sunt euocati, spontè uidentur se subijcere huic oneri, quod possint cōueniri, prout in simili uidemus euenire in Senatore, qui negotijs alienis in Prouincia se offerat, ut in l. interdum §.fin.infr.hoc tit. idemquè in le-
8 gato, † qui licet durante legatione prohibeatur contrahere, & propria negotia tractare, ut in l.Paulus (2.) §.si in l.legatus antequam, & in l. legatus creatus infr. de legat. si tamē ex licentia Principis (vt uoluit Barbos. in d.l.2.§.legatis num. 125.) contrahat, uel fideiubeat, huic oneri se subijcere dicitur, ut possit cōueniri l.cum furiosus §. fin. infr. hoc tit. nostr.

Quos Princeps euocauit] per sacram scilicet euocationem, cuius extat formula apud Cassiod.lib.7. uariarū, ut per Cuiac. in fin. dicti §.legatis. 1

Ad §. Legati.

Legati ex delictis in legatione commissis coguntur iudicium Romæ pati, siuè ipsi admiserunt, siuè serui eorum.

SVMMARIVM.

1 *Legati Romæ coguntur pati iudicium de delictis in legatione commissis.*
Amplia etiam de delictis ab eorum seruis perpetratis, ut num. 9.
2 *Nocentes ibi puniendi sunt, vbi deliquerūt.*
3 *Delinquens non debet recipere auxilium ab eo, contra quem delinquit.*
4 *Iniuria ibi vendicanda est, vbi delictum fuit commissum.*
5 *Reipublicæ interest eam malis hominib. purgatam esse.*
6 *Legati, dum sunt in legatione, non possunt conueniri prò delictis, & contractibus ante legationem factis.*
7 *Contractus, & delicta à pari procedunt in materia forum sortiendi, & num. 10.*
8 *Legati de iure gētium sunt immunes ab omni pœna, & punitione.*
10 *Legati tenentur pro contractu à seruo gesto.*
11 *Legati nomine suo directa actione, nomine verò seruorum noxali tenentur.*
12 *Legati qui nam sint, & quotuplicis generis sint.*
13 *Delictum quodnam verbum sit, & quid significet.*
14 *Delictum quomodo differat à crimine.*
15 *Rei, dū conueniūtur, dicuntur iudiciū pati.*

COntinuat Paul.eamdem materiam l.
2. §. legatis supr. hoc titulo nostro,
tractatquè de legatis, quando Romæ ex
causa delicti commissi conueniri possint.
Cõcordat cum hoc §.tex.in l.hæres absens
§.Apud labeonem supr. hoc tit. cum alijs
iuribus ibi pro cõcord adductis. Et ex hoc
1 tex.cõclusio est,q† legati Romæ cogũtur
pati iudicium de delictis in legatione com
missis,ratio sit, quià ut aliàs superius dixi-
mus ad l.hæres absens §.si quis tutelam nu
2 mero 16.hoc tit. † publicè expedit exem-
plum in sontes,& nocentes ibi edi, ubi deli
querunt l. 1.& Auth. qua in prouincia C.
ubi de crimin.ag.oport.l.si cui §. penult.&
3 l.fin. infr.de accusat.nec debet † quis auxi-
lium ab eo habere,cõtra quem delinquit,
argum.l. auxilium in fin. supr. de minor.
nil mirum ergò si Romæ conueniri possint
pro delictis ibi in legatione commissis, cũ
locus illè legationis iniuria affectus fuerit
per delinquentem, quatenus ibi delictum
4 commisit, quarè † etiam ibi iniuria vindi-
cari debet,ut per Bald. in l. cùm quædam
num.2.ad finem supr.de iurisd. omn. iud.
5 † Reipublicæ namquè interest, ut malis ho
minibus purgata sit l. congruit in princip.
6 supr.de offic. Præsid.sequitur itaquè,† ut le
gati de delictis antè legationem aliàs com
missis non possint Romæ conueniri, dũ ibi
sunt in legatione,sicut nec etiam pro con-
tractibus non gestis tempore legationis cõ
ueniri ualent, in materia enim forum sor-
7 tiendi † contractus,& delicta à pari proce-
dunt l.omnem obligationẽ, & ibi diximus
supr.hoc tit.nostro, quemadmodum ergò
non possunt conueniri pro contractu gesto
antè legationem,ut in d.l. 2.§.legatis supr.
eod.ità nec etiam possunt cõueniri pro de-
8 licto gesto aliàs antè legationem,cum † le-
gati de iure gentium sint immunes ab om-
ni pœna,& punitione l. sanctum supr. de
rer.diuis.& l.fin. infr.de legat.
9 Ampliatur hæc conclusio tex.nostri,† vt
procedat non solum in delictis à se perpe-
tratis,uerum etiam,& si serui eorum deli-
10 querint,nam sicut † pro cõtractu gesto per
seruum tenentur d.l.hæres absens §. apud
Labeonem supr.eod.l. 1.& 2.infr.de instit.
act.ità etiam debent teneri,& pro delictis,
vel quasi ab ijsdem seruis admissis, ut per
Odofred.hic,cum ut supr. est dictum con-
tractus,& delicta quoad hoc à pari proce-
11 dant,† nomine autem suo directa actione
tenentur,seruorum uerò nomine tenentur
actione noxali,ut per Odofr.hic.

12 Legati] † quinam sint legati, & quotu-
plicis generis sint superius est dictum in l.
2.§.legatis num. 21.hoc tit.nostro.
13 Ex delictis] † delictum est uerbum ge
nerale,quo significatur, quid prætermissũ
sit,undè dicitur delictum esse declinationẽ
14 à bono,qua bonum prætermittitur, † dif-
fertquè delictum à crimine, quia pro deli-
cto quis ciuiliter conuenitur, pro crimine
autem criminaliter,ut per gloss.in Authẽt.
Qua in prouincia C. ubi de crimin. ag.
oport.
15 Iudicium Romæ pati] Rei † enim iu
dicium dicuntur pati,dum conueniuntur,
ut supra dictum est in l. qui non cogitur.

Ad §.sed si postulatur.

Sed si postulatur in rem actio aduersus legatum,numquid danda sit? quoniã ex præsenti possessione hæc actio est. Cassius respondit,sic seruandum; vt, si subducatur ministerium ei,non sit concedenda actio, si verò ex multis seruis de vno agatur, non sit inhibenda, Iulianus sine distinctione denegãdam actionem, meritò.ideò enim non datur actio, nè ab officio suscepto legationis auocetur.

SVMMARIVM.

1 *Legatus dum est in legatione non potest conueniri pro contractu gesto antè legationem, nec pro re, quam possidebat ante legationem.*
2 *Possessionis initiũ non præsens possessio spectari debet.*

3 *Le-*

3 *Legati debent habere seruos in numero sufficienti.*
4 *Ecclesia quando dicatur pati defectum in diuinis per subtractionem vnius ex ministris.*
5 *Actio in rem quid sit, & aduersus quem competat.*
6 *Actio in rem datur gratia præsentis possessionis.*
7 *Ministerium quomodo sumatur.*

QVærit Paul. I. C. hic, an actio in rem competat aduersus legatum ex possessione rei, quæ penes ipsum reperiatur, cum enim res illa apud eum tunc possessa extet, & sic legatus factũ illud possessionis exerceat, videbitur quod posset cõuenire; Cassius autem distinguendum putabat, ut sit considerandum an legatus per hanc uendicationem à ministerio legationis auocetur, quià non potest ea rediù carere, & tunc actio non debet concedi, sed si ex multis seruis de uno agatur, & eo sinè magno incommodo carere possit, tunc uendicatio est admittenda; Iulianus uerò absquè alia distinctione denegãdam esse hãc actionem dicebat, quam sententiam & Paulus probat, sicut enim alias superius est di-
1 ctum, † legatus dum est in legatione, non potest conueniri pro contractu antè legationem gesto, ita nec etiam actio contra eum durante legatione intentari potest de eo, quod antè legationem possidere cępe-
2 rat, initium † enim possessionis spectamus, non præsentem possessionem, ut per Cuiac in l. 2. §. legatis col. 3. supr. hoc tit. nostro, & sic text. iste non debet intelligi de re, quæ cœpta sit post susceptam legationem, adhoc ut differat à tex. legis sequentis, & ex hoc text. colligitur, ut per Iacob. de S.
3 Georg. † quod legati debent seruos in numero sufficienti habere, undè secundum Ang. hic, ut Castr. & idem Iacob. referunt, est optimum argumẽtum, quod licet vnus ex ministris Ecclesiæ subtrahatur à serui-
4 tio ipsius Ecclesiæ † per hoc tamen Ecclesia non dicitur pati defectum in diuinis, si remaneãt alij plures, qui ibi diuina officia celebrent, secus uerò si in Ecclesia duo tantum ministri essent, quorum unus sine altero diuina celebrare non posset, & unus ex ipsis subtraheretur, tunc enim Ecclesia diceretur pati in diuinis, hocq́; notandũ esse inquiunt, quia Papa in litteris suis sæpè apponit ista uerba, dummodò Ecclesia non patiatur defectum in diuinis.

5 In rem actio] † Actio in rem (quam etiam uẽdicationem dicimus) est per quã rem nostram, quæ ab alio possidetur petimus l. 1. infr. de rei uendicat. competitquẽ aduersus eũ, q. possidet rẽ §. 1. Instit. de act.

6 Ex præsenti possessione] † Actio in remdatur gratia præsentis possessionis, nisi dolo desierit possidere l. qui petitorio, & l. si in rẽ infr. de rei vẽdic. tradit Odofr. hic.

7 Subducatur ministerium] † ministerium ponitur pro omni operatione, ut in l. quod meo infr. de acquir. possess.

Ne ab officio suscepto] hæc ratio maximè expendenda est, cum ad eam uelut ad scopum omnia, quæ de legatis dicuntur sint referenda, vt per Duaren. in tit. nostro in c. de for. compet. col. 7.

Ad l. xxv. Iulianus lib. 1. Digestorum.

Si legationis tempore quis seruum, uel aliam rem emerit, aut ex alia causa possidere cęperit; non iniquè cogetur eius nomine iudiciũ accipere, aliter enim potestas dabitur legatis sub hac specie res alienas domũ auferẽdi.

SVMMARIVM.

1 *Legatus Romæ potest conueniri de re cœpta possideri tempore legationis.*
2 *Occasio non debet dari cuiquàm res alienas auferendi.*
3 *Locupletari non debet quis cum alterius iactura.*
4 *Emptam rem non soluto pretio possidens, dicitur possidere rem alienam.*
5 *Emptam rem propria auctoritate antè pretium solutum capiens furtum committere dicitur.*

De legato, qui iam rem possidebat antè legationem, contra quem in legatione actio non datur, est tractatum in l. antecedenti, nunc de legato, qui in ipsa legatione incipiat rem possidere agit Iulian. I.C. in l. nostra, cui concord. l. 2. §. omnes vers. dummodò antè legationem, & l. non alias in princ. supr. hoc tit. nostr. concord. l. cum furiosus §. fin. infr. eod. & §. Reuerendissimi verò uersic. si verò in Auth. de sanctiss. episcop. Ex hoc autem tex. illud colligitur, quod † legatus si legationis tempore rem emerit, uel alio modo rem possidere cœperit, cogetur eo nomine Romæ iudiciū pati, ratioquè in tex. nostro est assignata, ad hoc † ne sibi sub hac specie detur potestas res alienas auferendi, quod esse nō debet, ut inquit Odofred. hic; quia hoc modo locupletaretur cum alterius iactura, quod † ius non patitur l. nam hoc infr. de cond. indeb. vndè ex isto tex. colligit Bald. quod † qui recedit cum re per eum empta non soluto pretio dicitur recedere cum re aliena, & ideò † si quis rem emptam propria auctoritate capiat antè pretium solutum, furtum committere dicitur, ut est tex. in l. eum qui paulò post principiū infr. de furt. quem notabilem dicit Iacob. de S. Georg. hic nu. 4. colligitur etiam ex hoc tex. † non esse dandam occasionem exportandi res alienas, ut per Ang. hic.

Non iniquè] idest secundum æquitatem.

Iudicium accipere] in loco scilicet legationis.

Ad l. xxvi. Paul. lib. septimo decimo ad Plautium.

De eo autē, qui adijt hæreditatem, Cassius scribit, quamuis Romæ adierit hæreditatem, non competere in eum actionem, ne impediatur legatio; & hoc verum est; sed nec legatarijs datur actio, sed nisi satisdet, mittuntur in possessionem rerum hæreditariarum, quod & in hæreditarijs creditoribus dicendum est.

Et ad l. xxvij. Iulian. lib. 1. Digestorum.

Quid enim prohibet, legatum publico munere fungi, & actorem custodiæ causa in possessione rerum hæreditariarum esse.

SVMMARIVM.

1 *Qui adit hæreditatem, dicitur quasi cōtrahere cum creditoribus hæreditarijs, & legatarijs.*
2 *Legatio dum durat, non datur actio in legatum, qui hæreditatem adierit.*
3 *Hæreditas vt plurimùm est res multis implicita negotijs, & multis obnoxia.*
4 *Legatus quamuis adierit hæreditatem, non tamèn statim sustinet onera hæreditaria.*
5 *Legatus dum adit hæreditatem, tenetur satisdare æris, vel legatorum nomine, & quarè.*
6 *Legatus si non satisdet dùm adit hæreditatem creditores, & legatarij mittuntur in possessionem bonorum hæreditariorum.*
7 *Missus in possessionem bonorum ex primo decreto non dicitur verus possessor, sed custos.*
8 *Contractus appellatione in materia forum sortiendi venit omnis obligatio.*
9 *Adire hæreditatem quid sit.*
10 *Adire qui nam proprie dicantur.*
11 *Satisdare quid sit.*
12 *Munus publicum quid sit.*

Cum de legato, qui non acquisiuerit ex emptione, vel ex alio titulo actum sit, & ità qui contrahendo se obligauit, nūc de eo casu, quandò hæreditatem adijt, & ità quasi contraxit est agendum, & cū hac lege cōcordat tex. in l. 2. §. sed si dubitetur versic. (quod si constiterit) supr. hoc tit. nostro.

Colligamus ex hoc tex. quod licèt legatus Romæ hæreditatem adierit, & ità † ex aditio-

aditione hæreditatis cum legatarijs,& creditoribus hæreditarijs quasi contraxerit §. hæres Instit. de oblig. quæ ex quasi. contr. nasc. l. 3. in fin. infr. quib. ex caus. in possess.
2 cat. † non per hoc tamen dictis legatarijs, & creditoribus hereditarijs in eum compe tit actio dum est in legatione; & id quidē non ratione quasi contractus, quia scilicet non obligetur legatus, sed ratione speciali, ne impediatur legatio, quod sanè metuendum fuit in hac causa aditionis hæreditatis, ut inquit Donell. lib. 17. comment. iur.
3 ciuil. c. 13. col. 3. † cum hæreditas res sit ut plurimum uarijs negotijs implicita, & obnoxia multis tùm legatarijs, tum creditoribus, diciturq; hæreditas res negotiosa, vnde plerumque qui adit hereditatem multitudini negotiorum se implicat, uerendum itaque nè legatus abducatur ab officio legationis, quarè adibit quidem hæreditatē,
4 † sed statim hæreditaria onera non sustinebit, ut per Cuiac. ad l. 2. §. legatis col. 4. su-
5 pra hoc tit. nostro. Et nè † id fiat cum damno legatariorum, uel creditorum, tenetur eis satisdare uel æris, uel legatorum nomine, quę satisdatio ideò admittitur, quià per eam parùm impeditur legatio, & lites inte
6 rim suspenduntur, & nisi satisdederit † creditores, uel legatarij mittentur in possessionem bonorum hæreditariorū custodiendi causa, donec finiatur legatio, nihil enim impedit legatum publico munere fungi, & actorem custodiæ causa in possessionem bonorum hæreditariorum esse, ut inquit tex. in d. l. quid enim, qui nihil aliud facit, quā assignare rationem, quarè legatarij, & creditores hæreditarij mittantur in possessionem bonorum hæreditariorum non præstita satisdatione per legatum, & ità colliga-
7 mus, † quod ille qui mittitur in possessionē bonorum ex primo decreto, non dicitur uerus possessor, sed custos, ut per Iacob. de S. Georg. hic num. 4.

Obstare uidetur tex. in l. 2. §. legatis supra hoc tit. nostro, ubi legatus Romæ con-
8 ueniri potest, si ibi contrahat, sed † appellatione contractus in hac materia uenit omnis obligatio, siuè ex contractu, uel quasi, siuè ex delicto, uel quasi procedens l. omnem obligationem, & ibi diximus sup. hoc tit. nostr. ergò etiam si Romæ hæreditatem adierit, ibi conueniri poterit, cùm adeundo obliget se l. more intr. de acquir. heredit. & l. apud Iulianum in fin. intr. quib. ex caus. in possess. eat. Pro solut. dicamus regulam d. l. omnem supr. hoc tit. procedere regulariter in personis nullo priuilegio uallatis, qui ibi conueniri possunt, ubi obligationē cōtraxerunt, secùs uerò in legato, persona alias priuilegiata fauore publico, nè scilicèt a negotijs legationis abstrahatur.

9 Adierit hæreditatem] † adire hæreditatem est amplecti, & accedere ad hæreditatem, ut inquit Brisson. in interpret. uerb. iur. in uerbo adire, alias etiā dicimus subire hæreditatem, ut in l. si liemo 181.
10 infr. de reg. iur. † adire autem propriè dicuntur extranei sui uerò se immiscere §. extraneis, & §. fin. Instit. de hæredit. qualit. & different.

Nō competere in eum actionem] Romæ scilicet, dùm durat legatio, & ideò subdit rationem, nè impediatur legatio;

Nisi satisdet] de legatis scilicèt præstandis, uel de soluendo ære alieno, adue-
11 niente die, † satisdare autem propriè est fideiussores dare l. 1. supr. qui satisd. cog.
12 Publico munere] † Munus publicum auctore Callistrato illud erat, quod in administranda re aliqua publica cū sumptu, sinè titulo dignitatis subibatur l. honor infra de mun. & honor.

Rerum hæreditariarum esse] quasi dicat nihil prohibet, ut per Odofr. hic.

Ad l. xxviij. Paulus lib. septimo decimo ad Plautium.

Sed & si restituatur ei hæreditas ex Trebelliano, actio in eum non dabitur; siuè spontè, siuè coactus hæres eam adierit: commodius enim est reddi quidem ei hæreditatem, perindè autem habendum, ac si ipse adijsset hæreditatem ¶ Contra, &c.

¶ Con-

¶ Contra si legatus tempore legationis adierit, & restituerit; datur in fideicommissarium actio: nec exceptio Trebelliani obstat ex persona legati: quia hoc legati personale beneficiũ est. ¶ Ex quib. autẽ causis nõ cogitur legatus iudicium accipere; nec iurare cogẽdus est, se dare non oportere: quia hoc iusiurandum in locum litis contestatæ succedit. ¶ Ædium nomine legatus damni infecti promittere debet, aut vicinum admittere in possessionem. ¶ Sed & si dies actionis exitura erit: causa cognita aduersus eum iudicium Prætor dare debet, vt lis contestetur, ita vt in prouincia transferatur.

SVMMARIVM.

1 *Legatus non debet distrahi à munere legationis.*

2 *Hæres si nolit adire hæreditatem, à legato cogi potest cum interuentu Prætoris, & nu mero 26.*

3 *Exceptio Trebelliani ex persona legati non prodest fideicommissario. & nu. 28.*

4 *Actiones tantum rei cohærentes non personę transeunt in fideicommissarium.*

5 *Priuilegium personale non egreditur personam priuilegiatam. & nu. 29.*

6 *Legatus hæres institutus, & grauatus fideicommisso cogi potest adire hæreditatem, non tamen statim restituere.*

7 *Differentia assignatur inter eum qui voluntariè, & eum qui coactè adit hæreditatem.*

8 *Legatus cogi non potest iuramentum suscipere se dare non oportere.*

9 *Iuramenti susceptio obtinet locum litis contestationis.*

10 *Legatus regulariter non potest cogi iudiciũ accipere.*

11 *Qui non cogitur iudicium pati, nec etiam cogi debet iurare.*

12 *Qui non cogitur litigare, nec etiam cogi debet compromittere.*

13 *Compromissum obtinet vicem litis.*

14 *Legatus pro domo ruinosa compelli potest ad cauendum de damno infecto, alias vicinus mittitur in possessionem.*

15 *Actio de damno infecto celeritatem desiderat.*

16 *Legatarius mittitur in possessionem bonorũ hæreditariorum, si à legato hære de sibi non caueatur.*

17 *Legatus etiam in legatione compelli potest iudiciũ accipere, quando periculum est, ne dies actionis prætereat.*

18 *Priuilegium alicui concessum non debet esse in præiudicium tertij.*

19 *Actio contra legatum intentata post litis cõtestationem silet, & transfertur in prouinciam finita legatione.*

20 *Actio tempore peritura per litis contestationem perpetuatur.*

21 *Quod conceditur propter necessitatem intelligitur concessum, donec duret necessitas.*

22 *Processus remissio fieri potest de vno iudice ad alium.*

23 *Acta facta coram officiali cassato terminantur coram alio, cui iurisdictio tribuatur.*

24 *Dictio (sed & si) ponit factum diuersum, & ius idem.*

25 *Trebellianum S. C. quo tempore conditum fuerit, & quid contineat.*

27 *Fideicommissarius hæres qui nam sit, & à quo capiat hæreditatem.*

30 *Legati regulariter habent priuilegium domum reuocandi.*

31 *Iuramentum habet vim iudicati.*

32 *Aedium appellatione quid contineatur.*

33 *Damni infecti promissio quid sit.*

De legato qui hæreditatem adijt, dũ est in legatione superius est dictum, quod ea durante non possit conueniri, nẽc alios euentus proponit Paul. I.C. in quib. quærit an possit conueniri legatus dum est in legatione, agitquè in primis de eo casu, quandò sibi ex fideicommisso hæreditas restituatur, vultquè ut si legato facta sit re stitu-

ſtitutio hæreditatis ex Trebelliano actio
aduerſus ipſum non poſſit competere, dũ
eſt in legatione, quod quidem ſemper ea-
1 dem ratione euenit, de qua ſupra, † ne ſci-
licet legatus implicitus negotijs alienis di
ſtrahatur à munere legationis, ad quam ra
tionem veluti ad ſcopum totam hanc ma-
teriam legatorum reducẽdam eſſe inquit
Duaren. in tit. noſtro in c. de for. compet.
colum. 8.

Declaratur hæc concluſio, ut uera ſit ſi-
uè hæres ſpontè hæreditatem reſtituerit,
ſiuè coactè, vt in tex. noſtr. cuius rei etiam,
ratio eſt in tex. expreſſa, quia commodius
eſt hæreditatem reſtitui ipſi legato, perin-
dèquè habendam eſſe, ac ſi ipſe eam adiſ-
2 ſet, vndè colligamus † hæredem ſi nolit, co
gi poſſe à legato interuentu Prætoris hære
ditatem adire, ut per Cuiac. ſupr. in l. 2. §,
legatis col. 2. hoc tit. noſtrò, hæc enim occu
patio Legati leuis eſt, ut ibi inquit Cuiac.

Alius caſus è conuerſò proponitur in §.
contrà, quandò ſcilicèt legatus dum eſt in
legatione hæreditatem non ſolum adierit,
verùm etiam reſtituerit, an in fideicõmiſ-
ſariũ hoc priuilegium, quod habet legatus
transferri poſſit, concluditquè Paulus I. C.
quod in fideicommiſſarium actio cõpetat,
3 nec † illi ꝓdeſſe poſſit exceptio Trebellia-
ni ex perſona legati, concordat tex. in l. qui
ità §. ſi legatus infr. ad Trebell. S. C. & ra-
tio hic eſt aſſignata, quia hoc priuilegium
4 perſonale eſt ipſius legati, † & eę tantum
actiones tranſeunt in fideicommiſſarium,
quæ rei cohærent, non quæ perſonæ, ut per
Cuiac. in d. l. 2. §. legatis col. 5. vndè colli-
5 gamus, † quod priuilegium perſonale non
egreditur perſonam priuilegiati l. quia ta-
le infr. ſol. matr.

Declaratur hæc concluſio, prout etiam
& alia ſuperior, vt vera ſit ſiuè legatus vo-
6 luntariè, ſiuè coactè adierit, † cogi namquè
poteſt adire hæreditatem; quia hoc caſu
non multum occupatur l. ſi legatus infr. ad
Trebell. S. C & licèt cogatur adire, nõ per
hoc tamẽ poſtea cogitur reſtituere ſtatim,
vt in d. l. legatus, & declarat Cuiac. ubi ſu-
pra quô loci etiam aſſignat rationem, quæ
7 † nam ſit differẽtia, an voluntariè, an coa-
ctè adierit hereditatem, primo namque ca
ſu detrahit falcidiam, qua detracta, & reſti
tuta hæreditate, onera creditorum inter ip
ſum, & fideicommiſſarium diuiduntur pro
quadrante, & dodrante, onera autem lega
torum ad ſolum fideicommiſſarium tran-
ſeunt, ſecundò verò caſu, quandò coactè
adit, tunc nullam falcidiã detrahit, & om-
nia onera tranſeunt in fideicommiſſa-
rium.

Alter affertur caſus in §. ex quibus, cui
concord. tex. in l. ſi patronus libertam in l.
tutor pupilli §. qui non compelluntur infr.
de iureiur. & in l. in contractibus §. illo C.
de non numer. pecun an ſcilicet legatus,
dum eſt in legatione cogi poſſit ſuſcipere
8 iuramentum, ſe dare non oportere, † deter
minatquè negatiuè, nullo modo cogi poſ-
9 ſe iuramentum ſuſcipere, † nam iuſiuran-
dum iſtud obtinet locum litis conteſtatio-
nis l. nam poſtea §. ſi is qui pro temporali
infr. de iureiur. vndè qui non tenetur litem
conteſtari, nec etiam debet teneri iurare l.
cum de indebito §. penult. infr. de probat.
10 ſicut ergò † legatus regulariter non poteſt
cogi iudicium accipere l. 2. §. legatis ſupr.
hoc tit. noſtro, ità nec etiam debet poſſe co
11 gi iurare, & ſic colligamus, quod † qui non
cogitur iudicium pati, nec etiam cogẽdus
eſt iurare, inferebatquè Angel. hic ꝑ hunc
12 tex. quod † ille qui non compellitur litiga
re, non compellitur etiam compromittere,
13 ex quo † compromiſsum vicem litis ob-
tinet.

Sequitur caſus numquid legatus vicino
teneatur ædium nomine de dãno infecto
promittere, ut in §. Ædiũ nomine, in quo
ponitur exceptio ad illam regulam, quod
legatus Romæ non poſſit conueniri, dum
eſt in legatione, de qua ſupr. in l. 2. §. lega-
tis hoc tit. noſtro, fallit enim tunc quando
legatus domum habeat, quæ ruinam mi-
14 netur, † nam qui domum uicinam habet
poteſt compellere legatum ad cauendum
de damno infecto, & niſi caueat, uicinus
mitti debet in poſſeſſionem domus ipſius
legati, hoc autem ſpeciale eſt inquit Odo-
fred.

15 fred.hic, quia est res talis, † quæ celeritatẽ
desiderat argumento l. 1. infr. de damn. in-
fect. ideò negotijs non implicabitur lega-
tus, itàut à munere legationis abstrahatur,
sicut in simili uidimus superius euenisse in
16 legatario, † qui mittitur in possessionem
bonorum hæreditariorum, si sibi per satis-
dationem non sit cautum à legato, ut in d.
l. de eo cum l. seq. supr. hoc tit. nostr.
Adhuc legatus in alio casu non habet
priuilegium reuocandi domum, sed Ro-
mæ conueniri potest, de quo in §. sed & si
dies, cui concordat l. 2. §. in omnib. sup. hoc
tit. nostr. casus autem est, quandò periculũ
sit in mora, ut scilicet dies actionis præte-
17 reat, † tunc enim compelli debet legatus
iudicium accipere, adhoc ut lis cõtestetur,
18 & ratio est † adhoc ne priuilegium sibi cõ-
cessum in alterius iniuriam cadat, credito-
ris nempè, qui contra ipsum actionem ha-
bet argumento l. necauus C. de emendat.
liber. & tantò magis, quia hoc casu non im
19 peditur diù munus legationis, † nam lite
contestata tunc postea silet iudicium, & in
prouinciam finita legatione transfertur,
20 † cum actio illa, quę tempore peritura erat
per litis contestationẽ perpetuetur l. fin. in
fi. infr. de fideiuss. tut. diximus superius in
d. l. 2. §. in omnibus nu. 22. vnde colligitur,
21 ut per Bar. hic, quod † quandò aliquid pro
pter necessitatem permittitur, illud intelli-
gitur esse permissum, quatenus durat illa
necessitas, & non ultrà, & ideò lite conte-
stata iudicium posteà silet, & in prouinciã
transfertur, Hincquè colligebat Iacob. de
22 S. Georg. hic, † quod remissio processus fit
de uno iudice ad aliũ, & ex hoc infert An-
23 gel. quod † si aliquando cassetur aliquod
officium, acta facta coràm illo officiali non
cassantur, sed debent terminari, & perfici
coram illo iudice, cui postea iurisdictio at-
tribuitur, & ita ait pronunciatum fuisse.

24 Sed & si] † dictio est ponẽs facti diuer-
sitatem, & iuris identitatem, ut suprà dictũ
est in l. si qs in legatione nu. 6. hoc tit. nr̃o.
25 Ex Trebelliano] † Trebellianum S.
C. temporibus Neronis VIII. Kalẽd. Sept.
Anneo Seneca Trebellio Maximo Coss.
Anno DCCCX. conditum fuit, ut placuit
Vltramont. de Senat. & insiguib. S. C. post
comment. de uerb. iur. sanxitquè ut actio-
nes, quæ in hæredẽ, heredibusq; dari solẽt,
eæ nequè in eos, nequè his darentur, qui fi
dei suæ commissum, sicut rogati essent, re-
stituissent, sed his, & in eos quibus ex testã
mẽto fideicommissum restitutum fuisset,
quò magis in reliquum consumarentur su
premæ defunctorum uoluntates, ut per Vl
pian. I. C. in l. 1. infr. ad Trebell. S. C.
Siuè coactus hæres] & sic colligitur
26 † legatum cui restituẽda sit hæreditas pos-
se cogere hæredem interuentu tamen Pre-
toris ad adeundam hæreditatem.
Ac si ipse adisset] quo casu durante
legatione conueniri non potest, vt dictum
est in l. de eo supr. hoc tit. nostro.
27 In fideicommissarium] † fideicom-
missarius non est hæres defuncti, sed est is,
qui de manu heredis hæreditatem accipit,
nec cõtinuatione successionis defuncto iun
gitur, est enim heres interpositus, nec a de-
functo, sed ab hærede directo, aut legitimo
relictum sibi fideicommissum capit, vt tra-
dit Connan. in suis comment. iuris ciuil. li-
bro 9. c. 6. num. 8.
Exceptio Trebelliani] exceptio scili-
28 cet † quam legatus habet fideicommissa-
rio non datur, quasi eo nomine in ipsum à
legato translata, vt in simili dicimus de a-
ctione Trebelliani l. si patroni §. actiones
infr. ad Trebell. S. C.
26 Personale beneficium est] † benefi-
cium personale personam sequitur, & ex-
tinguitur cum persona c. priuilegiũ, vbi gl.
Din. & Alber. de reg. iur. lib. 6. l. priuilegia
quędam, & l. in oĩb. causis infr. de reg. iur.
Iudicium accipere] quod quidem re-
30 gulariter euenit, vt per Odofred. hic, † cum
regulariter legati habeant priuilegium do
mum reuocandi l. 2. §. legatis supr. hoc tit.
31 Succedit] Vndè dicit † quod iuramen-
tum habet vim iudicati l. 2. infr. de iureiur.
32 Ædium nomine] † Ædium appella-
tio

tio omnes ædificij ſpecies continet,vt in l. qui ædes in fin. infr. de incend. ruin. naufr.

33 Damni infecti] † damni infecti promiſſionē ſcribit Boet. eſſe quoties quis promittit,ſe quod damnum uitio ſuo contigerit eſſe ſua reſtitutione penſandum, vt refert Briſſon. in interpret. verb. iur. in verb. damni infecti.

Dies actionis] quia ſcilicet actio temporalis eſſet, & ideò tempore peritura, vt dictum eſt in l. 2. §. in omnibus num. 21. ſuprà hoc tit.

Transferatur] Iudicium ſæpè, ut per Odofred. hic.

Ad §. fin.

Si pater familias mortuus eſſet, relicto vno filio, & vxore prægnante: non rectè filius à debitoribus partem dimidiam crediti petere poteſt, quamuis poſteà vnus filius natus ſit: quia poterāt plures naſci: cū per rerū naturā certū fuerit, vnū naſci: ſed Sabin⁹ Caſſius partem quartam peti debuiſſe: quia incertum eſſet, an tres naſcerentur: nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa eſſent, cum futura vtiquè fierēt; ſed noſtram inſcientiam aſpici debere.

SVMMARIVM.

1 *Futura in rerum natura alij certa ex Diodori ſententia, alij incerta cum Chryſippo dixerunt.*

2 *Futura in rerum natura ſunt certa penes naturam naturantem Deum ſcilicèt.*

3 *Futura in rerum natura quando certa ſint penes naturam naturatam.*

4 *Partus in vtero poſt certos dies formatur.*

5 *Filius iam natus pro qua parte heres intelligatur cum vtero pragnante, & nu. ſeq.*

6 *Lex dicitur eſſe certa de eo, quod eſt certum penes naturam naturatam.*

7 *Fæmina ſecundū varias hiſtorias modò tres, modò quatuor, modò plures parturierunt filios.*

8 *Fæminę dicuntur ſeptem receptacula habere, & num. 13.*

9 *Leges non adaptantur ad ea, quę de rarò eueniunt.*

10 *Conciliatur lex noſtra cum l. cum quidam §. ſuum infr. de acquir. heredit. & num. ſeq.*

11 *Leges poſteriores ſunt attendendę.*

12 *Pręgnans mulier quęnam dicatur.*

14 *Rerum naturam aliquandò intuemur nos.*

CAſus propoſitus à Paulo Iurecōſulto in hoc noſtro §. cum quo concordat l. 3. cum l. ſeq. infr. ſi pars hæred. pet. nihil commune videtur habere cum materia iudiciorum, de qua agimus nos, eſt enim de filio, qui hæres ſit vnà cum uentre prægnante, prò qua parte hæres intelligatur; uerè tamen conuenit, nam cògnito ex qua parte hæres ſit filius iſte, cognoſcemus etiā qd in iudiciū deducere poſſit, ut per Odofr. aut qua parte poſſit debitores paternos cōuenire, ut ꝑ Cuiac. hic vt aūt ꝓpoſiti caſus deciſionem habeamus, illud ſciatis I. C. noſtros inter ſe uarios fuiſſe circa ea, quæ in re
1 rū natura futura ſunt, † nā alij certa eſſe dicunt ex Diodori ſententia, alij verò ea incerta ex Chryſippi ſententia ferunt, nos diſtinguamus inter naturam naturantem, & naturam naturatam, nam ſi primo naturā naturantem Deum ſcilicèt ipſum conſide-
2 remus, † omnia quę futura ſunt certè penes ipſum certa ſunt, iſtudquè in dubium reuocari non debet, & de hac natura naturante non intellexerunt, nec Diodorus, nec Chryſippus dū voluerunt, ꝙ quæ futura ſunt per rerū naturā modo certa modo incerta ſint;
3 † ſi uerò ſpectemus naturā naturatā, & tunc aut eam conſideramus, antequam res ipſa, quæ futura eſt formata ſit, aut uerò poſtquàm formata eſt, non adhuc tamen in lucem edita, prout in partu in utero formato, antequàm in lucem emittatur, quod
5 † poſt certos dies contingit, ut Phyſici atteſtantur, & habemus per DD. noſtros in l. Cicero infr. de pœn. ſi primo caſu eam conſideremus antequam ſit formata, & tunc

pro-

procedit Chrysippi sententia, quod quæ fu
tura sunt, per rerum naturam sint incerta,
quot scilicet filij sint nascituri, & an mascu
li, an fœminæ, secundo uerò casu dum con-
sideramus hanc naturam naturatam post-
quam res est formata, nondum tamen in
lucem edita, & tunc quæ futura sunt per ip-
sam naturam certa sunt, cum certum sit pe
nes ipsam, quot filij sint in utero, & cuius
sexus sint, & de hac certitudine intellexit
Diodorus, de qua dicitur per DD. nostros,
quod lex dicitur esse certa de eo, quod est
certum penes naturam naturatam scilicet.
Modò hoc ità stãte dissensio est inter DD.
5 si † filius iam natus hæres sit unà cum, uen-
tre prægnante, prò qua parte hæres intelli-
gatur; Proculus enim, & eius sequaces fue-
runt eius opinionis, quod certitudinem na
turę sequi debeamus, adeò quod filius iam
natus, à lege suus efficiatur hæres pro ea
portione, quæ uerè eum tangit, quia si in
utero unus tantum sit, lex facit filium iam
natum suum, & necessarium hæredem pro
dimidia, si uerò in uentre sint duo lex facit
filium iam natum suum, & necessarium hę
redem pro tertia parte, & sic de singulis,
ut in l. cum quidam §. quod dicitur, & §.
suũ infr. de acquir. hæred. & ratio est, quia
per rerum naturam certum est, quot sunt
6 in utero, ideò † lex dicitur esse certa de eo
quod est certum penès naturam naturatã,
ut supra dictũ est, quarè operatur effectus
suos. Sabinus autem Cassius, quem Paulus
I.C. hic insequitur non rerum naturam se-
ctandam esse uoluit, sed ignorantiam no-
stram, undè filius iam natus non poterit pe-
tere dimidiam licèt unus tantùm sit in ute
ro, sed solum permittitur sibi, ut quartam
partem petere possit, quià incertum est pe-
7 nes nos, quot liberi sint nascituri, cum † ua
rias hystorias habeamus de fœminis, quæ
modò tres, modò quatuor, modò plures,
modò pauciores filios in lucem emiserunt,
ut in l. antiqui inf. si pars hæredit. pet. adeò
8 ut dictum sit † septem receptacula mulie-
res habere, ut per Odofred. hic, Sabinus
itaquè mediam uiam elegit, & spectauit
id, quod non rarò admodum fieri possit,
quod scilicèt tres nascerentur, rarò enim
9 quinquè, sex, aut septem nascuntur, & † id
quod rarò fit, prudentes nostri non spectãt
l. nam ad ea supr. de legib. at non admodũ
rarò fieri potest, ut tres nascãtur, ideò Sabi
nus Cassius, & Paulus hic uoluit, quod fi-
lius iste iam natus quartam tantum partẽ
petere possit, partu autem edito, tũc, quod
sibi ad suam portionẽ deest petere poterit,
ut per Odofred. hic, & hæc est sententia Sa
bini Cassij, quam Paulus I.C. hic insequi-
10 tur, quæ † ut uoluit Iacob. de S. Georg. hic
procedit tunc, quandò partus adhuc in ute
ro non est formatus, quia per rerum natu-
ram non est certum, quot numero formari
possent, sententia uerò Proculi, de qua in
dicta l. cum quidam §. quod dicitur, & §.
suum, infr. de acquir. hæredit. procedit, tũc
quandò partus est in utero formatus, & ità
certum est per naturam naturatam, quot
liberi in lucem sunt exituri, uerum hæc con
ciliatio non placet, cum sit contra tex. §. no
stri, qui in uerbis inquit rerum naturã non
esse inspiciendam, in qua omnia certa es-
sent, quarè Odofred. dicebat, quod in d. l.
cum quidam opinio tantum recitatur, quæ
hic reprobatur, quod tamen nec etiam pla
cet, quia potius lex illa attento ordine ui-
deretur attendenda, cum sit infra posita
11 post text. §. nostri, undè solet dici, † quod
leges posteriores semper sunt attendendæ
l. non est nouum supr. de legib. Quarè pu-
tarem ego ita dici posse, quod in d. l. cum
quidam nihil certi firmatur quoad agen-
dum, sed solum, quod filius iam natus tan-
tum intelligi debeat hęres esse pro illa por
tione, quæ uerè secundum naturam de hoc
certam ad illum spectat, hic uerò tractatur
de agendo, ad quid scilicet agere possit, li-
cet enim secundum naturam certum sit cũ
hæredem esse, uel pro dimidia, uel pro ter
tia, uel pro alia portione secundum nume-
rũ filiorũ, qui in utero sunt, quia tamen de
hoc nos incerti sumus, ideò admittitur ad
agendum solum pro quarta parte, & ità iu
ra hæc non erunt contraria.

12 Vxore Prægnãte] † prægnans dicitur,
quæ iam occupata est in generando, quod
concepit l. 1. §. 1. infr. de uentr. in possess.
mittend. l. prægnantis infr. de poen.

Petere

Petere potest] & ita loquitur tex. iste de agendo, ad quid scilicet filius iste iam natus agere possit.

13 Plures nasci] septem nempè † cũ mulier tot receptacula habeat, vt per Odofr. licet tex. in l. si pater infr. de solut. de quinque tantum dicat.

An tres nascerentur] an plures, vel pauciores.

Nec rerum naturam intuendam]
14 quam † tamen aliquando intuemur, vt in §. conditiones Instit. de verb. oblig.

Nostram inscientiam] idest inscitiam, vt Gothofred. & Cruc. hic notant.

Ad l. xxix. Paul. lib. viij. ad Plautium.

Qui appellat prior agit.

SVMMARIVM.

1 *Regula textus nostri ambigua est, & variè explicatur.*
2 *Verbum, appellat, variè à Doctoribus intelligitur.*
3 *Iudex appellatur, & reus appellat, & quomodo.*
4 *Actor in duplicibus iudicijs quisnam dicatur.*
5 *In mutuis petitionibus ambæ partes actoris vicem sustinent.*
6 *Appellare pro interpellare frequenter ponitur.*
7 *Superfluum quando aliquid non dicatur.*

Regula ponitur breuissimis verbis in
1 hac lege nostra; † quę ambigua admodum est, & variè à Doctoribus explicatur. Regula autem est, quod qui primo appellat, idest, prouocat ad iudicium, prior agat, idest prius eius petitio recipiatur, diuersimodè autem ponitur hæc regula, alij enim dicunt, qui appellat, prior agit, alij interpunctationem ponunt post verbum prior, & dicunt, quod qui appellat prior, agit, vel addunt verbum prior, & dicunt, qui prior appellat, prior agat, nos sequamur communem lecturam, cum virgula post verbum prior, & dicamus, quod qui appellat prior, agit, vt voluit post cæteros Cuiac. hic. Ambiguitas autem in alio con-
2 sistit nempè in † verbo, appellat, quod variè sumitur, nam iudex appellatur, & reus
3 appellat, † reus autem appellat, idest ad iudicium vocat, iudex verò appellatur, cũ propter injuriam inferioris iudicis ad eum recurritur, Cuiac. hic volebat verbum (appellat) intelligẽdum esse de eo, qui appellat iudicem, vt scilicet qui in priori iudicio fuit reus, & secundo loco causam egit, si appellauerit, in iudicio appellationis priore loco causam agat, idest actor sit, quam tamen explicationem non posse admitti contendit Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 12. col. fin. cum enim appellat quis à sententia iudicis, non duo, vnus prior, alter posterior appellant, sed vnus tantum, aut si appellant ambo litigantes appellant simul, & agunt ambo, non vnus tantum, vt per Donell. Alij dicebant regulam istam procedere in duplicibus iudicijs, prout familiæ erciscundæ, finium regundorum, &
4 communi diuidundo, † in quibus actor ille dici debet, qui prius ad iudicium vocauit, vt in l. in tribus supr. hoc tit. nostro; quã tamen explicationem Bart. reprobat, quia si de his in hac regula tex. nostri intelligeretur, vtiquè superflua fuisset dispositio d. l. in tribus supr. hoc tit. nostr. Alij in mutuis petitionibus intelligebãt regulam legis nostræ, quam tamen explicationẽ Donell. hic reprobat, quia in mutuis istis petitionibus, nõ debuit dici, is qui prius agit, appellat prior, sed apertè agit prior, cum & eum priorem agere cõueniat inter omnes, quid autem inquit Donell. magis nugatorium erit, quam dicere in his mutuis petitionibus, eum qui prior agit, agere, quasi dubitari posset, an qui agit, nõ agat, proindè, ac si quis dicat, ius est ius, actio est actio, homo est homo, in quibus casib. nihil planè dicitur, nec verum est, inquit Donellus, eũ qui in mutua petitione prior appellat solum agere, seu solum pro actore
5 esse, † nam in his, & qui agit prior, & qui mutuam petitionem regerit, agunt ambo, &

H &

& pro actoribus ambo habentur, cum vtriusquè sit distincta, & propria petitio l. 1. §.fin. infr. quæ sentent. fin. appellat. rescind, quarè Donell. putabat regulam tex. nostri esse intelligendam ità vt dicamus, eum qui appellat prior, dici eum qui inter-
6 pellat prior, & ad iudiciũ prouocat, † quæ explicatio verbi appellare pro interpellare apud probatos auctores frequens est, vt apud Ciceron. & Columell. à Donell. hic citatos, & apud Iureconsultos etiam seruatur, vt in l. fideiussor obligari §.fin. infr. de fideiuss. vndè in duplicibus iudicijs exẽplificari poterit, & locum habebit regula textus nostri, vt etiam firmat Duaren. in tit. nostr. in c. de litigatoribus per totũ; Nequè obstat vt inquit Donell. quod stante hac interpretatione superflua esset, vel dispositio l. in trib. supr. hoc tit. nostr. vel dispositio legis nostræ, vt dicebat Bart. hic,
7 quia † numquam superfluæ dicuntur sententiæ, quæ diuersis verbis ponuntur licet de eadem re, dum ità ponuntur, vt aliæ ex alijs lucem, & interpretationem accipiãt, & intelligatur quid plures circa idem varijs verbis senserint, nequè istud nouum est in iure nostro, vt apparet in l. 3. cum tribus sequẽtibus legibus, & in l. nequè cum alijs tribus legibus sequentibus supr. de legib. vbi id, quod in primo capite dictum erat, commutatis uerbis in sequentibus legibus profertur, ita ut una alijs lucem afferat, & cognoscatur alios, & diuersos auctores eandem sententiam in diuersis uerbis protulisse.

Qui appellat] id est ad iudicium prouocat, ut superius est dictum.

Ad l. xxx. Marcellus lib. 1. Digestorum.

Vbi acceptum est semel iudicium, ibi & finem accipere debet.

SVMMARIVM.

1 *Regula huius tex. vtilis est in materia iudiciorum.*
2 *Citatio sola operatur quod cæptum dicatur iudicium secundum aliquos.*
3 *Citatio legitima esse debet ad hoc, vt dicatur cæptum iudicium.*
4 *Lis contestata esse debet secundum aliqs, ad hoc vt cæptum dicatur iudicium.*
5 *Reus citatus si non compareat, non dicitur acceptare iudicium.*
6 *Iudicium cæptum dicitur cum reo citato, siue compareat, siue non.*
7 *Reus licet non compareat potest tamen postea audiri refusis expensis contumacialibus.*
8 *Citatio debet esse facta coram iudice competente, ad hoc vt cæptum dicatur iudicium.*
9 *Reus citatus coram iudice incompetente quamuis compareat, & petat copiam actionis, non dicitur acceptare iudicium.*
10 *Iudicium vbi cæptum est, ibi terminari debet.*
Fallit multis modis, vt numeris sequentibus.
11 *Iudicium cæptum coram vno iudice, quandoquè de necessitate terminatur coram alio.*
12 *Iudicium coram alio iudice terminatur, quandò primus index, vt suspectus recusatur.*
13 *Clausula, (quod si omnes) & clausula (vos vel alter vestrum) operantur, vt causa coram vno cæpta terminetur coram alio.*
14 *Iudices plures in causa heresis eodem tempore procedere possunt.*
15 *Incognitione alicuius causæ non debet fieri praiudicium iurisdictioni alterius iudicis.*

1 Conclusio proponitur in lege nostra in † materia iudiciorum utilis admodum, quòd ubi scilicet cœptum sit iudicium, ibi quoquè & terminari debeat, cum qua concordat l. cum quædam puella supr. de iurisdict. omn. iud. l. si quis posteaquam supr. hoc tit. nostro, & l. de qua re in princip. inf. eod. cõcordat & tex. in §. quoniam in Auth. de testib.

Circa cõclusionem tex. nostri uarij sunt
2 DD. uolunt enim aliqui † solam citationẽ operari, quod cœptum dicatur iudicium, itaut

itaut si quis simpliciter citatus sit corã aliquo iudice, tunc iudicium coram illo cœptum esse dicatur, huius opinionis auctor fuit Bart. in l. nostra, quem Castr. hic, & Barbos. nouissimè in d. l. si quis posteaquã
3 num. 275. supr. hoc tit. insecuti sunt, † citatio tamẽ hoc casu legitima esse debet multis concurrentibus, de quibus superius diximus nos in d. l. si quis posteaquam; Alij verò putarunt, quòd adhoc vt regula text.
4 nostri locum habeat, requiratur, † vt lis sit contestata, quam sententiam tenuit Duaren. in tit. nostr. in c. de for. compet. col. 4. quam etiam firmauit Cuiac. superius in d. l. si quis posteaquam in principio, suaderique videtur ex illo verbo acceptum, de
5 quo in l. nostra, † per solam enim citationẽ factam de reo, non dicitur reus acceptare iudicium, nisi compareat, & litem contestetur; Sequamur tamen nos primam opinionem Bart. scilicet, quod per solam citationem cęptum dicatur esse iudicium, quã etiã firmauit Guid. Pap. in Grationopol.
6 decis. 421. in princip. † quando enim reus citatus est, siuè compareat, siuè non, iudicium cœptum cum co dicitur, ideo vide-
7 mus, quod † licet nõ compareat, potest tamen postea audiri si velit refusis expensis contumacialibus, vt supr. diximus in d. l. si quis posteaquam num. 20. & ità quotidiè practicatur. Quæ opinio debet declarari,
8 vt procedat tunc, † quandò iudicium acceptum sit coram iudice competente, secus verò si quis coràm non suo iudice vocaretur, nam per solam citationem non dicitur
9 acceptum iudicium, quinimò, † nec etiam per comparitionem si scilicet compareat citatus, & petat copiam actionis sibi edi, vt in l. non videtur inf. cod. & ibi dicemus.
10 Regula ergò textus nostri est, †. quod vbi ceptum est iudicium, ibi terminari debeat, quæ regula fallit nonnullis casibus,
11 & primò, vt non procedat tunc, † quando non voluntariè, sed necessariò iudicium in vno loco cœptum in alio terminetur, vt in l. sed si restituatur §. sed si dies supr. hoc tit. nostro, vel cœptum coram vno iudice necessariò terminetur coram alio, vt in l. 1. supr. de offic. consf. & in l. properandum §. fin autem in medio C. hoc tit. nostr. Limitatur secundo loco, vt non procedat tunc,
12 quandò iudex iam aditus, vt suspectus recusaretur, tũc enim iudicium iam cęptum coram alio terminari potest l. apertissimi, & l. fin. C. eod. Fallit tertio loco in eo casu,
13 quando causa pluribus commissa † fuisset, cum clausula, quod si non omnes, uel cum clausula, vos uel alter uestrum, tunc enim iudicium cœptum coram vno ex iudicibus delegatis, qui non possit, uel nolit causam expedire, coram alio terminari poterit, ut in c. cum plures de offic. deleg. lib.
14 6. Limitatur quartò in † crimine hæresis, in quo omnes iudices procedere possunt, etiam si iudicium coram alio cœptum sit, ut in c. per hoc de hęretic. lib. 6. Fallit ulterius regula tex. nostri, ut non procedat in
15 eo casu, † quandò in causæ cognitione fieret præiudicium iurisdictioni alterius, ut inquit Bald. in cap. Imperialem, § fin. sub num. 19. de prohibit. feud. alienat. in usib. feud. Multas alias patitur limitationes regula, de qua hic, ut per Felin. in c. ex tenore, ubi 11. fallentias ponit extr. de rescript. per Port. in suis conclus. lib. 3. reg. 22. per Gabriel. in suis conclus. lib. 2. de iudic. con. clus. 1. & per alios passim.

Vbi acceptum] alias legitur, ubi cœptum, ut per Gothof. hic.

Ad l. xxxi. Celsus lib. xxvij. digestorum.

Si petitor plures hæredes reliquerit, vnusquè eorum iudicio egerit: non erit verum totam rem, quæ in priori iudicio fuerit, deductam esse, nec enim quisquam alienam actionem in iudicium inuito cohęrede perducere potest.

SVMMARIVM.

1 *Hæres vnus ex pluribus litem à defuncto iã inchoatam vincens sibi, non omnibus hæredibus vincit,*

Fallit, quando lis esset super indiuiduo, vt num. 8.

2 *Instantia defuncti transit in haeredem. Item & in vniuersalem successorem.*

3 *Actio defuncto competens transit in haredē.*

4 *Hares non potest actionem communem cohaeredum ipsis inuitis proponere.*

5 *Nullus potest rem alienam in iudicium absque mandato deducere, nisi dominus ratum habeat.*

6 *Rati habitio mandato comparatur.*

7 *Consors litis potest alijs cessantibus agere, cum cautione de rato, vel iudicato.*

9 *Petitor quinam sit.*

10 *Inuitus quis dicatur.*

PRoponitur casus in hac lege de eo, qui dum in iudicio agebat moritur post se relictis pluribus haeredibus, quorū unus litem prosequatur, an iste id totum consequi possit, quod defunctus petebat; Cui concordat textus in l. saepe infr. de re iudi-
1 cat. Conclusio autē ex hoc textu sit, † quod si hęres unus ex pluribus relictis litem iam à defuncto coeptam peragat, & uincat, nō omnibus cohaeredibus, sed sibi tantum, &
2 pro sua parte uicisse intelligitur, † instantia namque defuncti transit in haeredem l. si cum hominem inf. de fideiuss. & in uniuersalem successorem l. tam ex contractibus
3 infr. hoc tit. nostro, † prout etiam actio defuncto competens transit ad eius haeredes, & inter eos diuiditur l. 1. C. si cert. petat. & l. pro haereditarijs C. de haeredit. act. ideo nil mirum si litem peragere possit, quam si uincat sibi non alijs euincit, cum pro sua
4 parte tantum egisse intelligatur, † qui non potuit actionem cohaeredum ipsis scilicet inuitis producere, ut in d. l. saepe inf. de re
5 iudicat. sic etiam uidemus, quod † qui non est procurator, non potest rem alienam in iudicium deducere, & si deducat nullū est iudicium, nisi dominus ratum habuerit,
6 cum † rati habitio mandato comparetur l. licet infr. hoc tit. nostr. & si isti plures cohaeredes insimul litis consortes essent, hoc est insimul litem essent contestati, quo ca-
7 su uere litis consortes dicuntur, † tunc unus pro aliis reliquis cessantibus agere potest l. 1. C. de consort. eiusd. lit. modò caueat de rato, uel iudicato absentium nomine, de rato nempè si agat, de iudicato ueró si cum eis agatur l. 2. C. eod. tit. de consort. eiusd. lit.

Fallit autem dispositio textus nostri,
8 tunc † quandò lis esset super indiuiduo, ut per Bart. hic per text. in l. uiae itineris cum ibi notat. infr. de seruit.

9 Si petitor] actor † scilicet, qui in iudicio qd petat, reliq; ad iudiciū prouocet, vt supra dictum est in Rubr. huius tit. nu. 15.

10 Inuito cohaerede] † inuitus hoc casu dicitur non solum, qui nominatim cōtradicit, sed etiam qui tacet, aut ignorat, vt per Cuiac.

Ad l. xxxij. Vlp. lib. 1. de offic. Consulis.

Si iudex cui certa tēpora prȩstituta erāt decesserit; & alius in locum eius datus fuerit; tanta ex integro tempora in persona eius praestituta intelligemus: quamuis magistratus nominatim hoc in sequentis datione non expresserit; ità tamen, vt legitimum tempus non excedat.

SVMMARIVM.

1 *Iudex in locum mortui subrogatus debet eadem tempora habere, quae primo concessa erant.*

2 *Subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur.*

3 *Iudex nouus noua deliberatione indiget.*

4 *Iudex in locum alterius subrogatus quādo, & quomodo debeat habere eadem tempora, quae primus.*

5 *Conciliatur lex nostra cum l. properandum C. de iudic.*

6 *Iudici delegato non currunt tempora nisi à die notitia delegationis.*

7 *Iudex delegatus causa cognitionem non habet antequam se delegatum cognoscat.*

8 *Legitimū tempus dicitur tempus triennij.*

De

De actore, qui dũ in iudicio agit, moritur, actum est in antecedenti lege, nunc de iudice, qui infra tempus expeditionis causę decedat, hic agitur, disponiturque, † quod si iudex delegetur in locũ demortui intra tẽpus expeditionis causę, cũ certa tẽpora ei in delegatione ad causam terminandam ordinata essent, debet eadẽ tempora ex integro habere, quæ primo iu-
2 dici iã mortuo cõcessa erant, † subrogatus enim sapit naturã eius, in cuius locum subrogatur l. si eũ §. qui iniuriarũ supr. si quis
3 caut. ratioque ueta sit, † quia nouus iudex noua deliberatione indiget, nec debet minus tempus habere ad deliberandum, quam primus habuerit, ut per Castr. hic.

Obstare autem videtur huic legi tex. in l. properandũ C. hoc tit. nostr. de iudic. vbi voluit Imperator, q̃ si infra tempus triẽnij iudici præfixum ad terminandam causam iudex ipse, vel moriatur, vel mutetur, tunc iudex alter in locum illius subrogatus debeat eandem causam intra reliquum tempus triẽnij, quod superest terminare, dummodò non sit minus, quam annale, quod si sit minus, debeat repleri spatium vnius anni, intra q̃ causam discutiat, & terminet, ergò contra tex. nostrum, qui vult quod iudex secundus ex integro debeat eadem tẽpora habere, quæ primus iudex habebat.

Pro solutione (ommissis ijs de quibus per
4 glos. & Bar. hic) dicamus, † q̃ aut iudex, qui subrogatur in locum alterius est iudex ordinarius in locum ordinarij, aut delegatus in locum delegati, si ordinarius sit in locũ alterius ordinarij, & tũc iste subrogatus ad terminandam causam habebit tempus, q̃ supererat primo ordinario, dum tamen nõ habeat minus anno, & sic quãdoq; poterit instantia vltra triẽnium durare, & ita procedat text. in d. l. properandum §. sin autẽ in medio C. eod. Si verò iudex subrogatus sit iudex delegatus in locum alterius delegati, & tunc iste subrogatus debet habere integraliter totum tempus, quod primus habebat, ita tamen, quod computato tempore tam primi delegati, quã secundi, non excedat triẽnium, & hic est casus l. nostrę,
5 quæ † hoc modo cõsiderata non repugnat dictæ l. properandum §. sin autem in medio, C. de iudic.

Si Iudex] delegatus scilicet à consule, vt videtur innuere inscriptio huius legis, & facit text. in l. 1. §. si quis in appellatione infr. de appellat.

Præstituta] alias legitur Præstita, idest præstituta, vt paulò infrà, & sic præscripta, vel data erant, vt per Gothofr. hic.

6 Ex integrò] vt etiam in l. & ideò infr. de verb. oblig. † quę tempora non currunt nisi à die, quo ad iudicis notitiam venerit
7 ipsa delegatio, † quia antequam se delegatum cognouerit, causæ cognitionem nõ habet, vt per Gothofr hic.

Magistratus] idest Consul, vt supra est dictum.

8 Legitimum tempus] † triennij scilicet, vt in dicta l. properandum C. eod.

Ad l. xxxiij. Modestinus lib. 3. Regularum.

Non videtur in iudicem consensisse, qui edi sibi genus apud eundem iudicem desiderat actionis.

SVMMARIVM.

1 *Qui sibi edi actionem petit, non dicitur consentire in iudicem.*
Sed id facere dicitur ad deliberandum, an cedere, an verò contendere velit, vt numero 4.
2 *Quænam requirantur ad litem introducendam.*
3 *Litis contestatio iudici iurisdictionem tribuit.*
5 *Nemo præsumitur velle id, quod sibi praeiudiciale sit.*
6 *Inducta ad vnum finem, non debent contrarium effectum operari.*
7 *Actus non debent operari præter intentionem agentium.*
8 *Qui libello porrecto respondet, litem contestatur, & in iudicem dicitur consentire.*
9 *Editio actio, & lis contestata differunt.*

10 *Consensus qualiter dicatur cadere in iudicem.*

11 *Qui exceptionibus vtitur apud iudicem, in ipsum consentire dicitur.*

12 *Qui semel in iudicem consensit, non potest amplius eum declinare.*

13 *Qui opponit declinatoriam fori, eam in initio, & antè alias exceptiones opponere debet.*

14 *Qui non vult consentire in iudicem, debet ab initio id protestari.*

15 *Priuilegium fori non ità de facili ammitti debet.*

16 *Nostra interest à nostris iudicibus iudicari.*

17 *Iudicis nomen comprehēdit oēs dignitates.*

18 *Iudex vndè dicatur, & quid significet.*

1 SI quis † petat sibi actionem edi (inquit text. noster, cui cōcordat l. 1. & Auth. offeratur, C. de lit. contestat.) per hoc non
2 videtur in iudicē consensisse, † ad litē enim introducendam primò desideratur voluntas litigādi; posteà verò declaratio sub quo iudice lis esse debeat, pro primo editur actio, pro altero postea lis contestatur, &
3 hæc † litis cōtestatio est illa, q̄ iudici iuris-
4 dictionem tribuit; quandò ergò quis † sibi actionē edi petit, id facit ad deliberandū, quid agere velit, an cedere, an verò contendere d. Auth. offeratur C. de lit. cōtest. quarè ex hoc nō dicitur consensum aliquē in iudicem præstare, cū nihil ab eo petat,
5 nec † præsumatur velle id facere, quod sibi in præiudiciū esse possit l. cum de indebito
6 infr. de probat. † inducta namq; ad unū finem non debent contrariū, vel diuersum effectum operari vulgata l. inutiliter infr. de adim. legat. & l. q̄ fauore, C. de legib.
7 nec † actus debet operari præter intentionē agentis, l. si quis nec causam, & l. non om-
8 nis infr. si cer. pet. † si verò respondeat quis libello porrecto, & ità litē contestetur, tūc
9 dicitur in iudicem consentire, † differunt enim edita actio, & lis cōtestata, vt inquit textus in d. l. 1. C. de lit. contestat. Ad hoc
10 autem, † vt consensus sit in iudicem, debet coram eo lis esse cōtestata, vel ab eo, quid aliud peti debet, vt puta, quia opponeretur contra libellum, vel contra personam actoris, nam tūc à iudice istud videtur peti, vt super illis exceptionibus pronunciet,
11 & ità † qui exceptionibus vtitur apud iudicem, in ipsum iudicem consensisse dicitur, quia videtur vellet, vt super eis pronū-
12 ciet, vt inquit Gothofred. hic, & † ideo talem iudicem posteà declinare non poterit, vt in l. sed & si susceperit infr. hoc tit. no-
13 stro, & ità apparet, quod † qui vult opponere declinatoriam fori, eam in initio opponere debet l. fi. C. de except. & quidem antè alias exceptiones, vt per Bart. hic, &
14 quandò † quis non vult consentire in iudicem, à principio debet protestari, quod non intendit in eius iurisdictionem consentire, nisi quatenus de iure teneretur, & non aliter, ita Innocent. in c. Cumana nu. 4. extr. de elect. & elect. potest. Vndè ex
15 hoc tex. colligamus, quod † non ità de facili debet, quis ammittere priuilegiū fori,
16 cum nostra intersit à nostris iudicibus cōpetentibus scilicet iudicari l. iuris ordinem, C. de iurisd. omn. iud.

17 In iudicem.] † iudicis nomen comprehēdit omnes dignitates, vt in tit. C. vt omnes dignit. iudexq; dicitur quasi ius dicēs populo, ut per Bud. in l. ius ciuile supr. de. iustit. & iur. diciturquè iustitiæ antistes, ut idem Bud. in l. iustitia sup. de iustit. & iur.

Ad l. xxxiv. Iauolenus lib. quintodecimo ex Cassio.

Si is, qui Romę iudicium acceperat, decessit. hęres eius, quamuis domiciliū trans mare habet, Romę tamen defendi debet; quia succedit in eius locum, à quo hęres relictus est.

SVMMARIVM.

1 *Hæres tenetur iudicium subire in loco, in quo defunctus susceperat, quamuis ibi domicilium non habeat.*

Declara, vt verum sit, quandò lis à defuncto iam esset cœpta, vt num. 5.

In-

2 *Instantia cœpta contra defunctum transit in eius hæredem.*
3 *Mors omnem qualitatem extinguit.*
4 *Hæres à iure interpretatur eadem persona cum defuncto.*
6 *Iudicium acceptum dicitur, quando lis est contestata.*
7 *Exempla declarant non restringunt.*

LEx hæc concordat cum text. in l. hæres absens in principio supr. hoc tit. nostro, ibique latè de eius materia est tractatum, de ea itaquè parum hic dicã, continet enim tantum, quod† hęres illius, qui Romæ iudicium susceperat, ibidem teneatur iudiciũ subire, vbi & defunctus suscepit, etsi ibi domicilium non habeat, ratio etiam in textu assignatur, quia successit in eius locum, à quo hæres est relictus. Vndè colligamus, quod† instantia cœpta contra defunctum transit in eius hęredem, vt etiã colligitur ex l. si possessor, & ibi dictum est supr. hoc tit. nostro, ex l. seruus supr. de his qui not. infam. & ex l. si eum hominem infr. de fideiuss. & hoc quidem mirum videtur, quod instantia, vel alia obligatio, quæ ossibus defuncti inhærebat l. quis ergò casus inf. de pecul. trãseat in hæredem, cum† iam per mortem omnis qualitas fuerit extincta §. deinceps in Auth. de nupt. transit tamen, etsi non verè, saltem fictè, eademquè instantia, vel obligatione numero tenetur hæres, vt pulcherrimè declarat Cin. in l. pacto successorum nu. 1. in fin. C. de pact. adeò vt non sit necesse nouam inchoare litem, vt declarat Barbos. ad d. l. hæres absens in princip. num. 22. sup. eod. iuris enim interpretatione hæres cum defuncto eadẽ persona cẽsetur §. 1. in Auth. de iureiur. à mor. præstit. hoc autem verũ est, † quandò lis iam cœpta erat cum defuncto, vt clarè ex principio legis nostræ apparet, secus verò si nondum iudicium inchoatum esset, tunc namq; hæres si alibi domicilium habeat, nõ tenetur in loco defuncti iudicium subire, vt in l. hęres absens in principio sup. hoc tit. nostr.

Iudicium acceperat] hoc est litem contestatus erat, † tunc enim propriè dicitur acceptum iudicium, cum lis contestat est, gloss. in l. illud §. fin. C. de appellat.

Romæ tamen] id quod de Roma hic dicitur, debet intelligi de quocunq; alio loco, vt per gloss. hic, † exempla enim non restringunt, sed declarant regulam l. damni infecti (2.) infr. de damn. infect.

Ad l. xxxv Iauolenus lib. 10. Epistolarũ.

Non quemadmodum fideiussoris obligatio in pendenti potest esse, & vel in futurum concipi, ità iudicium in pendenti potest esse, vel de his rebus, quæ posteà in obligationem aduenturæ sunt. Nam neminem puto dubitaturum, quin fideiussor antè obligationem rei accipi possit: iudicium verò antequam aliquid debeatur, non posse.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor sub conditione accipi potest, & in futurum, & num. 10.*
2 *Iudicium non potest fundari super iure de futuro, & num. 10.*
Fallit, quãdò aliquid de præsenti debeatur,
3 *Iudicia ordinantur ad sententias ferendas.*
4 *Sententia iudicialis certa esse debet.*
5 *Futura incerta esse dicuntur.*
6 *Futurorum contingentium non est determinata veritas.*
7 *Iudex non debet pati fieri processum superuacuum.*
8 *Iudicium non debet fieri elusorium.*
9 *Iudex non potest proferre sententiam super inepto libello.*
11 *Fideiussor potest accipi antè obligationem principalis debitoris.*
13 *Iudicium de eo, quod annuatim debetur etiam quoad futura, nunc valet.*

1 CVM † fideiussor sub conditione recipi possit, eiusquè obligatio in pendenti esse valeat, vt in l. Græcè §. illud inf. de

de fideiuss. quæritur numquid eodem modo iudicium in pendenti esse possit, & ità fundari valeat super iure de futuro; Concordat cum hac lege tex. in l. 1. §. nec tamē infr. de vsur. in l. certi condictio in princip. infr. si cert. pet. & in c. Fraternitatis in fin. extr. de frigid. & malefic.

Conclusio autem ex hoc tex est, quod
2 iudicium † super iure de futuro fundari ne-
3 quit, & ratio sit, quia † iudicium ordinatur
4 ad sententiam ferendam, quæ † quidē sententia debet esse certa, §. curare Inst. de act. & ideò iudicium non potest fundari super
5 futuro tanquam super incerto, cum † futura ex Chrisippi sententia incerta sint, vt supr. in princip. §. fin. l. sed & si restituatur
6 hoc titul. dictum fuit; vndè dicitur, † quod de futuris contingentibus nulla est determinata veritas; Vel ratio sit ex mente Innocent. in c. quia nonnulli extr. de rescript.
7 quia † iudex nō debet pati fieri processum superuacuum l. litigatores §. fi. supr. de recept. arbitr. & l. ad probationē, C. de probat. at si iudicium formaretur super futuro, quod deficeret, vt super cōditione, quæ nō purificaretur, libellus ineptus esset, processus superuacuus redderetur, iudiciūque
8 elusorium fieret, † quod esse non debet l. si
9 prætor infr. hoc tit. nostr. & hinc est, † quod iudex non debet super inepto libello sententiam proferre, non enim valeret, vt per Bald. in l. actori, C. de reb. credit. & sic ex hoc text. duplex apparet differentia inter obligationem fideiussoris, & iudicium, nā
10 fideiussoria obligatio in futurum † accipi potest, & ità potest esse in pendenti, vt in l. eo tempore in princip. infr. de pecul: & in l. stipulatus §. fin. infr. de fideiuss. iudiciū verò nequaquam; Altera differentia est,
11 quia † fideiussor potest accipi, antequàm debitor principalis obligetur, iudicium verò accipi non potest, antequam quid actori debeatur, vt per Odofr. hic.

Conclusio tex. nostri ex mente Doctorum declarationem accipit, vt procedat tunc tantum, quandò iudicium super iure de futuro fundaretur, nec aliquid de præsenti deberetur, tunc enim verū est, quod iu-
12 dicium non valet; secus verò † si de præsenti aliquid debeatur, nam eius ratione etiā futura possunt in iudicium deduci, & ideò tex. noster in fine ait, iudiciū non posse accipi antequam aliquid debeatur; & hinc
13 est, quod si † annuatim quid debitum sit, iudicium nunc valebit de eo quod in futuris annis debebitur, vt in l. 1. C. de fideic. & facit tex. in l. si stipulat⁹ § 1. inf. de verb. oblig. ad hoc ne quis singulis annis cogatur iudiciū suscipere, vt per Odofr. & Bar. hic.

Opponitur autem aduersus text. nostrū de l. in lege infr. ad l. Aquil. ubi si quis alterius chirographū deleuerit, in quo contineretur obligatio pecuniæ sub conditione debitæ, lege Aquilia conueniri potest, & condemnari antequam aliquid debeatur, idest antequam eius obligationis conditio extiterit, ergò iudicium potest esse de eo, quod futurum est, & in pendēti existit. Pro solut. dicamus, quod duplex est obligatio, quæ in casu dictæ l. in lege cōsiderari potest, alia scilicet contenta in proposito chirographo, vt putà solutionis sub conditione, alia verò ex qua cōuenitur lege Aquilia is, qui chirographum corrupit; prima illa conditionalis est, & pendet, nec de ea iudicium esse potest, secunda autem præsens est, & pura, & ideò in ea lege rectè lege Aquilia actum fuit, vt in d. l. in lege infr. ad leg. Aquil. & ità tollebat hoc contrarium Iul. Pac. cent. 3. legum conciliat. tit de iudic. q. 26.

In pendente] vt putà, quia accipio fideiussorem, si nauis ex Asia venerit.

In futurum] vt si dicatur, fideiubeo pro Titio, cū quo actionem es habiturus, ut in l. 4. inf. de fideiuss. & in §. 3. Inst. eod. tit. de fideiuss.

Aduenturæ sunt] quare nō possū petere debitū cōditionale pēdēte cōditione.

Ad l. xliij. Papinianus lib. xxvij. Quæst.

Eum qui Insulam Capuæ fieri certo tempore stipulatus est, eo finito, quocumquè loco agere posse in id, quod interest, constat.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Actio arbitraria est, cum quid certo loco dādum sit, nec detur.*

2 *Factum quod uno loco fieri debet, si alio fiat diuersum censetur.*

3 *In obligationibus facti post moram succedit obligatio ad interesse.*

Secus est in obligationibus dandi.

Declara id verum, quantum ad mora purgationem.

Declara etiam id verum esse, quando factū sit in obligatione ex dispositione hominis non legis, vt num. 10.

Declara vlterius id verum, quando promissio facti pendeat a simplici voluntate promittentis, vt num. 11.

4 *Interesse habet diuersam naturam à facto.*

5 *Mora, & frustatio non debent prodesse moroso.*

6 *Morosus, & fur aequiparantur.*

7 *Interesse peti potest quouis loco, legitimo scilicet, & idoneo.*

8 *Locus legitimus dicitur, vbi quis contraxit, vel vbi domicilium habet.*

9 *Promissio simpliciter facta nullum locum excludit.*

12 *Insula etiam propriè domus est.*

13 *Capua vrbs Campaniae fuit.*

14 *Interesse succedit quotiescumquè factum stipulamur.*

SIcuti per titulum de eo, quod certo loco, prouidetur quandò aliquid sit dā-
1 dum certo loco, & non datur, † vt actio sit arbitraria l. 1. & ibi notatur inf. de eo quod cert. loc. ità per legem nostram prouidetur in eo casu, quandò aliquid certo loco, & certo tempore faciendum sit, nec fiat; & cum hac l. concordat tex. in dicta l. 1. infr. de eo quod cert. loc. & in l. si duo §. sed certo loco infr. de constit. pecun.

Qui insulam certo loco tempore destinato fieri stipulatus est, finito eo tempore nō potest agere, vt Insula in alio loco fiat, factum enim istud cohęret loco, & si fieret
2 in alio loco, † tunc factum esset diuersum l. si non sortem §. libertus infr. de condict. indeb. tradit gloss. in l. Pannonius §. rei perduellionis infr. de acquir. hæredit. sed po-
3 test agere ad interesse, † in obligationibus enim facti post moram succedit obligatio ad interesse l. si quis ab alio §. fin. infr. de re iudic. l. stipulationes nō diuiduntur inf. de verb. oblig. quod non euenit in obligationib. dandi l. quoties, & ibi not. Florian. de S. Petr. sup. de seruit. iacit tex. in l. vbi autem non apparet §. fin. inf. de verb. obligat. hocquè verum sit quantum ad morae purgationem, vt tradit Bart. in l. cōtinuus. §. item qui insulā in principio inf. de verb. oblig. Ratio autem quare in istis obligationibus facti succedat obligatio ad inte-
4 resse, est quia † interesse habet diuersam naturam à facto, factum enim cohæret certo loco, ideo alio loco fieri æquè non potest, at soluere interesse non cohæret certo loco, ideo alio loco æquè peti potest, fundatur enim interesse in sua æquitate, separata à facto principali l. 1. infr. de eo quod
5 cert. loc. vel ratio sit, quia † mora & frustatio sibi prodesse non debet, sed potius obesse l. hominem in fin. infr. mandat. & hoc
6 quodammodò in pœnam, cum † fur, & morosus æquiparentur, vt inquit Mant. in suo æquilibr. iur. ciuil. hìc ad l. nostram. Et hoc quod dicitur de interesse, quod peti possit, verum est non solum in loco in quo factum adimpleri debebat, verum etiam,
7 & alio quocunquè loco, vt inquit text. noster, qui intelligi debet de quocumq; lo-
8 co, legitimo scilicet, & idoneo, † vbi nempè reus contraxerit, vel vbi domiciliū habeat, vt per Donell. lib. 17. comment. iur. ciuil. c. 19. col. 2. ex mente Ioannis, Azonis, Accursij, & aliorum interpretum antiquorum, & quidem cum ratione, si quis enim simpliciter sine loci adiectione promisisset Insulam facere, certè attentis verbis videtur, quod vbiq; conueniri possit, & cogi ad Insulam faciendam, vel ea non facta ad interesse, cum nullus certus locus
9 destinatus sit, nec † vllus locus excludatur argum. text. in l. si seruitus infr. de seruit. vrb. præd. re vera tamen non potest cōueniri, nisi vbi contraxerit, vel vbi domiciliū habeat l. hęres absēs §. 1. supr. hoc tit. nostr. l. 1.

l. 1. 2. & 3. infr. de reb. auctor. iud. possid. si ergò qui simpliciter sine loci determinatione, quid facere promisit, loco tantũ legitimo, & idoneo conueniri potest, quãtò magis ille, qui certum locum elegit, nõ debet posse conueniri nisi in loco legitimo, & idoneo.

Id autem quod dictum est, in obligationibus facti post moram succedere obligationem ad interesse, procedit, & verum
10 est, † quandò factum sit in obligatione ex dispositione hominis, secus verò si esset in obligatione ex dispositione legis, vt per Bart. in l. si cum exceptione, §. sed & si quis supr. quod met. caus. Item verum est, &
11 procedit, † quando promissio facti pẽdeat à simplici voluntate promittentis, vt notatur in l. pactum, quod dotali, C. de pact.

Eum qui insulam] domum scilicet,
12 Insula † enim etiam propriè domus est, quæ vicinorum parietibus communibus non coniungitur, vt ait Festus, quarũ magna fuit olim Romæ multitudo, omnes. n. domus olim insulæ in modum ædificabãtur, relicto vndequaque spatio, vt tutiores essent ab incendio; Insulæ itaque appellãtur domus istæ ad similitudinem Insularum, quæ circumquaq; aliquo amne ambiguntur, vndè omnes domus posteà, quãuis inter se coniunctæ essent insulæ sunt appellatæ, vt inquit Conan. lib. 2. comment. iur. ciuil. cap. 2. num. 5. & lib. 4. c. 10. n. 10.

13 Capuæ] Capua † vrbs Campaniæ fuit olim nobilis; Cicero ait eam superborum quondam domum fuisse, quam Vulturnus amnis interfluit, à camporum latitudine, in quibus sita fuit ità dictam, nihil ferè hodie preter umbram nominis retinet, Falco appellata, vt per Spiegel. à Falcone scilicet, sub cuius augurio condita fuit, qui prisca Tuscorum lingua Capys dicebatur.

14 In id quod interest] quoties † factum stipulamur, interesse venit, inquit Accursius, tutissimum tamen est, vt primo loco petatur factum fieri, & si factum non fuerit, interesse successiuè petatur Dec. in l. quatenus no. 4. inf. de reg. iur.

Leges aliæ huius tituli ob superuenientes vaccationes carnis priuij ommissæ fuere.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO,

TITVLVS II.

AD TIT. DE INOFF. TEST.

Præfatiuncula ad Auditores in ingressu lectionum Quadragesimalium.

INTER plurima Pithagoræ documenta, quæ reliquit, id præcipuum fuisse comperimus, vt post Religionem animos disciplinis excollam⁹, dictum sanè (NN) egregium, notatu dignū, nec inconsultò à tanto viro prolatum, optimarum namquè artium disciplinę iuuenibus necessariæ sunt, senibus iucundæ, pauperibus opes præstant, diuitibus ornamentum, in aduersis solatium præbent, in secundis glotiam, domi delectant, foris non impediunt, nobiscum pernoctant, peregrinantur, & rusticantur, eas tamen assequi sinè maximis laboribus, assiduisquè lucubrationibus, ac vigilijs vllo modo possumus. Cum autem legalis hęc nostra disciplina longè cœteris præstet, digna studiosis ingenuarum artium, (vt de Peripatetica aiunt) digna claris viris, digna Principibus, digna Regibus, digna deniq; summis totius orbis terrarum Monarchis, ideò totis (vt aiunt) viribus, quantū in vobis est (N.N.) contendere debetis, vt omnibus appareat, disciplinis, ac præcipuè ipsi scientiæ legali, non otio, ac abdomini vos natos esse, ità namquè huberrimos fructus percipietis, nullumquè amplissimæ dignitatis genus (credite mihi) excogitari posse scietis, quod vobis paratum nō sit. Animis itaquè adeste vos, sicut & corporibus adestis; proculq; à vobis quęso absint ludi, choreæ, ac superiorum dierum negotia, quę ad honestam quandam animi relaxationem concessa fuere, illis finis impositus est, vos quoquè illa obliterate, quod si sic fiet, vt spero, nec ego vobis in aliquo etiam si vellem deesse potero, iuxtà illud, quod pręclarè Poeta cecinit.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Ad Rub ff. de inoff. testam.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio tituli proponitur.*
2 *Actiones in iudicijs exercentur.*
3 *Actiones competunt, & ad res vniuersales, & ad particulares.*
4 *Vniuersitas praualet rebus singulorum.*
5 *Hareditas primum locum obtinet inter res vniuersales.*
6 *Hareditas, tanquam quid vniuersale augumentum, & diminutionem recipit.*
7 *De hæreditate qualiter disseratur.*
8 *Testamentum etsi inofficiosum sit, iure tamen consistit, nisi per querelā infirmetur.*
9 *Inofficiosum testamentum varijs modis describitur.*
10 *Inofficiosum testamentum, quarè ità dicatur.*
11 *Testamentum, vt inofficiosum dici possit, quatuor desiderantur.*
12 *Testamentum per se nullum non potest dici inofficiosum.*
13 *Actio de inofficioso testamento dicitur subsidiarium remedium, & num. 38.*
14 *Filijs exheredatis, vel iniustè præteritis quatuor remedia regulariter competūt.*
15 *Filij, quibus minus legitima portione in testamento relictum est, non possunt dicere inofficiosum testamentum, sed tantum agere ad supplementum legitimæ.*
16 *Remedium impugnandi testamentum inofficiosum quot nominibus, & quibus nuncupetur, & quarè.*
17 *Querela inofficiosi testamenti propriè dicitur remedium nostrum.*
18 *Querela inofficiosi testamenti quid sit.*
19 *Querela inofficiosi ex mente Cuiacij à lege Glicia fuit introducta.*
20 *Querela inofficiosi testamenti secundum alios, & verius ex Iuriscōsultorum auctoritate, & moribus est introducta.*
21 *Querela inofficiosi, qua rōne sit introducta.*

Pa-

22 *Parentum hæreditas liberis naturali ratione debetur.*

23 *Liberorum hęreditas ex pietate parentibus debetur.*

24 *Qui liberos, vel parentes sine causa exhæredant, ratione mentis carere dicuntur.*

25 *Furiosi testamentum nullum est.*

26 *Querela inofficiosi datur omnibus descendentibus, siue legitimis, & naturalibus, siue legitimis tantum.*

27 *Querela inofficiosi non datur naturalibus tantum, nec spurijs tantum, nisi in testamento matris.*

28 *Querela inofficiosi datur omnibus ascendentibus legitimis tantum; non autem naturalibus.*

29 *Pater naturalis non potest dicere inofficiosum testamentum filij.*

30 *Eadem remedia in materia exhæredationis sunt parentum, & liberorum.*

31 *Querela inofficiosi datur transuersalibus primi gradus, & quando.*

32 *Turpes persona, quanam sint remissiuè.*

33 *Lex noluit in infinitum protrahere instituendi necessitatem.*

34 *Transuersalibus non ità debetur successio, atq; descendentibus, ac ascendentibus.*

35 *Querela inofficiosi non competit nisi ijs, qui habeant successionem ab intestato.*

36 *Querela inofficiosi datur tantum contra hæredes cuiuscumquè conditionis.*

37 *Querela inofficiosi datur tantum post aditam hæreditatem.*

38 *Querela inofficiosi non datur ijs, quib. aliud remedium in successione competit.*

39 *Qui aliquid ex testamento iure institutionis habet, excluditur à querela inofficiosi.*

40 *Qui renunciauit querela inofficiosi, ab hoc remedio excluditur.*

41 *Qui per quinquennium tacuit excluditur à querela inofficiosi.*

32 *Ingratus ergà testatorem excluditur à querela inofficiosi.*

43 *Ingratitudinis causæ à liberis ergà parentes decem, & quatuor assignantur, à parentibus verò ergà liberos septem tantū.*

44 *Agnoscens legatum sibi factum, excluditur à querela inofficiosi.*

IAm itaquè ad opus accedamus, Diuinumq; prius, ac Deiparæ Virginis VITÆ Reginæ Protectoris nostræ auxiliū, opemquè imploremus, eos humiliter exorantes, vt ipsi nostris annuant cœptis, laboresquè nostros secundent, quò facilius ego in viam studiorum vos perducere valeam. Cum itaquè in superioribus scholis secundam Pandectarum partem, in qua materia iudiciorum habetur, interpretandam proposuerim, primusquè titulus libri quinti, qui de iudicijs inscribitur, explicatus fuerit, nunc ad secundum, qui de inofficioso testamento est, hoc sacro Quadragesimali tempore transitum facere decre-
1 ui; † & quia de iudicijs actúm fuit, in qui-
2 bus † actiones exercentur, vt per gloss. hic
in Rub. nostra, ideò de ipsis actionib. nunc
3 est agendum, † quæ cum competant, & ad
4 res vniuersales, & ad particulares, † vniuer
sitasquè potior sit rebus singulis, sicuti totū suis partibus, ideò prius de actionibus, quæ pro rebus vniuersalibus dantur est a-
5 gendum, † inter quas primum locum obtinet hæreditas, vt in §. fin. instit. per quas
6 person. nob. acquirit. † quæ hæreditas tāquam quid vniuersale augumentum, & diminutionem recipit, vt in l. pecuniæ ver-
7 bum §. hæreditas infr. de verb. signif. † de hęreditate autem, vt plurimum differitur, vel per querelam inofficiosi, vel per hæreditatis petitionem, cum autem plerumq; agenti petitione hæreditatis obstet testa-
8 mentum, † quod licet inofficiosum sit, iure tamen cōsistit, nisi infirmetur, ideo necessario querela inofficiosi testamenti pręcedere debet, qua testamētum rescindatur, eoquè rescisso posteà agatur petitione hęreditatis, & hac ratione prius titulus hic noster de inofficioso testamento proponitur, cum quo concordant similes tituli in instit. & C. de inoffic. testam. Antequam autem ad interpretationem singularū legum propositi tituli deueniam, prius summariam tituli, ac materiæ explicationem de more conficiamus velim; Proponam enim primò quid sit inofficiosum testamentum, & quarè tali pacto nuncupetur, Secundò, quænam requirantur ad hoc, vt

te-

testamentum inofficiosum dici possit, Tertio, quomodò actio de inofficioso testamēto appelletur, & quid sit; Quartò, quo iure, & qua ratione sit introducta; Quintò quib. competat, & aduersus quos; Tandem quomodò, & qñ excludatur quis ab hac q̄rela.

Videamus itaq; primo loco quid sit in-
9 officiosum testamentum, † quod quidē varijs modis à Doctoribus nostris descriptū reperio, & in primis Analysis quædam, seu resolutio dialectica quatuor librorum Instit. in tit. de inoffic. testam. q. 2. dicebat inofficiosum testamentum esse, quod contrà officium, & pietatem à parentibus fit, qui excludunt liberos suos in testamento à successione hæreditatis sine iusta causa exhæredationis, inducti vt plurimùm nouercalibus delinimentis & persuasionibus l. 3. & 4. infr. hoc tit. nostr. eodem ferè modo descriptum fuit inofficiosum à Pisone Soacij in d. tit. Instit. de inoff. testam. q. 2. quia tamen inofficiosum testamentum nō solùm fit à parentibus ergà liberos, verum etiam è conuersò à liberis ergà parentes, vt in l. pater cum l. seq. infr. hoc tit. nostro, & hæc descriptio respicit solum testamētum à parentibus contrà officium, & pietatem factum, ideò magis placet, vt cum Donello lib. 9. comment. iur. ciu. c. 4. col. 1. dicamus testamētum inofficiosum illud esse, in quo liberi, aut parentes, aut fratres consanguinei, vel præteriti sunt immeritò, vel immeritò exhæredati, si modò, & testamentum nihilominus iure legitimo consistit, & nec his delata portio ex bonis defuncti relicta sit; Vel dicamus breuius cū Herman. Vult. in sua Iurisprud. Rom. lib. 1 c. 73. vers. fin. in tit. nostr. de inoff. testām. vt testamentum inofficiosum illud sit, quod certis personis immeritò exhæredatis non ex officio pietatis factū videtur. vt apparet ex l. 2. inf. eod.
10 ex quo colligitur † quarè testamentum tali nomine inofficiosum dicatur, quia s. non ex officio pietatis factū est, vt in d. l. 2. infr. eod. cum exclusi sint ab hæreditate ij, quib. maximè pietatis iure relinqui oportebat, vt inquit Donell. d. lib. 9 c. 4. col. 2. in princ.

Sed iam ad secundū deueniamus, quænam scilicèt conditiones requirantur, ad hoc vt testamentum inofficiosum dici pos-
11 sit, † quatuor enim desiderantur, quæ colliguntur ex descriptione à Donell. allata, de qua supra, primò, vt personæ illæ, quib. hæreditas iure pietatis debetur, sint testamēto, aut præteritæ, aut exhæredatæ l. 3. infr. hoc tit. nostr. Secundò, vt immeritò præteritæ, vel exhæredatæ sint l. nam & his §. huius verbi infr. eod. sinè causa scilicèt legitima, vel si legitima sit, non tamen probata extet. Tertiò, vt his præteritis, aut exhæredatis testamentum nihilominus iure consi-
12 stat §. tàm autem Inst. eod. si † enim testamentum aliàs nullum sit, non est cur inofficiosum dicatur, l. nā & si inf. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam. l. decē inf. de verb. obli.
13 in tantùm, vt † actio de inofficioso testamēto vulgò dicatur esse subsidiarium remedium ad hæreditatem auferendam, cui locus est deficientibus alijs omnib. remedijs, de quib. in toto tit. Inst. quib. mod. testam. infirm. & in l. 1. & passim in tot. tit. infr. de iniust. rupt & irrit. fact. testam. quatuor
14 enim † regularitèr sunt remedia, quæ exhæredatis, vel iniustè præteritis dantur; Primum est ius dicēdi testamentum nullum, quod competit tunc, quādò simplicitèr ab intestato hæreditas petitur, quia s. testamē tum sit ipso iure nullum, vel quia iniustum sit, filijs in potestate existentibus præteritis, vel ruptū sit agnatione, vel quasi posthumi, aut alio testamento postea facto, vel irritum sit mutatione status, vel hæreditate ex testamento non adita; Secundū remedium est bonorū possessio contrà tabulas, quæ datur liberis maximè emācipatis præteritis in testāmento patris §. emancipatos Inst. de exhæredat. liber. l. si ponas inf. hoc tit. nostr. Tertium remediū est supplementū legitimæ, de quo mox dicemus; Quartū & vltimū est querela inofficiosi, quę datur contrà testamentū omni iure validū, quia tamen contrà officium pietatis factum est causa legitima expressa non probata, rescinditur, & ad causam intestati per querelam reducitur, & hoc est illud, quod competit cessantib. omnib. alijs sup. propositis; Quartò tandē, & vltimò illud desideratur, vt personę p̄teritę, aut exhęredatę debitam

ſibi portionẽ ex bonis defuncti non habeát
§. fin. Inſtit. hoc tit. noſtro, quod intelliga-
mus, ſiuè totam portionem legitimam ſibi
debitam iure inſtitutionis habeát §. Aliud
& ibi glo. in Auth. vt cũ de appel. cognoſc.
ſiuè minus legitima portione habeát, quia
15 hodiè nec etiã hoc caſu poſſunt dicere in-
officioſum teſtamẽtum, ſed tantũ agere ad
ſupplementũ legitimæ portionis §. ſed hæc
ità. & §. fin. Inſt. hoc tit. noſtr. l. papinianus
§. ſi quis impubes inf. eod. & l. omnimodò
C. eod. concurrentibus igitur iſtis quatuor
requiſitis teſtamẽtũ inofficioſ. dici poterit.
Cujus quidem teſtamenti inofficioſi im
pugnãdi remedium, & ſic ad tertium pro-
16 legomen accedamus, † querela inofficioſi
teſtamenti dicitur l. Papinianus in princ. &
ferè per tot. leg. inf. hoc tit. noſt. vel dicitur
actio de inofficioſo teſtamento, vt placuit
Vult. d. lib. 1. Iuriſprud. Roman. c. 73. in tit.
noſtr. de inoff. teſtam. facit tex. in l. quẽad-
modum, in l. nam etſi §. fin. & l. cum qui in
princ. inf. eod. Vel tãdem accuſatio dicitur
l. poſthumus §. fi. d. l. quemadmodum, & l.
ſi inſtituta in princip. & §. penul. inf. eod. &
ità triplici nomine remediũ hoc impugnã-
di teſtamentum tanquam inofficioſum ap-
pellatur, vt notauit Donell. d. lib. 19. com-
ment. iur. ciuil. c. 3. col. 4. in princ. Querela
nẽpè inofficioſi, inofficioſi actio, & accuſa-
tio inofficioſi, vndè qui agũt dicuntur que-
ri de inofficioſo, de inofficioſo agere, & in-
officioſum accuſare: Querela autẽ ideò ap-
pellatur remedium hoc, quia, qui agit de
inofficioſo, queritur ſibi iniuriam factã eſſe
inofficioſa preteritione, aut exheredatione
ſic enim iniuria dicitur in l. Papinianus in
princ. inf. eod. Accuſatio autẽ ideò dicitur,
quia qui remedium noſtrum intentat hãc
preteritionẽ, ſeu exheredationem tãquàm
indignè, & iniurioſè factam accuſat; Actio
tãdem hac ratione vocatur, quia re vera in
hoc remedio agitur de hæreditate, quæ &
petitur, neq; aliò refertur remediũ noſtrũ,
quàm vt per illud vtilitèr de hæreditate,
tamquàm de re noſtra agatur, licèt autem
17 triplici hoc nomine nuncupetur, † magis
propriè tamẽ querela inofficioſi teſtamẽti
dicitur, cũ actio propriè dici nõ poſſit, quia
non proſequitur ius agentis, nec etiã accu-
ſatio propriè appellari poteſt, quia nõ per-
ſequitur pœnam, vt placuit Vltram. in ſuis
paratitl. ad tit. noſtr. nu. 4. Hæc igitur que-
rela inofficioſi teſtamẽti, ommiſſa Donell.
definitione, quæ patitur difficultates, nihil
aliud eſt ex mente Vltram. loco de quo ſu-
18 prà † quam imploratio officij iudicis, qua
quis accuſat ſcriptum teſtamentum, quia
ſe in illo contra officium pietatis, & ſinè iu-
ſta cauſa exhæredatum dicit, petitq; illud
vt iniuſtum reſcindi l. Papinianus §. ſi quis
irritum, & §. fin. inf. hoc tit. noſtr. Vel dica-
mus vnà cum Ludou. Beb. in Inſt. tit. noſtr.
quæſt. 1. ex mente Bart. in l. poſthumus, §.
ſi quis inf. hoc tit. noſtro, quod querela in-
officioſi teſtamenti eſt remedium quoddã
reſciſſorium teſtamenti, quod is qui ſe in-
iuſtè exhæredatum, vel preteritũ dicit per
officium iudicis implorat. vel tandem cum
alijs Vltram. in ſuis ennarat. in princ. Inſt.
tit. noſt. n. 2. dicamus, quod querela inoffi-
cioſi teſtamenti eſt remedium ſubſidiariũ,
quo petit quis, vt iudex ex officio ſuo teſta-
mentum reſcindat, quaſi contrà pietatis
officium factum.

Nunc ad quartum accedamus, quo iure
ſcilicet ſit introducta hęc querela inofficio-
ſi, quam à iure ciuili non eſſe introductam
non obſcurè ſignificat Vlpian. in l. non pu-
tauit inſr. de bon. poſſeſſ. contr. tab. à iure
autem Pretorio eſſe inſtitutam nihil eſt ar-
gumenti, quinimò contrà hæc iura eſſe cõ-
ſtat, cùm introducta ſit ad reſcindendum
teſtamentum, quod omni iure valet, ciuili
ſcilicet, & Pretorio, vt in d. l. nõ putauit inf.
19 de bon. poſſeſſ. cõtr. tab. † Cuiac. in ſuis ob-
ſeruat. lib. 2. c. 21. & lib. 14. c. 14. fuit eius
opinionis hanc querelam inofficioſi teſta-
menti à lege Glicia introductam fuiſſe, mo-
tus ex inſcriptione l. 4. inf. hoc tit. noſtr. quę
ſecundum Pandectas Florentinas inſcripta
eſt hoc modo; Gaius lib. ſingulari ad le-
gem Gliciam, quam opinionem etiam in-
ſecuti ſunt Vltramont. in ſuis paratitl. ad
tit. noſtrum numero ſecundò, & inſecutus
fuit Dyoniſ. Gothofred. in ſuis not. ad d. l.
4. inf. eod. eam defendens, prout & Cuiac.
d. c. 14. defendit à morſu Vltramontanorũ

in Catalogo legum Roman. in verb. Glicia post comment. de verb. iur. Hęc tamen opinio mihi plenè non satisfacit, cum nihil certi habeamus de hac l. Glicia, vt in d. Catalog. leg. Roman. in verbo Glicia habetur, quinimò Dyonis. Gothofred. in not. vbi suprà inquit; quòd loco illorum verborum ad l. Gliciam, alij legunt ad l. Titiam, alij verò ad l. Liciam, & ideò videmus, quòd nec etiam Cuiac. auctor huius opinionis eam asseueranter affirmat, sed in d. c. 21. lib. 2. obseruat. id asserit per verbum fortassè, & in lib. 14. cap. 14. hanc opinionem per coniecturam tradit; Quarè placet, vt sequamur Vltramõtanos in prin
20 cip. huius tit. nostri in 2. conclus. † volentes ex Iurisconsultorum auctoritate, & moribus introductam esse, quemadmodum etiam ius pupillaris substitutionis l. 2. infr. de vulg. & pup. Hug. Donell. lib. 19. comment. iur. ciuil. c. 4. col. 6. in ptincip. & ipse idem asserit, iure scilicet non scripto, & ità moribus introductam esse hãc querelam, cœperunt enim homines primò sine iure certo queri apud iudices de inofficiosis testamentis sanguine cõiunctorum, qua querela à iudicibus admissa, ceperunt etiã testamenta rescindi, vt declarat Valer. Max. lib. 7. cap. 7. de testam. rescissis; quod cum sæpius factum esset, res paulatim in mores abijt, sic deindè legibus, & constitutionibus confirmata est, vt iam iure certo, & scripto contineatur; Vigl. in Rub. Instit. hoc titulo nostro numero secundo, idem affirmat, quòd moribus sit introducta, vult tamen hoc ità fuisse, quòd istis exhæredatis destitutis, & ciuili, & Prætorio iure populus olim subueniret, ad quem suprema erat prouocatio; Principes verò deindè æquitate moti extraordinariũ hoc populi auxilium constitutionibus suis cõfirmarint, & de inofficiosi querela sæpissimè rescripsetint, vndè res tandem posteà in assiduam, ac propè ordinariam iurisdictionem abierit.

Quã autem ratione sit introducta hæc querela inofficiosi, passim DD. admittunt
21 eam inductam esse, † vt consulatur iniurię à testatore per exhæredationem sanguini suo factæ contrà legem naturæ, & contrà officium pietatis d. l. 4. infr. eod. vt per Vltramont. in suis paratitl. ad titul. nostrum
22 num. 3. † cùm enim naturali ratione parẽtum hæreditas liberis debeatur l. fin. infr.
23 de bon. damnat. & è † conuersò liberorum hæreditas non minus piè parentibus relinqui debeat l. nã & si in princip. inf. hoc tit.
24 nostro, qui † ergò his exclusis hæreditatẽ suam ad alios transferunt, existimautur quasi ratione mentis carere, non verè fu-
25 riosi reputantur, † quia eorum testamentum nullum esset §. furiosi Inst. quib. non est permiss. facer. testam. Sed hoc colore, idest hoc prætextu, quasi dementes sint, eorum testamenta rescinduntur per querelam l. 2. infr. hoc tit. nostr. ità Donell. d. cap. 4. col. 6.

Nũc ad quintum accedamus ad personas scilicet, quibus competat hæc querela, & aduersus quas detur; Datur enim primò
26 omnibus † descendentibus hoc est liberis legitimis, & naturalib. simul, iux. tex. in l. liberorum infr. de verb. signif. vel etiam legitimis tãtum hoc est adoptatis ab ascendẽte, vel arrogatis filijs, & filiabus, nepotib., & neptibus in infinitum §. nõ autem, & §. tàm autẽ Instit. hoc tit. nostro, naturalibus
27 † verò, & spurijs nõ datur nisi in testamento matris l. si suspecta §. de inofficioso inf. eod. tradit glo. in l. 1. in verb. naturales inf.
28 de bonor. possess. contr. tab. Secundò † datur omnibus ascendentibus vtriusq; sexus in infinitum, obseruata eadem distinctio-
29 ne legitimorum, & naturalium, † quia similiter pater naturalis non potest dicere testamentum filij inofficiosum, sed solum mater d. l. si suspecta §. de inofficioso infr.
30 eod. eadem † enim remedia hoc loco sunt, & liberorum, & parentum, secundum Io. de Plat. in §. 1. num. 5. Instit. hoc tit. nostr.
31 Datur tertiò loco † transuersalibus primi gradus, prout fratribus, & sororib. vtrimq; coniunctis, vel cõsanguineis tantùm ex legitimo matrimonio natis, non autem vterinis solum, & hoc tantùm in eo casu, quãdò turpis persona esset instituta, vt in §. 1. Instit. hoc tit. & in l. fratres C. eod. quænã
32 autem † sint turpes personæ exemplificat

Io.Fabr.in d.§.1.n.3.& seq. Inst.eod. Vl-
trà istas personas alijs non cōpetit hęc que
rela, ideò melius facient, si se à sumptibus
inanibus abstinebunt, cum obtinēdi spem
non habeant l. 1. infr. hoc titul. nostro, nec
33 enim † lex voluit in infinitum instituendi
necessitatem protrahere; testandiq; liber-
tatem restringere contrà l. 1. C. de Sacros.
34 Eccles. præcipuè cùm † alijs personis trās-
uersalibus nō perindè debeatur successio,
atq; descendentibus, & ascendētibus l. nā
etsi inf. hoc tit. nost. & l. fi. C. de Codicill.
35 quinimò † nec etiam personis sup. enume-
ratis aliter querela hæc competit, quam si
ab intestato successuri sint l. posthumus, §.
si quis ex his personis infr. eod.
36 Datur autem † hæc querela inofficiosi
contrà hęredes scriptos, vel nuncupatos tā
directos, quàm fideicommissarios cuius-
cumq; conditionis l. Papinianus §. si Impe
rator infr. eod. l. 1. & l. si hæredē C. hoc tit.
37 nostro, & ità † datur post aditam hęredita-
tem tantum d. l. filium §. sed cum exhæreda-
tio inf. de bon. possess. contr. tab. antè enim
aditam hęreditatem non est contra quem
agant, qui vè iudicium defuncti defendat,
vt inquit Vigl. in princ. Inst. hoc tit. nu. 1.

Superest pro coronide præmissorum, vt
videamus quomodò excludatur quis ab
hac querela inofficiosi testamenti, exclu-
38 ditur enim quis tunc † quando sibi aliud
remedium competat, §. tam autem Instit.
eod. cùm hęc dicatur esse subsidiariū reme
dium, cui locus est deficiētib. omnib. alijs
remedijs, vt suprà dictum fuit, pariter ex-
39 cluditur ab hac querela ille † cui aliquid
in ipso testamento relictū sit iure institu-
tionis, siuè ascēdat ad legitimā §. aliud, &
ibi glo. in Auth. vt cum de appel. cognosc.
siuè minus sit legitima, quia tūc ad supple
mentum agere potest l. omnimodò C. hoc
tit. vt sup. dictū fuit. Excludit vlterius qs,
40 quando huic remedio renūciauit l. si quis
filiū C. hoc tit. nostro. Præterea cessat re-
41 mediū querelæ nostræ, † quādo per quin-
quennium quis post aditam hæreditatem
tacuerit, tunc. n. ampliùs querelam inoffi-
ciosi instituere non potest d. l. si quis filiū,
42 & l. scimus C. eod. † Ingratus etiam ergà
testatorem remanet exclusus à querela in-
43 officiosi, † cuius ingratitudinis decem, &
quatuor causę in liberis ergà parentes assi-
gnantur, & septem in parētibus ergà libe-
ros, de quibus in §. causas, & in §. hoc qui-
dem in Auth. vt cum de appell. cognosc.
quis tandē ab hoc remedio exclusus rema-
net per tacitā testamenti approbationem,
44 prout † si agnouerit legatū sibi ipsi factū,
& ità agnouerit respectu sui ipsius, non re-
spectu alterius l. nihil interest infr. hoc tit.
nostro §. si tutor Inst. eod. & ità ex istis ha-
bemus quando cesset, nec locum habeat
querela inofficiosi.

Ad l. 1. Vlpian. lib. 14. ad edictum.

Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas, omnib. enim tàm parentibus, quàm liberis de inofficioso licet disputare. Cognati enim proprij, qui sunt vltra fratrē, melius facerēt, si se sumptibus inanibus non vexarent, cū obtinere spem nō haberent.

SVMMARIVM.

1 *Materia inofficiosi testamenti frequens est, ideò attendenda.*
2 *Leges facilè adaptantur ad ea, quæ frequenter contingunt.*
3 *Frequentia, et quotidiana nō sunt spernēda.*
4 *Materia quotidiana melius, & subtilius est examinanda.*
5 *Lex non potest redargui de mendacio.*
6 *Querela inofficiosi datur parentibus aduersus testamenta liberorum, & quandò, vt. numeris sequentibus.*
7 *Parentum hereditas liberis iure naturę debetur, & num. 12.*
8 *Liberorum hæreditas parentibus ex pietate debetur.*
9 *Septem sunt causæ, ex quibus parentes à liberis exhæredari possunt.*
10 *Pater naturalis tantum non potest agere querela inofficiosi.*
11 *Testamentum filij ipso iure nullum est, cum sine causa exhæredat patrem.*

Que-

12 *Querela inofficiosi datur liberis aduersus testamenta parentum.*

13 *Parentes non sana mentis indicantur, dum liberos excludunt à successione sine iusta causa.*

14 *Causæ ex quibus liberi à parentibus exhæredari possunt sunt decem, & quatuor.*

15 *Testamentum parentis exhæredantis liberos, ad hoc vt valeat, debet habere adscriptam causam, & ea debet ab hærede probari.*

16 *Liberi naturales tantum non possunt dicere inofficiosum testamentum patris, sed solum matris.*

17 *In querela inofficiosi eadem sunt iura parentum, ac liberorum.*

18 *Querela inofficiosi competit ijs tantum, qui alias ab intestato sunt successuri.*

19 *Querela inofficiosi datur fratribus aduersus testamenta fratrum, & quandò cum num. seq.*

20 *Causæ tres sunt, ex quibus frater à fratre exhæredari potest etiam turpi persona instituta.*

21 *Querela inofficiosi non datur cognatis, & agnatis vltrà primum gradũ, & quarè.*

22 *Lex quandoquè dat consilia.*

23 *Consilium optimum pro litigare volentibus.*

24 *Frequentia titulum commendat.*

25 *Parentum appellatione qui nam veniant.*

26 *Liberorum appellatione qui nam contineantur.*

27 *Cognati qui nam sint.*

NVnc ad legẽ primam deueniamus, quę habet concordantia iura in l. nam etsi parentibus in principio infr. hoc tit. nostro, in l. cum filium tuum, & in l. fratris, vel sororis C. eod. & tandem in principio, & in §. non autem Inst. eod.
1 Materia † querelæ inofficiosi testamen-
ti frequens est, cum sæpè eueniat, quod pa
rentes sinè causa liberos suos exhæredant,
vel prætereunt, vt in principio Iustit. hoc
tit. nostro, vndè sequitur eam valdè, ac di-
2 ligenter attendendam esse, † adea enim,
quæ frequẽter accidunt iura de facili ada-
3 ptantur l. nam ad ea supr. de legib. cũ † fre-
quentia, & quotidiana non sint spernenda
facit tex. in l. legaui infr. de liberat. legar.
in l iusto infr. de vsucap. cum alijs, de qui-
4 bus per Cagn. hic nu. 1. materia † namquè
quotidiana melius, & subtilius est exami-
nanda Bart. in l. 1. infr. de suspect. tut. &
licet gloss. hic dicat hoc esse mendacium,
quod hæc materia frequens sit, cum rarò,
vel numquam intentetur querela, quod
etiam videtur sequi Castr. hic, dum dicit
se numquam vidisse proponi querelã in-
officiosi cõtrà aliquod testamentum; com-
5 muniter tamen damnatur hæc glos. † quia
nulla lex potest redargui de mendacio, ut
inquit Iacob. de S. Georg. hic sub num. 2.
cum quo dicamus nos querelã inofficiosi
testamenti frequentem esse aptitudine,
apta est enim frequentèr varijs personis
competere, descendentibus scilicèt, ascen-
dentibus, & transuersalibus primi gradus.
6 Parentibus † omnibus datur querela inof-
ficiosi testamenti aduersus testamenta in-
officiosa liberorum, sicut enim de iure na-
7 turæ † parentum hæreditas liberis debetur
l. fin. infr. de bon. damnat. ità quoquè è cõ-
8 uersò non minus piè † liberorum hæredi-
tas ipsis parentibus est debita l. nam etsi
infr. hoc tit. nostro. Hoc autem quod que-
rela parentibus detur, ità demum verum
est, nisi à liberis iusta aliqua, & legitima
causa parentes sint exhęredati, vna scilicèt
ex ijs, quas cõsiderat Iustin. Imper. noster
in §. Iustum in Auth. vt cum de appellat.
9 cognosc. † vbi septem causas enumerat, in
quibus tantum liceat liberis parentes ex-
hæredare, cum his tamen conditionibus,
quod causa, vel causæ propter quas fit ex-
hæredatio, sint de illis septem ibi enume-
ratis, sint vlterius testamento adscriptę, &
quod ab hærede probentur, vt in dicto §.
iustum. Hæc conclusio paritèr declaratur,
vt vera sit, & procedat in parentibus legi-
timis, & naturalibus, uel etiam legitimis
tantùm secus verò in parentibus solum na
10 turalibus, † Pater enim naturalis tantũ, &
ex eo ascendentes nõ possunt dicere inof-
ficiosum testamentum filij, vel liberorum,
sed solum mater, & ascẽdentes per ipsam,
id faciunt l. si suspecta §. de inoffic. inf. hoc

tit.nostro. Declaratur ulterius conclusio
nostra, ut procedit, quando parentes isti
sint exhæredati cũ causa, quę nõ sit expres-
sa, uel probata, secus uerò si sine cã exhære-
dati essent, vel præteriti quoad patrẽ, & ex
eo ascẽdentes, quia tũc nõ habẽt parentes
11 querelã, sed † ipso iure testamẽtũ est nullũ
argumento gloss. fi. in §. fin. Instit. de nupt.
Tandem conclusio, de qua supra ità de-
clarari debet, vt vera sit & procedat quan-
dò liberi sint emancipati, & sic possint te-
stari, alias enim testamenta ipsorum nul-
la essent per ea, quæ habentur in principio
Instit. quib. non est permiss. facer. testam.
in tantum, vt hoc casu non esset opus que-
rela inofficiosi.

12 Liberis † omnibus datur querela inof-
ficiosi testamenti aduersus testamenta pa-
rentum, cum enim, & lex naturæ, & offi-
cium pietatis exigat, vt bona parentum
ad liberos descendant, l. 2. infr. hoc tit. & l.
13 fin. infr. de bon. damnat. Ideò † si parentes
eos excludant in testamento, quasi non sa-
næ mentis iudicantur l. 2. infr. eod. & ità
eorũ testamenta per querelam rescindun-
tur; Hæc tamen conclusio vera sit, nisi à
parentibus fuerint exhæredati cum causa
iusta, & legitima, una scilicet, uel pluribus
14 ex ijs, † quæ decem & quatuor recensen-
tur à Iustiniano Imper. in §. aliud quoquè
capitulum in Auth. ut cum de appellat. co-
gnosc. hoc enim casu testamẽtum teneret,
nec posset rescindi per querelam inofficio-
si, §. siuè igitur dicto Auth. ut cũ de appell.
15 cognosc. † Si modò causa, uel causæ testa-
mento sint scriptæ, & ab hærede sint pro-
batæ d. §. aliud quoquè, & Auth. non licet
C. de liber. præter. Conclusio de qua supra
etiam declarari debet, ut uera sit in liberis
legitimis, & naturalib. insimul, uel etiam
legitimis tantum; quia isti utriusquè pa-
rentis testamentum inofficiosum dicere
16 possunt, † secus uerò in naturalibus tan-
tum, isti enim de inofficioso agere possunt
solum aduersus testamẽtum matris, ut su-
prà dictum est de matre d. l. si suspecta §.
17 de inofficioso infr. hoc tit. nostr. † eadem
enim iura in hac querela sunt parentum,
& liberorum, ut inquit Io. de Plat. in §. 1.
num. 5. Instit. hoc tit. nostro. Hæ autem
duæ conclusiones de parentibus, & liberis,
18 quod eis competat querela inofficiosi, † tũ
demum ueræ sunt, & procedunt, quandò
parentes, & liberi aliàs essent successuri ab
intestato, ut in l. posthumus §. si quis ex his
personis infr. eod. tradunt Castr. Curt. iun.
& Iacob. de S. Georg. hic.

19 Fratres † habent ius dicendi inofficio-
sum testamẽtum fratris, & l. fratres C. hoc
tit. nostro. Hoc autem uerum sit concur-
rentibus duobus, primò, ut illi qui propo-
nunt querelam sint fratres utrimquè con-
iuncti, uel saltèm consanguinei non uteri-
ni d. l. fratres C. eod. notatur in l. spurius,
& in l. à patre infr. und. cognat. Secundò
quod testamentum improbum sit, hoc est
turpis persona sit instituta, aliàs enim ho-
nesta persona instituta, frater non potest
querelare testamentum tamquam inoffi-
ciosum, ut in d. l. fratres, quinimò etiam in
20 certis casibus † frater potest fratre exclu-
so etiam turpem personam instituere, qui
casus tres enumerantur in §. Ingratitudi-
nem in Auth. de nupt. Hæc tamen quæ di-
cuntur de turpi persona, uera sunt, nisi fra-
ter, qui uellet intentare querelam, & ipse
eadem turpitudine ultę laboraret, qua hę-
res institutus l. in arenam in fin. C. hoc tit.
nostr. gloss. est singularis in l. nullam C. ex
quib. caus. infam. irroget.

21 Cognatis, † & agnatis ultrà primũ gra-
dum non competit ius impugnandi testa-
mentum tamquam inofficiosum l. fratris,
C. eod. nec enim agere, aut agentes uince-
re ullo modo possunt, ut inquit text. in §.
fi. Instit. hoc tit. nostro. Caghol. hic num. 7.
huius rei rationem quærẽs, inquit, hæc po-
sitiui iuris esse, in quibus sufficit pro ratio-
ne uoluntas l. 1. § pueritiam, & ibi glos. in
uerb. ratus supr. de postul. Ego tamèn pu-
to eam esse rationem, quam superius assi-
gnaui in quinto præmisso facto ad clario-
rem intellectum huius materiæ, quia scili-
cèt lex noluit coangustare, & restringere
facultatem testandi, & in infinitum insti-
tuendi necessitatem propagare, & ideò ul-
trà fratres reliqui transuersales non habẽt
ius impugnandi testamentum tamquam
in-

Inofficiosum, imò inquit text. quod melius facient, si sumptibus inanibus non se consumpserint, cum spem non habeât obtinêdi, idest cum uincere non possint, ut inquit
22 text. in dicto §. 1. Instit. eod. & sic † lex dat optimum consilium, prout & in l. minoribus supr. de minor. in l. is q. destinauit infr. de rei uendicat. in l. age C. de transact. in l. 1. C. de ordin. iudiciorum & in l. non idcirco C. de rescind. uendit. Vndè Iacob. de S. Georg. hic sub num. 2. colligit optimum
23 consilium pro litigare uolentibus, † ut antequam litem ingrediantur, uideant diligenter, & considerent, si possint obtinere, uel non, quod si non possint fatui sunt in litigando.

24 Sciendum est frequentes] † frequentia titulum commendat.

25 Parentibus] † parentum appellatione omnes ascendentes vtriusquè sexus in infinitum continentur ex sententia C. Cassij l. 4. §. parentum supr. de in ius vocand. Paulus verò voluit parentũ appellatione apud Romanos proprio vocabulo venire ascendentes vsquè ad tritauum, vlteriores verò speciale nomen non habentes maiores appellari l. iurisconsultus §. parentes infr. de gradib. prior tamen sententia præualuit, vt inquit Vlp. in d. l. 4. §. parentum supr. de in ius vocand.

26 Quam liberis] † liberorum appellatio omnes descendentes vtriusquè sexus in infinitũ cõplectitur l. cognoscere §. liberorũ & l. liberorũ inf. de verb. signif. reiecta illa Paul. sententia, q descẽdentes tantum vsq; ad trinepotes contineantur, reliqui verò posteriores vocentur, vt in d. l. iurisconsultus §. parentes infr. de gradibus.

Disputare] & sic causam proponere, si sint immerentes exhæredari, vel præteriti.

Cognati enim proprij] alias inquit tex. *cognati enim proximi*, sumiquè debet hoc nomen cognati in genere, quatenus
27 etiam agnatos comprehendit, † cognati enim dicuntur, quasi cùm aliquo nati, vt in l. 1. infr. vndè cognat.

Spem non habeant] alijs non valeant, vt per Cruceum hic.

Ad l. 11. Marcianus lib. 4. Institutionũ.

Hoc colore inofficioso testamento agitur, quasi non sanę mentis fuerunt, vt testamentum ordinarent. & hoc dicitur, non quasi verè furiosus, vel demẽs testatus sit, sed rectè quidem fecit testamentum, sed non ex officio pietatis. nam si verè furiosus esset, vel demens, nullum est testamentum.

SVMMARIVM.

1 *Inofficiosum testamentum rescinditur quasi factum à non sana mentis.*
2 *Testandi facultas ex l. 12. tabul. amplissima est.*
3 *Pater dum filium exhaeredat, iniquè, & contra pietatis officium facit.*
4 *Furor est non agnoscere proprium sanguinẽ.*
5 *Furiosi, & dementis nullum est testamentum.*
6 *Lex numquam aliquid introducit sine ratione, aut colore aliquo.*
7 *Querela inofficiosi testamenti verbis honestis, non turpibus proponi debet.*
8 *Color quid sit.*
9 *Colores etiam in foro recipiuntur.*
10 *Dictio, quasi, est nota impropriettatis.*
11 *Differentia quanam sit inter dementem, & furiosum.*

De personis est tractatum, quæ possunt intẽtare querelam inofficiosi, nunc de modo, quo debeant hanc querelam intentare agitur in lege nostra; Cui concordat text. in l. nam & his §. fin. infr. hoc tit. nostr. in l. nec fideicommissa inf. de leg. 3. & in princip. Inst. hoc eod. tit.

Inofficiosi testamenti rescissio postula-
1 tur, quasi † non sanæ mentis testator fuerit, cum iniquè testamentum ordinaret; Rectè enim testator fecit testamẽtum, vt in text.
2 nostro, vndè impugnari nõ poterat, † cum

lex

lex 12. tabularum amplissimam testatoribus facultatem tribuerit, volens, vt ità testator legauerit, ità ius sit l. verbis legis inf.
3 de verb. signif. quia† tamen iniquè, & contrà pietatis officium fecit, dum filium exhæredauit, cui ex lege naturæ paterna hæreditas debebatur l. fin. infr. de bon. damnat. ideò cum naturam, humanitatemque violauerit, suisque liberis, & sibi quodammodò iniuriam fecerit, non satis integræ
4 mentis fuisse videtur, † furor est enim non agnoscere proprium sanguinem, & succedere naturæ, & sanguini suo, hac ergò ratione rescinditur eius testamẽtum hoc colore, non quod verè furiosus, vel demens
5 testatus sit, † quia eo casu nullum omninò esset testamentum l. filiusfamilias §. fin. & l. in aduersa infr. qui testam. facer. poss. §. prætereà Instit. quib. non est perm. fac. testam. Sed cum iure valeret, ac rectè factũ esset, existimatur quasi ab eo factum, qui
6 non satis sanus mente esset, † lex namque nihil sine ratione, aut colore aliquo introducit, vt inquit Cuiac. hic; maximo ergo colore in hoc casu opus erat, cum testamẽtum omni iure validum esset, ideò vsa est hoc prætextu, quod testator non absolutè sanæ mentis fuerit; Quarè Odofred. dicebat, ex hoc tex. colligi, † quod querela in-
7 officiosi testamenti honestis verbis proponi debet; quod scilicèt parentes quasi furiosè testando officium pietatis omiserint, non verò turpibus verbis est proponenda, parentes scilicèt furiosos fuisse in testando, quia si fuissent furiosi testamentũ nullum esset, vt supra est dictum, & sic querela cessaret.

Hoc colore] idest hac honestate verborũ, vt dicebat Azo, vel hoc colore, idest hac colorata locutione, vt per Odofr. vel tandem dicamus hoc colore, idest hoc prætextu, vt per Crucem hic, & per Donell.
8 lib. 19. comment. iur. ciuil. c. 4. col. 6. † color enim nihil aliud est, quam falsa ex po-
9 sitio, teste Quintiliano, huiusmodíq; † colores etiam in foro recipiuntur l. item si filius familias infr. ad Maced. S.C.
10 Quasi] † hæc dictio est nota improprietatis l. si antè nuptias infr. sol. matr.

Furiosus, vel demens] probat hic tex.
11 differentiam † esse inter furiosum, & dementem, vt per Iacob. de S. Georg. hic, furiosus est, qui mentis ad omnia lumine idest sensu omni caret, demens verò est, qui nõ vsquequaquè, sed ex parte tantum mentis errore ducitur, prout est is, de quo D. Pius loquitur in l. his qui infr. de tut. & curat. dat. ab his; Quasi furiosus est, qui nõ est à mente alienatus, sed ad instar furiosi ommittit facere quod deberet, item facit quod non debet, vt per Odofred. hic.

Rectè] idest solemnitèr, vt per Gothofred. hic in suis annotat.

Non ex officio pietatis] ille dicitur facere non ex officio pietatis, qui liberos iniustè exhæredat, & ità qui eam pietatem non exercet, quam sibi ipsis parentes, & filij inuicem debent l. 1. infr. de obseq.

Ad l. iij. iv. & v.

Marcellus lib. 3. Digestorum.

Inofficiosum testamentum dicere, hoc est allegare, quarè exhæredari vel præteriri nõ debuerit, quod plerumquè accidit, cum falsò parentes instimulati liberos suos, vel exhæredant, vel prætereunt.

Gaius libro singulari ad legem Glitiam.

Non est enim consentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt: quod plerumquè faciunt; malignè circa sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delenementis, instigationibusvè corrupti.

Marcellus lib. 5. Digestorum.

Nam & his, qui non ex masculis descẽdunt, facultas est agendi: cum & de-

ma-

matris testamento agant, & obtinere assiduè soleant.

§. Huius autem verbi, de inofficioso, vis illa (vt dixi) est, docere immerentem se, & ideò, & indignè præteritum, vel etiam exhæredatione summotum. Resque illo colore defenditur apud iudicem, vt videatur ille quasi non sanę mentis fuisse, cum testamentum iniquè ordinaret.

SVMMARIVM.

1 *Inofficiosum testamentum dicere quid sit.*
2 *Agens querela inofficiosi quid in libello concludere debeat.*
3 *Agens querela inofficiosi olim tenebatur probare se immeritò exhæredatum, hodiè verò secus est.*
4 *Hæres institutus hodiè tenetur probare causam exhæredationis in testamento positam iustam, & legitimam esse.*
5 *Exhæredatus hodiè admittitur ab intestato, rescisso prius testamẽto per querelam, si hæres non probauerit causam exhæredationis.*
6 *In rescissione testamenti inofficiosi tria hodiè de iure Codicis, & tria de iure Auth. sunt immutata.*
7 *Exhæredati olim agebant querela inofficiosi, nisi legitimam portionem habuissẽt ex testamento, hodiè autem secùs est, quia si minus legitima habeant, agunt tantùm ad supplementum.*
8 *Querela olim nisi præparata esset non trãsmittebatur ad hæredes, hodiè verò etiam non præparata transmittitur ad suos.*
9 *Legitima portio olim quarta erat, hodiè verò est triens, vel semis secundum numerum filiorum.*
10 *Legitima olim satis erat, quod ad filios quoquomodo peruenisset, hodiè iure institutionis peruenire debet, aliàs agunt querela inofficiosi.*
11 *Exhæredationis causa olim non erat de necessitate exprimenda in testamento, hodiè autem sic.*
12 *Rescisso testamento per querelam olim omnia in eo disposita corruebant, hodiè verò rescissa sola institutione cætera firma manent.*
13 *Filius meritus de patre, & gratus præsumitur, nisi probetur contrarium.*
14 *Liberi à parentibus falsò insimulatis præteriti, aut exhæredati inofficiosum testamentum dicunt.*
15 *Exhæredatorum duo sunt genera.*
16 *Exhæredati nominatim propriè etiam dicũtur præteriti in materia querelæ inofficiosi testamenti.*
17 *Mater tacitè filios exhæredare potest, pater verò non.*
18 *Parentes à liberis, & fratres à fratrib. tacitè exhæredari possunt.*
19 *Præteritio facta à liberis, & à fratribus dicitur exhæredatio.*
20 *Liberi à patre exhæredati, & à matre præteriti inofficiosum testamentum dicere possunt.*
21 *Parentes à liberis præteriti agunt querela inofficiosi.*
22 *Fratres à fratribus præteriti certis casibus habent querelam inofficiosi.*
23 *Liberis in potestate præteritis à patre, non datur querela inofficiosi, sed testamẽtum est ipso iure nullum de iure ciuili, de iure verò Prętorio rescinditur per bonorum possessionem contrà tabulas.*
24 *Bonorum possessio contrà tabulas datur tãtum præteritis, non exhæredatis.*
25 *Liberi à parentibus militibus iniquè exhæredati, aut præteriti non agunt querela inofficiosi.*
26 *Filius spontè se in arenam confitiens non agit querela inofficiosi.*
27 *Liberis, qui aliàs ab intestato hæredes esse non possunt, denegatur querela inofficiosi, etiam si iniquè exhæredati, vel præteriti sint.*
28 *Liberis iusta causa exhæredatis, non datur querela inofficiosi, sed testamẽtum valet.*
29 *Liberis non datur querela inofficiosi, quandò aliquid sibi etiam minus legitima sit relictum.*
30 *Liberis non competit querela inofficiosi, donec aliud remedium habere possunt.*

Que-

31 *Querela inofficiosi subsidiarium remedium dicitur.*

32 *Liberis agnoscentibus iudicium testatoris, & petentibus, id quod sibi relictum est non competit querela inofficiosi.*

33 *Consensus non debet adhiberi parentibus liberos exhæredantibus, & qua ratione, num. 36.*

34 *Consensus non est præstandus inferenti iniuriam alicui.*

35 *Iuris præcepta præcipua sunt, vt alterum non lædamus, nec ius suum cuique auferamus.*

37 *Amor nullus paternum superat.*

38 *Pater plus dicitur filiū, quā se ipsū diligere.*

39 *Filius idem sanguis cum patre censetur.*

40 *Nouerca vt plurimum priuignis sunt obnoxiæ.*

41 *Inter nouercam, & priuignum inimicitia præsumitur in tantùm, vt priuignus non debeat ali penes nouercam.*

42 *Plato inter suas leges prohibet ratum esse testamentum cuiusquàm senio, aut morbo affecti.*

43 *Solon improbauit testamētum illius, quem induxerunt morbi grauitas, vel medicinæ vis, vel vinculorum cruciatus, aut vxoris blanditiæ.*

44 *Inofficiosum dicitur testamentum, idest non pium.*

45 *Officium est verbum æquiuocum, quod diuersimodè diuersis inspectis considerari potest.*

46 *Consensus non est adhibendus dominis iniuriam seruis suis inferentibus.*

Visso modo quo debeat querela inofficiosi intentari, nunc proponitur quid sit inofficiosum testamentum dicere, qua ratione querela inofficiosi introducta fuerit, & quod ea competit tam descendētibus per lineam masculinam, quā per fœminam; Concordat cum his legibus tex. in princip. Instit. hoc titul. nostro, in l. si maritus, & in l. liberi C. eod. in §. prohibemus in fin. in Auth. de trient. & semiss.

1 Inofficiosum testamentum dicere † nihil aliud est, quam allegare, quarè quis exhæredari, vel præteriri nō debuerit, hoc est docere se immerētem, & ideò indignè præteritum, vel exhæredatum, vt hic in l. inofficiosum, & in l. nam & his § huius autem verbi, & sic in his locis Marcellus I. C. proponit nobis medium concludendi in hac

2 querela inofficiosi testamenti, † vt scilicèt ex ea agens concludat, & probet se immerentem, & indignè præteritum, vel exhæredatum fuisse, quod quidem verum est, & procedit attentis iuribus antiquis, secun-

3 dùm quæ † agentes debebant probare debita obsequia præcessisse, & ideò se immeritò exhæredatos, hoc est se semper gratos fuisse ergà parentes, vel liberos, nulloquè suo vitio id factum esse, sed disciplinam illæsam se domi seruasse semper, vt inquit Cuiac. hic col. 2. at hodiè de iure nouo res

4 aliter se habet, nam † hæres institutus tenetur probare causam exhæredationis in testamento positam veram fuisse, & legitimam l. liberi, & l. omnimodo C. hoc tit.

5 nostro, quod si causam nō probauerit † exhæredatus admittitur ab intestato, rescisso prius testamento per querelam, vt in §. Aliud quoquè capitulum in Auth. vt cum de appellat. cognosc. & Auth. non licet C.

6 de liber. præter. Circa † hanc materiam rescissionis testamenti tamquam inofficiosi tria hodiè sunt immutata per iura C. & tria per iura Authēt. vt per Bart. post glos. hic in l. nam & his in verb. preteritum. Primò nāmq; olim agentes hoc remedio probabant se fuisse immeritò exhæredatos, vel præteritos, vt hic, hodiè uerò hæres institutus id probare debet dicta l. liberi, & l. omnimodò C. hoc tit. nostro. Secundò

7 olim † exhæredati, vel præteriti agebant querela inofficiosi, nisi legitimam portionem habuissent ex testamento l. Papinianus §. quoniam autem infr. hoc tit. nostro, at hodiè secùs est, quia etiam si habeant minùs legitima, agere tantùm possunt ad supplementum dicta l. omnimodò C. eod.

8 Tertiò olim † qui intentabat querelam, nisi eam præparasset, non poterat eam transmittere ad hæredes l. posthumus §. fin. & l. seq. infr. eod. hodiè autem eam etiam nō præparatam ad suum hæredem trāsmittit l. scimus in fin. C. hoc tit. Alia tria etiam

de

de iure Authēticorum innouata sunt; Pri-
9 mò quia olim † legitima portio erat quar-
ta, quæ filijs debebatur l. cum quæritur, C.
hoc tit. nostro, hodiè autem est triens, vel
semis iuxtà numerum liberorum §. 1. in
Auth. de trient. & semiss. Secundò olim
10 † satis erat legitimam portionem ad filios
peruenire quoquo relicti titulo §. igitur
quartam Instit. hoc tit. nostro; at hodiè iu-
re Institutionis eam habere debēt §. Aliud
quoquè capitulum in Auth. vt cum de ap-
11 pellat. cognosc. tandèm olim † non erat
necesse causam exhæredationis in testa-
mēto nominatim inseri; hodiè verò debet
esse in testamento inserta d. §. Aliud quo-
què capitulum, tandem in alio est immu-
12 tatum ius vetus, quia † olim rescisso testa-
mento per querelam inofficiosi, omnia in
eo disposita corruebāt l. Papinianus in fin.
inf. hoc tit. nostro, at hodiè rescissa sola in-
stitutione, cætera firma manent Auth. ex
causa C. de liber. præter. Non est ergò ho-
diè ampliùs necessè, quod exhæredatus
probet se immeritò exhęredatum hoc co-
lore, quod testator non sanę mentis fuerit,
vt in l. antecedenti est dictum, sed onus
probandi meritò exhæredatum esse, spe-
13 ctat ad hæredem scriptum, † filius enim
meritus, & gratus præsumitur nisi probe-
tur contrarium per hæredem scriptum di-
cta l. omnimodò C. hoc tit. & d. authen. ex
causa C. de liber. præter.

14 Liberi † à parentibus falsò instimulatis
præteriti, aut exhęredati, inofficiosum
testamentum dicunt. Pro huius conclusio-
15 nis intellectu, vnà cum Cuiac. hic col. 3.
sciendum est. † Exhæredatorum duo esse
genera, alij enim exhæredantur nomina-
16 tim, & hi † propriè præteriti etiàm dicun-
tur in hac materia nostra, vt per Cuiac.
hic, silētium enim patris non habetur pro
exhæredatione, aliàs præteritio nunquàm
infirmaret testamentum; Alij verò exhæ-
redantur silentio, prout filij à matre, vel
ab ascendentibus ex ipsa matre, quos sci-
licèt mater, vel ex ea ascendentes, nec in-
stituerunt, nec nominatim exhæredarunt.
His ità suppositis modò cum Cuiac. ubi su-
17 prà firmandum est, † quod mater tacitè
18 exhæredare potest, pater verò non. † Pa-
rentes etiam tacitè à liberis exhæredātur,
19 fratres quoquè à fratrib. & † horum præ-
teritio exhæredatio est, Vndè Vlp. I. C. in
l. si patronus (eius nominis prima) infr. de
bon. liber. vtitur isto termino, silētio exhę-
20 redauerit. † liberi ergò non solum si à pa-
tre, & ascendentibus paternis exhæredati
sunt inofficiosum testamentum dicere pos-
sunt, verùmetiamsi à matre, & ex ea ascen-
dentibus silentio exhæredati sint, haben-
tur pro exhæredatis, & querelam intenta-
re possunt, vt habetur hic in princ. l. nam
& his, quæ est lex quinta, quod quidē prin-
cipium non debet referri ad l. proximè an-
tecedentem, sed ad finem l. 3. nempè l. in-
officiosum, quæ est eiusdem auctoris Mar-
celli scilicèt libro 3. digestorum, vbi dicit
exhæredatis dari querelam, quod intelli-
gi debet de exhæredatis à patre, vel auo
paterno, subdit etiam hanc querelam da-
ri præteritis, hocquè posteà in dicta l. nam
& his ostendit intelligi de præteritis à ma-
tre, uel auo materno, cum illorum præte-
ritio pro exhæredatione habeatur. Exten-
21 damus hanc conclusionem etiam in † pa-
rētibus præteritis à liberis, quibus eadem
ratione datur querela l. pater filium infra
hoc tit. nostro l. cum filium C. eod. quod
22 etiam euenit, † & in fratribus silentio à
fratribus suis præteritis, quibus certis casi-
bus competit hæc querela, quādo scilicèt
turpes personæ sint institutæ, ut suprà in l.
1. dictum fuit, & patet in l. fratres C. hoc
23 tit. nostro, † liberis autem silentio à paren-
tibus per lineam masculinam exhæreda-
tis non competit querela si sunt in pote-
state, sed testamentum de iure ciuili ipso
iure nullum est l. inter cætera inst. de lib.
& posthum. de iure autem Prætorio valet,
dummodò sit obsignatum septem testium
signis, sed rescinditur per bonorum posses-
24 sionem contra tabulas, † quæ præteritis
tantùm datur non exhæredatis, & datur
etiam tunc, quandò filius emācipatus præ-
teritus sit §. emancipatos Instit. de exhæ-
red. liber. Si uerò liberi exhæredati sunt à
parentibus, tunc testamentum valet iure
ciuili, & etiàm iure Prætorio, rescindi ta-
mēa

men debet per querelam inofficiosi testamenti, & hæc est conclusio nostra, quod liberi à parentib. falsò instimulatis præteriti, aut exhæredati inofficiosum dicũt testamentum; quæ tamen venit limitanda multis modis; Primò, vt non procedat tunc,
25 quandò liberi à parentibus militibus iniq; exhæredati, aut prçteriti sint l. de inofficioso, & l. testamentum militis C. hoc tit. no-
26 stro. Secundò non habet locũ tunc, † quandò filius spontè in arenam se constituerit, & ità arenarius factus sit; hoc namquè casu ei exhæredato, vel præterito denegatur querela inofficiosi testamenti l. in arenam C. hoc tit. nostr. §. aliud quoquè capitulum vers. si præter voluntatem in Auth. vt cum de appell. cognosc. Nec etiã tertiò locum sibi vendicat conclusio, de qua suprà in eo
27 casu, † quandò liberi isti iniquè exhçredati, vel præteriti aliàs ab intestatò hæredes esse non possunt l. posthumus §. si quis inf. eod. Quartò non procedit conclusio in eo
28 casu, † quandò liberi isti propter iustam causam testamento insertam, & probatam exhæredati essent, quia tunc testamentum valet, & cessat querela dicto §. Aliud quoquè capitulum in Auth. vt cum de appell.
29 cognosc. Non procedit quinto loco † quandò istis liberis exhæredatis, vel prçteritis legitima, vel aliud quid minus legitima testamento relictum sit, quia si legitima est relicta, nihil amplius dicere possunt dicto §. aliud quoquè capitulum, & ibi gloss. si verò minus legitima relictum sit, tunc ad supplementum tantum ipsius agere possunt, nec locus est querelæ inofficiosi l. omnimodò C. hoc tit. nostro; Sextò non est
30 verum, † quod liberis exhæredatis competat querela tunc, quandò aliud remedium
31 sibi competat, cum † querela hæc subsidiarium remedium dicatur §. tàm autẽ Instit. hoc tit. nostro l. 4. C. de liberis præter. diximus nos superius in Rub. huius tit. nu. 38. Nec etiam tandem procedit conclusio de
32 qua supra in eo casu, † quando liberi præteriti, vel exhæredati iudicium defuncti agnouerint, & id quod sibi in testamento relictum est petierint l. si pars §. fi. & l. si is qui §. fin. infr. hoc tit. nostro l. post legatum infr. de his, quæ vt indign.
33 Consensus † non est adhibendus parentibus, dum in testamento excludunt filios suos à successione, & sic liberis suis, sibiquè met ipsis quodammodo iniuriam faciunt, naturam, ac humanitatem violantes, non
34 enim † consentiendum est inferenti iniuriam alicui, vt in princip. Instit. hoc tit. nostro, & l. si quis in graui §. si quis inf. ad Syl
35 laian. S. C. cum inter iuris præcepta, † hæc sint præcipua, vt alter non lædatur, nec ius suum cuiquè auferatur §. iuris præcepta Instit. de iust. & iur. & l. iustitia suprà eod. ideò autem consensus his testamentis ad-
36 hiberi non debet, † quia quotiès parentes malignè contrà filios agunt, id semper factum cẽsetur aliorum instigationibus, cùm
37 nullus † amor paternum superet, imò plus
38 pater † filium, quàm semetipsum diligere dicitur l. isti quidẽ in fin. suprà quod met.
39 caus. & meritò, quia † filius censetur idem sanguis cum patre, vt colligitur ex tex. nostro ibi (sanguinem suum.) Nouercarum autem instigationes præcipuè à lege tales
40 considerantur, quæ † vt plurimum priuignis sint obnoxie; vndè Iacob. de S. Georg.
41 hic dicebat, benè probari ex text. † nostro, quod prẽsumitur inimicitia inter priuignũ, & nouercam, in tãtum, quòd priuignus nõ debeat alimentari penes nouercam, hoc tamen arbitrarium esse inquit Bald. inspecta qualitate personarum, cum ergò vt plurimum nouercalibus delinimentis, instigationibusquè corrupti parentes filios suos exhæredent, ideò eis non esse consentiendum voluit lex; Et hinc videmus, quod in-
42 ter suas leges eam Plato annumerat, † qua prohibet ratum esse testamentum cuiusquam senio, aut morbo affecti, quod simulatis blanditijs sit expressum, quam legem
43 Plato à Solone fortasse accepit, † qui testamentum eius improbauit, quẽ induxerunt, vel morbi grauitas, vel medicamentorum vis, vel vinculorum dolor, & cruciatus, vel vxoris assentationes, & illecebræ, vt per Plutarch. in Solonem. Quinimò Tull. lib. 3. officiorum ait, quod etiam veræ hæreditates, non honestç videntur, si sunt malitiosis blanditijs, & officiorum non veritate, sed simu-

simulatione quæsitæ; quarè oportet, vt iustæ causæ exhæredationis, vel præteritionis interueniant, ad hoc vt nulla cupiditate impeditus testator ab officio pietatis recessisse videatur, vt inquit Conan. lib. 9. commen. iur. ciu. c. 8. sub num. 1.

44 Inofficiosum testamentum] idest † non officiosum, non pium, & sic priuatiuè sumitur, vt per Odofr. hic, qui dixit, quod

45 † hæc vox, officium, æquiuocè sumitur in iure nostro, nam inter Deum, & hominẽ debetur officium, idest religio, l. veluti supr. de iustit. & iu. inter patronum, & libertum versatur officium idest obsequium, l. officium C. de nego. gest. inter hominem, & hominem versatur officium, idest beneficium, cùm homines inuicẽ beneficei esse debeãt, l. vt vim sup. de iust. & iur. l. in commodato §. sicut infr. commo. inter patrem & filium versatur officium, idest pietas, ut in l. necare infr. de lib. agnosc. quãdo ergò parens ergà liberos pietatem deserit, tunc dicitur omittere officiũ pietatis, & ità inofficiosum dicitur eius testamentum.

Instimulati] a nouercis scilicet.

Exhæredant, vel prętereunt] verbũ exhæredant, referendum est ad patrem, & ex eo ascẽdentes, verbum verò, prætereũt, referri debet ad matrem, & ad ascendẽtes per lineam maternam, vt per Odofr. hic.

47 Parentibus] sicut † non est consentiendũ dominis iniuria seruos suos prosequentibus, vt in §. fi. Inst. de his qui sunt sui vel alie. iur. l. 2. infr. ad Syllaian. ita quoq; nec etiàm parentibus iniuriam filijs inferentibus est præstandus consensus.

Inferentes iudicium] iniquum, scilicet exhæredationis.

Nouercalibus delinimentis] idest blanditijs, vt per Io. Cruceum hic; Vndè Cicero lib. 1. de finibus, ait, qui blanditijs pſentiũ voluptatũ deliniti, atq. corrupti.

Cum & de matris] vel ascendẽtium per matrem.

Vt dixi] supr. in l. 3. quæ est eiusdem Marcelli lib. 3. Digestorum.

Ad l. vi. Vlpianus lib. quartodecimo ad Edictum.

Posthumus inofficiosum testamẽtum potest dicere eorum, quibus suus hæres, vel legitimus potuisset fieri, si in vtero fuerit mortis eorum tempore. Sed & cognatorum: quia & horum ab intestato potuit bonorum possessionem accipere. Quid ergo? eis imputatur, cur intestati non decesserant? Sed hoc nemo apud iudicem potest impetrare, non enim interdicitur testamenti factione. Hoc planè ei imputare potest, cur eum hæredum non scripserit: potuit enim scriptus hæres in possessionem mitti ex clausula de ventre in possessionem mittendo, item natus secundum tabulas haberet. Simili modo, & eum, qui post testamentum matris factum, exsecto ventre, extractus est, posse quæri dico.

SVMMARIVM.

1 *Lex nostra in principio difficilis reputatur.*

2 *Materia huius legis pulchra est.*

3 *Posthumi exhæredati dicunt inofficiosum testamentum eorum, quibus sui hæredes fuissent, si nati essent.*

4 *Posthumi pro natis habentur in his, quæ respiciunt eorum commodum, & numero 20.*

5 *Exhæredatio ius suitatis abscindit.*

6 *Rescisso testamento per querelam, ius suitatis restituitur.*

7 *Posthumi si a fratre sint exhæredati instituta turpi persona agere possunt querela inofficiosi.*

8 *Querela inofficiosi competit etiam ijs, qui bonorum possessores fieri possunt.*

9 *Nepotes ex filia inter suos vocãtur, & eis cõpetit bonorum possessio vnde liberi.*

K Nepo-

10 *Nepotes ex filio emancipato concepti post emãcipationem iure Pratorio inter suos vocantur, & habent bonorum possessionem vnde liberi.*

11 *Posthumi pronepotes ad successionem auia inter suos vocantur, & habent bonorum possessionem vnde legitimi, vt num. sequenti.*

12 *Filius, quamuis cognatus sit matri, quasi tamen legitimus succedit ex Orphiciano S.C.*

13 *Posthumi de quibus in text. nostro quomodo exemplificari possint.*

14 *Filij dati in adoptionem; nullo iure sunt legitimi, vel sui hæredes.*

15 *Posthumus nedum suus, verum etiam alienus agit querela inofficiosi.*

16 *Posthumi nepotes concepti post mortem testatoris non succedunt vllo modo, nec quasi sui, nec quasi legitimi, nec quasi cognati.*

17 *Qui post mortem nostram nascitur, nullo iure nobis cognatus est.*

18 *Tria sunt necessaria in ijs, quibus datur querela inofficiosi testamenti.*

19 *Posthumus alienus iure Pratorio institui potest, iure vero ciuili nequaquam.*

20 *Posthumus potest intentare querelam inofficiosi etiam aduersus testamentum matris.*

21 *Posthumus matri quomodo quis esse possit.*

22 *Posthumi liberi olim exhæredari a patre sine causa poterant propter odium maternum, hodie autem secus est.*

23 *Posthumus non potest commisisse causam ingratitudinis.*

24 *Nomen naturale immutari non potest.*

25 *Posthumus quis dicitur duobus modis.*

29 *Testari quilibet potest, qui non reperiatur prohibitus.*

27 *Pactum impediens liberam testandi facultatem non valet.*

28 *Qui ex suto ventre nati sunt, alijs auspicatiores dicuntur.*

DE liberis iam natis exheredatis qualiter ad querelam vocentur in superioribus legibus est tractatum, nũc in hac lege proponitur de liberis nascituris, quem-
admodum scilicèt isti admittãtur ad que-
1 relam inofficiosi testamenti; † Lex autem
hæc nostra in sui principio admodum diffi
cilis reputatur, vt placuit Odofr. hic in prin
2 cip. † eius tamen materia pulchra est; Cum
ea concordat tex. in §. tam autem in versi.
Posthumi Instit. hoc tit. nost. & in l. omni-
modo §. sin vero C. eod.
3 Posthumi † exhæredati possunt dicere
inofficiosum testamentum eorum, quibus
sui hæredes esse, aut fieri potuissent, si nati
4 essent, & ratio sit, † quia posthumi prò iam
natis habentur in his, quæ ad eorum com-
modum spectant l. qui in vtero supra de
stat. homin. l. vel viuo infr. de liberis, & po
sthumis. l. 1. §. 1. infr. de bonorum possess.
contr. tab. Sed liberi sui iam nati si sint ex-
5 hæredati, quia † exheredatione ius suitatis
abscinditur l. si quis posthumos §. si filiũ,
infr. de liber. & posthu. l. si filium, §. videa-
mus infr. de bonorum possess. contr. tabul.
l. 1. §. post, infr. de suis, & legit. hæredibus,
6 agunt querela inofficiosi testamẽti, & † re-
scisso testamento per querelam, tunc ius
suitatis restituitur, ergo etiã & liberi post-
humi eodem modo debent peragere que-
rela inofficiosi, ut rescindant testamẽtum
eorum, quibus si nati forẽt, sui hæredes fie
ri potuissẽt, prout exemplificari potest in
filijs posthumis ex iusta uxore nascituris.
Extenditur hoc dictũ in tex. nostro, ut pro
cedat non solum in posthumis, qui sui hæ-
redes fieri possint, sed etiam in posthumis,
qui legitimi hæredes fieri potuissẽt alicui,
si nati forent, eius enim testamentum per
querelam rescindere possunt, exemplum
7 sit † in posthumis fratribus, qui a fratre tur
pibus personis institutis sint exhæredati,
quemadmodum. n. fratribus iam natis cõ
petit querela si turpis persona sit instituta
l. fratres, C. hoc tit. nostro, ita etiam & po-
sthumis hoc beneficium competere debet
eadem ratione de qua supra. Extenditur
demum dictum superius, ut procedat non
solũ in posthumis, qui sui, vel legitimi hæ-
redes fieri potuissent, si nati essent, verum
etiam in ijs, qui quasi cognati ab intesta-
to bonorum possessores fieri valuissent,
8 & ita † hæc querela competit non so-
lum

tum ijs, qui hæredes fieri, uerùm & ijs, qui bonorum possessores fieri potuissent l. Papinianus §. si ex causa, & ibi nos dicemus infr. hoc tit. nostro, horum autem posthumorum, qui quasi cognati bonorum possessores fieri potuissent exempla per gloss. hic ponuntur, primò in nepotibus ex filia natis, qui ad successionem aui materni vocātur, verè enim ipsi auo cognati sunt, hoc tamen exemplum non ità de plano est admittendum & si enim cognati sunt auo ma-
9 terno, ex constitutionibus tamen † inter suos vocantur, & eis datur bonorum possessio vndè liberi, non vndè cognati §. item vetustas Inst. de hæredit. quæ ab intestat. defer. quarè licèt verè cognati sint, tamen quasi sui, non quasi cognati veniunt. Secūdò exemplum ponit Accurs. in posthumis nepotib. ex filio emancipato, post tamen emancipationem filij conceptis, sed nec istud exemplum probari debet, quia licèt
10 verè cognati sint, † iure tamen Prætorio inter suos vocantur, sicuti etiam & filius emancipatus, & ijs datur bonorum possessio vndè liberi, quarè veniunt vt sui, non vt cognati, cognatisq; & agnatis præferantur §. emācipati Inst. de hæred. quæ ab intest. deferunt. Alij exemplū ponunt in posthumis pronepotibus, qui ad successionē auiæ iam anteà defunctæ vocantur, quod exem-
11 plum nec ipsum probādum est, licèt † enim sint cognati, ex constitutione tamen noua inter suos vocantur, vt in dicto §. Item vetustas Instit. de hæredit. quæ ab intest. de-
12 fer. videmusq;, † quod filius licet matri cognatus sit, quasi legitimus tamen succedit ex Orphiciano S. C. Itē & nepos auiæ maternæ quasi legitimus succedit §. 1. Instit. de S. C. Orphic. l. si defunctus C. de legit. hæred. ex constitutionibusq; pronepotes, quasi legitimi, succedūt pro auię, vndè habent bonorum possessionē vndè legitimi, non vndè cognati, quarè cum Cuiac. hic col. 3. exemplum istorū posthumorū, qui quasi cognati habēt querelam inofficiosi,
13 poterimus † ponere in posthumis nepotibus ex filio dato in adoptionē, & post adoptionem conceptis, hi enim non vocantur ad successionem vt sui, nō vocantur etiam vt legitimi, nec iure Prætorio, nec ex Con-
14 stitutionibus, sicut etiam † & filij dati in adoptionē nullo iure sunt legitimi, vel sui l. si emancipatus §. si filius, & l. nō putauit, §. in adoptionē inf. de bonor. possess. cōtr. tab. §. at hi qui, & § admonendi Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. hi ergò posthumi cognati sunt, & illis tantū competit bonorū possessio vndè cognati ab intestato, si sint ergò exhæredati ab auo paterno, eis competet remedium nostrum querelæ inofficiosi testamenti, vndè ex his omnib.
15 sequitur querelam † inofficiosi competere etiam posthumo alieno, non suo tantùm, legitimi enim, & cognati posthumi alieni dicuntur. Hoc tamen declarationem recipit, ut in text. dummodò in utero fuerint tēpore mortis eorum, quorum testamenta per querelam rescindere uolunt, quod etiā uult tex. in l. fin. inf. de uētr. in possess. mit-
16 tend. † concepti namq; post mortem testatoris nō possunt succedere, neq; quasi sui, neq; quasi legitimi, neq; quasi cognati, cū
17 ij † qui post mortem nostrā nascūtur, nullo iure nobis cognati sint l. Titius infr. de suis, & legit. hęred. l. Paulus. §. Paulus inf. de bon. libert. Et ità ex hac lege nostra col-
18 gamus unà cum Cuiac. hic col. 4. † tria esse omninò necessaria in eis, quib. datur querela inofficiosi; Primò ut quasi sui, uel quasi legitimi, uel quasi cognati ab intestato hæreditatem obtinere possint; Secundò, ut immeritò exhæredati sint; Tertiò, ut is, qui agit querela institui potuerit, non autem, ut ab intestato hæres esse potuerit, alioqn si institui non potuisset, non est cur agat querela, non enim imputari potest testatori, quarè decesserit testatus, sed quarè testando non fecerit eum hæredē, sed frustrà, & temerè exhæredauerit eum, quem poterat instituere, undè accusatur non testamenti factio, sed exhæredatio iniqua, dicamus ergò quod posthumo etiam alie-
19 no datur querela inofficiosi † testamenti, nam posthumus alienus institui potest, nō quidem iure ciuili, sed iure Prætorio §. 1. Instit. de bon. possess. nam de iure ciuili, institutus alienus posthumus non potest adire hæreditatē, sed Prætor nato dat bo-

norum possessionem secundum tabulas di. cto §. 1. Instit. de possess. si verò nondum natus sit, mittit ventrem in possessionem ex clausula de ventre in possessionem mittendo, vt in tex. nostro.

20 Posthumus † intentat querelam inofficiosi non solum aduersus testamentum patris, verùm etiam & aduersus testamentū matris, sicuti enim nati admittuntur ad successionem matris ex S.C. Orphiciano, & si sint exhæredati, vel præteriti habent querelam inofficiosi, itá quoq; & posthumi eodem modo intentāt eadem ratione, de qua suprà, quia posthumi pro iam natis habentur, cum de eorum commodo agitur dicta l. qui in vtero supr. de stat.
21 hom. † quomodò autem quis matri posthumus esse possit, in tex. nostro id declaratur euenire, quandò exsecto vtero extrahatur, quod quidem fieri debere, inquit tex. in l. 2. infr. de mort. inferen. licèt enim mater eum non pepererit, sed extractus fuerit, in iure tamèn nostro pro partu habetur, & si ommissus sit in testamento matris, cùm ei aliàs debeatur legitima successio ex S. C. Orphiciano, nunc tanquàm posthumo legitimo datur querela inofficiosi.

Declaratur tota dispositio legis nostræ, vt procedat secundum iura antiqua, quo-
22 rum † dispositione attenta, poterant posthumi liberi sine causa exhæredari à patre propter odium maternum, & è contrà l. 3. §. si emancipatus infr. de bon. possess. cōtr. tab. hodiè verò secùs est dicendum, quia nec posthumus, nec alius quilibet exhæredari potest, nisi causa exhæredationis, vel præteritionis in testamento inseratur §. causas in Auth. vt cum de appell. cognosc.
23 posthumusquè nullam causam ingratitudinis commisisse potest l. si quis in suo §. legis C. hoc titul. nostr. & l. fin. C. de lib. preter.

Contrà hunc textum nascitur pulcherrima difficultas, quam excitauit, & etiam soluit Conan. lib. 9. comment. iur. ciu. c. 9. num. 5. nam quod dicitur in textu nostro, quod Posthumi, possunt dicere inofficiosum testamentum eorum, quibus tāquàm quasi cognati succedere possunt, pugnare videtur cum ijs, quæ ipsemet Vlpian. I.C. dixit superiùs in l. 1. huius tit. nostri, quod scilicèt cognati proprij, qui sunt vltrà fratrem non possunt proponere hanc inofficiosi accusationem, quod etiam voluit Imperator in l. fratris, vel sororis C. hoc titul. nostro. Pro solutione, ommissis his, quæ Conan. respondebat, dicamus hæc duo nō pugnare, verum est enim, quod cognati vltrà fratrem nō possunt hanc querelam intentare, nec in hac lege nostra contrarium disponitur, sed tantùm dicitur, quod Posthumi possunt dicere inofficiosum testamētum, non solùm si succedant, vt sui, verùm etiam si succedant, vt legitimi, & vt cognati, semper tamen verè sunt de descendentibus, & tunc vt cognati admittūtur, quādò non possunt succedere, nec vt sui, nec vt legitimi, vt in exemplo à nobis superiùs proposito, non per hoc tamen sequitur, ergò cognati possunt dicere inofficiosum, quandò enim dicunt inofficiosum, sunt de liberis, hoc est de descendentibus, sed quia per adoptionem factam amiserunt suitatem, in tantùm, vt nec sui, nec legitimi esse possint, vt suprà est dictum, ideò reti-
24 nent nomen naturæ, † quod in mutari non potest, §. sed naturalia Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. §. fin. Instit. de legit. agnat. tut. & cognati vocantur.

Posthumus] idest filius nasciturus,
24 dicturquè † posthumus quis duobus modis; primò qui nascitur post testamentum, & post humationem patris; secundò qui nascitur post testamentum viuo patre l. 3. in princip. infr. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.

Si in vtero fuerit] Haloander vult negatiuè legendum esse hunc text. si in vtero non fuerit, reprehenditur tamen ab Anton. August. lib. 4. emendat. iur. capitulo 17. affirmatiuè enim legi debet, & itá in Pandectis Florētinis legitur, itá Cuiac. hic legit, itá etiam Dionys. Gothofred. in suis notis.

Quid ergò] hic notate oppositionem, & solutionem.

Non

Non enim interdicitur] quia regula testamentorum est generalis, ut quilibet testari possit, qui non reperiatur prohibitus §. 1. Instit. quib. non est permiss. fac. te-
27 stam. imò † pactum non valet, quod possit impedire liberam testandi facultatem l. stipulatio hoc modo conceptainf. de verb. obligat.

Ex clausula] de qua infr. in titul. de ventr. in possess. mittend.

Secundum tabulas haberet] ut in tot. tit. infr. de bon. possess. secund. tabul.

28 Ex secto ventre] † isti auspicaciores cœteris dicuntur, ità natos esse inquiunt Scipionem, Cæsarem, & alios plerosquè, ut per Gothofr. hic.

Ad § si quis ex his.

§ Si quis ex his personis, quæ ad successionem ab intestato non admittuntur, de inofficioso egerit, (nemo enim eũ repellit) & casu obtinuerit: non ei proficit victoria, sed his, qui habent ab intestato successionem, nam intestatum patrem familias fecit.

SVMMARIVM.

1 *Qui intentat querelam inofficiosi sibi non debitã, et vincit, illis acquirit effectum, quibus illa competit.*

Declara ut num. 3.

2 *Querela inofficiosi est remedium rescissorium.*

4 *Sententia inter duos lata, alijs nec nocere, nec prodesse potest.*

5 *Actor per querelam inofficiosi nihil acquirit.*

6 *Intestatus si quis decedat, locus est successioni ab intestato.*

7 *Hæres semel, quandoquè desinit esse hæres, contrà regulam.*

Inter alia, quæ desiderãtur, ut quis possit agere querela inofficiosi testamenti, illud præcipuum esse dictum fuit in lege antecedenti, quod ij, qui agunt hoc remedio, aliàs ab intestato successionem habeãt, quæritur modò, quid si ille, qui aliàs non poterat agere hoc remedio agat, & cum posset repelli, non fuit repulsus, si pro se sententiam obtineat, per quam rescissum sit testamentum, an valeat, & cui prosit; textus iste hoc determinat, & notabilis est, ut inquit Castr. & talis, qui fortè alibi non habetur, sed quidquid dicat Castr. similis est text. qui cum nostro concordat in l. filio §. contra tabulas infr. hoc titulo nostro.

1 Si ille, † qui ab intestato successionem non habet proximam, agat querela inofficiosi, & vincat, non sibi vincit effectum scilicèt querelæ, ut possit hereditatem consequi, sed ijs vincit, quibus iure res defer-
2 tur ab intestato, & ratio est, quia † remediũ istud querelæ est remedium rescissorium; testamentum enim tantùm rescindit, & rem ad causam intestati reducit, undè licèt uincat in obtinendo rescissionem testamenti, non tamen posteà uincit effectum huius rescissionis, ut sibi scilicèt hæreditas acquiratur. Res enim iudicata tenet, quia effectu rescinditur testamentum, sed hereditas transit ad legitimos hæredes, non ad actorem, prout in simili euenit in d. l. filio §. contrà tabulas inf. eod. ubi possessio, quę à patre adepta fuit sibi non prodest, sed filiæ defuncti, cui etiam fructus percepti restitui debent.

Declaratur hæc conclusio, ut uera sit, &
3 procedat, si iste, † qui querelam intentauit egerit ad totum, hoc est si totum testamentum resciderit, uel si egerit aduersus omnes hæredes, tunc enim, qui querelam intentauit, & obtinuit, non admittitur ad hæreditatem, ut suprà est dictum, sed ij ab intestato admittuntur, quos lex, aut Prætor uocat, secùs uerò si pro parte tantum egerit, nam hoc casu uictoria sibi actori, non alijs proficiet, ut in l. si non mortis, §. si quis infr. eod.

Opponitur passim per Doctores nostros

4 ſtros contrà iſtum textum,† quia ſententia inter duos lata, alijs nec prodeſſe, nec nocere poteſt, l. 1. inf. de except. rei iudic. l. 1. & paſſim in tot. tit. C. quib. res iudic. non noc. & l. 1. cum tot. tit. C. int. alios act. vel iudic. alijs non nocer. ergò contrà tex. noſtrum, qui vult quod victoria non proſit agenti, ſed alij, qui ab inteſtato ſuccedere debeat.

Pro ſolutione Iul. Pac. centur. 3. legum
5 conciliat. q. 31. inquit, † quod per querelam inoſſicioſi actor nihil acquirit, ſed tantùm efficit, vt teſtamentum reſcindatur à iudice, quo reſciſſo, tunc poſteà hæres ab inteſtato ſuccedit, non ex ſententia lata, quia tunc obſtaret id quod dicitur, quod res inter alios iudicata tertio non prodeſt, ſed ex diſpoſitione legis, vel alterius iuris, quo vocatur ad ſucceſſionem.

Non admittuntur] de quibus ſupra in l. 1. dictum fuit.

De inoſſicioſo egerit] de facto ſcilicèt non de iure.

Nemo enim eum repellit] hoc eſt non fuit ei ab aliquo oppoſitum, quod nó poteſt agere querela, quia non eſt de perſonis, quibus illa detur.

6 Nam inteſtatum] ſicut enim † ſi aliquis ab initio inteſtatus decedit, locus eſt ſucceſſioni ab inteſtato, ità etiam ſi teſtamentum rumpatur per querelam inoſſicioſi, vt in principio Inſtitut. de hæredit. quę ab inteſt. defer. venientes ab inteſtato
7 admittũtur, & ſic notemus caſum, † in quo qui ſemel fuit hæres, deſinit eſſe hęres contrà regulam l. quod ſi ſinè §. ſed quod Papinianus ſupr. de minor. quandò enim teſtamentũ inoſſicioſum pronunciatur, tunc querela operatur, quòd ille qui eſt hæres deſinit eſſe hæres, vt hic & in l. Papinianus in fin. infr. hoc tit. noſtr.

Ad § fin. & ad l. vij.

§ Si quis inſtituta accuſatione inoſſicioſi deceſſerit: an ad hæredem ſuum querelam transferat? Papinianus reſpondit, (quod & quibuſdam reſcriptis ſignificatur) ſi poſt agnitam bonorum poſſeſſionem deceſſerit, eſſe ſucceſſionem accuſationis. Sed ſi nó ſit petita bonorum poſſeſſio, iam tamen cœpta controuerſia, vel præparata, vel ſi cùm venit ad mouendam inoſſicioſi querelam, deceſſerit: puto ad hæredem tranſire.

L. vij. Paulus libro ſingulari Centumuiralibus iudicijs.

Quemadmodum præparaſſe litem quis videatur, vt poſſit tráſmittere actionem, videamus: & ponamus in poteſtate eum fuiſſe, vt neque bonorum poſſeſſio ei neceſſaria, & aditio hæreditatis ſuperuacua ſit; is ſi comminatus tantùm accuſationem fuerit, vel vſque ad denunciationem, vel libelli dationem proceſſerit, ad hæredem ſuum accuſationem tráſmittet. Idque Diuus Pius de libelli datione, & denunciatione reſcripſit. Quid ergò ſi in poteſtate non fuerit, an ad hæredem ſuũ actionem tranſmittat? & rectè videtur litem præparaſſe, ſi ea fecerit, quorum ſuprà mentionem habuimus.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum poſſeſſio litis ordinandæ cauſa ſecundum aliquos non pertinet ad diuiſionem ordinariam bonorum poſſeſſionum.*

2 *Reijcitur tamen hęc opinio, & eam ordinariam eſſe demonſtratur.*

3 *Querela inoſſicioſi eſt remedium ſubſidiarium, quod competit ceſſantibus omnibus alijs remedijs.*

4 *Bonorum poſſeſſio litis agnoſcendæ cauſa ſolum factum, non ius tribuit, & nu. 8.*

Que-

5 *Querelam inofficiosi qui vult intentare, debet prius habere signum agnitæ bonorum possessionis litis ordinandæ causa.*
6 *Agnitio bonorum possessionis litis ordinandæ gratia non tribuit veram, sed imaginariam possessionem.*
7 *Possessione simulata utimur, cum non est tutus aditus ad eum locum, de quo lis est.*
8 *Bonorum possessio litis agnoscēda causa nullum ius tribuit, nec aufert possessionem à scriptis hæredibus.*
9 *Querelam inofficiosi intentans agnita bonorum possessione litis ordinanda gratia, potest nihilominus, si velit, repudiare hæreditatem.*
10 *Querela inofficiosi extinguitur per mortem illius, qui ad querelam vocabatur. Declara ut num. 12.*
11 *Mors omnia soluit.*
13 *Querela inofficiosi iam præparata ab eo cui competebat, ad hæredes transmittitur etiam extraneos, & num. 30.*
14 *Querela inofficiosi siuè præparata, siuè non, transmittitur ad suos hæredes, & n. 30.*
15 *Filius querelam inofficiosi præparans aduersus testamentum matris eam non transmittit.*
16 *Filius querelam inofficiosi intentans, si mutata voluntate decesserit, eam etiam præparatam non transmittit.*
17 *Filius repudians querelam inofficiosi iam à se intentatam, eam non transmittit ad hæredes, etiam si pactum non esset seruatum ab eo, cum quo transactum sit.*
18 *Querela inofficiosi præparata transmittitur ad hæredes, etiam si filius per liberationem, vel per pactum nudum ab ea recesserit, quando pacta non sunt seruata.*
19 *Querela inofficiosi nō transmittitur, quando ille, cui competebat ingratus fuerit ergà testatorem, vel repudiauerit eius successionem, vel tacuerit per quinquennium, vel agnouerit eius iudicium.*
20 *Querela inofficiosi tribus modis rectè præparari potest.*
21 *Bonorum possessio litis agnoscenda causa nō est necessaria ijs, qui sui hæredes fuissent, nisi essent exhæredati.*
22 *Sui hæredes dicuntur habere ius existentiæ.*
23 *Bonorum possessio litis agnoscendæ causa est necessaria extraneis, antequam intentēt querelam inofficiosi.*
24 *Querela inofficiosi est præparatoria petitionis hæreditatis.*
25 *Emancipati de iure ciuili extranei hæredes, & incogniti dicuntur.*
26 *Emancipati de iure ciuili non admittuntur ad querelam inofficiosi, nec ad petitionem hæreditatis.*
27 *Emancipati quamuis extranei dicantur, filij tamen sunt.*
28 *Prætor naturali æquitate mouetur.*
29 *Prætor emācipatis accommodauit bonorum possessionem litis agnoscenda causa, qua agnita posteà possint agere querela inofficiosi.*
30 *Hæreditas non adita, vel bonorum possessio non agnita non transmittitur ad hæredes, & num. 13.*
31 *Querela inofficiosi non est propriè accusatio, nec actio.*
32 *Suus hæres, & largè, & strictè sumitur.*
33 *Qui comminatur se vsurum querela, præparasse litem inofficiosi censetur.*
34 *Denūciatio aduersario quando fieri dicatur.*
35 *Libellus quando dari dicatur.*

DE querela inofficiosi an & quādò ad hæredes transmitti possit, & quemadmodum dicatur præparata, ad hoc, vt transmitti valeat, quærit l. C. hic in §. nostro, & in l. seq. cū quibus iuribus concordat tex. in l. si pater tuus C. hoc tit. nostro. Antequàm ingrediar explicationem §. nostri, & l. seq. cum in eis, & etiam in sequēti l. Papinianus in princip. & in l. 2. C. hoc tit. nostro, mentio habeatur de bonorum possessione, quę præcedere debet, hāc querelam, declaro, qualis sit hęc bonorum possessio, quæ dicitur agnosci litis ordinandę gratia in d. l. Papinianus in princip. infr. eod. valdè namquè de ea apud inter-
1 pretes nostros dubitatur, in tantùm, † vt fateantur multi hanc bonorum possessionem non pertinere ad diuisionem bonorū possessionum, de qua in §. sunt autem Instit. de bonor. possess. sed esse dicūt nouum genus extraordinariæ bonorum possessio-nis

nis ad præparandam querelam comparatum, vndè proptium nomen habet, dicitur enim bonorum possessio, quæ agnoscitur litis ordinandæ gratia, vt in dicta l. Papinianus in princip. hæc tamen opinio nō
2 est probanda, † quia hæc bonorum possessio, cum de querela præparāda agitur, simpliciter bonorum possessio nominatur, & sinè adiuncto, diciturquè agnita prodesse ad querelam præparandam, vt in §. nostro cum l. seq. & in l. secunda, C. eodem. Quarè si extraordinaria bonorum possessio, & nouum genus esset, certè de ea aliqualis mentio facta fuisset in ijs locis, vbi ex professò agitur de proponendis omnibus bonorum possessionibus in ff. in Instit. & in C. quod tamèn nullibi factum reperitur. Meritò cum Cuiac. hic in princ. §. nostri, & cum Donel. lib. 9. cōment. iur. ciuil. c. 7. colum. penult. dicamus eam ordinariam esse, & ex genere earum, quæ in diuisione comprehenduntur, de qua in §. sunt autē Instit. de bon. posses. est enim bonorū possessio, quæ agnoscitur ab intestato, nam liberis exhæredatis, est vndè liberi, Parentibus præteritis, est vndè legitimi, fratribus demum præteritis est vndè cognati. Nequè obstat si dicatur, si competit hæc bonorum possessio, ergò querela non potest
3 competere, cum vt aliàs dictum fuit † hæc querela sit remedium subsidiarium, quod competit cessantibus omnibus alijs remedijs §. tam autem Instit. hoc tit. nostro; Respondere namquè potest, id verum esse, & procedere, quandò aliud auxilium, & remedium plenè competit, ità quod ius tribuat, vt per Odofred. hic, quod non est in
4 casu nostro, hæc † enim bonorum possessio solum factum tribuit, ideò non facit cessare querelam, hæcquè bonorum possessio, quæ factum tātùm tribuit idem operatur (inquit Odofred.) quod annulus militis, qui operatur, vt si quis petat aliquid de domo militis, illud consequatur, si signum annuli habeat, sic hæc bonorum possessio
5 idem operatur, qui † enim vult intentare querelam, signum prius debet habere, nēpè bonorum possessionis, & ideò Conan. libro 9. commen. iur. ciuil. cap. 8. numero 6.
6 dicebat, † quod agnitio huius bonorū possessionis non veram, naturalemquè, sed imaginariam tribuebat possessionem, eratquè veluti aliquod inchoādæ litis de inofficio. ipso fundamentum, subditquè similem fuisse ei possessioni, qua hodiè vtimur in Ecclesiasticis beneficijs, per inspectionem scilicet turris, quod vocamus Campanile, aut in alijs controuersijs per aspectionem Castri, vel loci, aut iactum lapilli, vel ra-
7 mum arbotis fractum, † qd̄ tùm fit, cùm nō est tutus aditus ad eum locū, de quo lis est, ita vt vlterius progredi, nec cœtera in eo
8 possessionis iura possimus vsurpare, † hac itaquè simulata bonorum possessione, pendente lite nullum ius tribuebatur, nèc à scriptis hæredibus possessio auferebatur, vt in l. 2. C. hoc tit. nostro, nam potior est intetim hæredis scripti causa, hæc autèm bonorū possessio hoc tantùm demonstrat, exhæredatum prætendere ius successionis ab intestato, quo tamèn frui non potest, antequam vicerit querela, hoc est rescinderit testamentum, & ideò videmus, quod etiam agnita hac bonorum possessione,
9 † non per hoc prohibetur ille, qui de inofficioso agit, & obtinuit repudiare hæreditatem si velit, ut inquit glos. in dicta l. quemadmodum hoc tit. nostro, non enim uera est agnitio, nec possessionem, aut ius tribuit.

Hoc ità præcognito, modò ex tex. no-
10 stro colligitur; † quod Morte eius qui ad querelam vocabatur, ammittitur, & extin-
11 guitur querela inofficiosi, † Mors enim omnia soluit §. deinceps in Auth. de nupt. quod tamèn non procedit simpliciter, sed
12 ità demùm, † si is, qui uocabatur, non præparata qnerela decesserit, quo casu unà cū eo extinguitur querela, cùm ipse non possit agere, vtpotè qui mortuus est, nec etiā hæredes ipsius, cum ad eos querela nō pertineat, vt inquit Donell. lib. 19. comment. iur. ciuil. cap. 6. colum. penul. secùs verò
13 † si iam præparata querela decesserit ille, qui ad eam vocabatur, tunc namquè eam ad hæredes transmittit, nec eius morte finitur l. si quis filium, & l. penult. in fin. C. hoc titulo nostro, sicut in simili videmus,

quod

quod hæreditas non adita, vel bonorum possessio non agnita non transmittitur ad hæredes l. emancipata C. qui admitti, tradit Cuiac. hic col. 2. Declaratur hæc conclusio, vt vera sit in hærede extraneo, in quem transmittitur querela, si præparata sit, si verò non sit præparata nequaquàm,
14 secùs autẽ † est in hærede suo, si quis enim habeat filium in potestate constitutum, & decedat deliberante hærede scripto, tunc in hunc suum hæredem transfert querelã etiam non præparatam dicta l. si quis filium, & dicta l. penult. §. fin. C. hoc titulo nostro.

Limitatur conclusio, de qua suprà mul-
15 tis modis, & primò, vt non † procedat in filiofamilias, qui præparasset querelam aduersus testamentum matris, iste enim si decedat etiam præparata querela eam nõ transmittit l. Papinianus in princip. intrà eod. vbi etiam assignat rationem, quia nõ patri, sed nomine filij dabatur. 2. vt nõ ha-
16 beat locum, † quandò is, qui querelam præparauerat mutata voluntate decesserit l. nam etsi parentibus §. hæred. inf. eod. vbi etiam ratio assignatur, quia non sufficit litem instituere, nisi etiam in ea, quis
17 perseueret. Tertiò fallit † quandò post iudicium de querela acceptum quis ab eo per repudiationem recesserit, tũc enim ad hæredes non transmittitur, etiam si is cum quo transactum est pactis nõ staret l. cum
18 mota C. de transact. secùs verò † si per liberationem à querela recessum sit, siuè per pactum nudum, vt voluit Alciat. lib. 5. paradox. c. 6. tunc enim si ab aduersario non seruentur conuenta, inofficiosi causa integra esse debet & transibit ad hæredes l. si instituta in princip. inf. hoc tit. nostro: Fal-
19 lit tandem in ijs casibus, † quandò pater qui præparauerit querelam intentare ingratus fuerit ergà testatorem, vel repudiauerit eius successionem, vel per quinquennium tacuerit in proponenda querela, vel legatum petierit, & habuerit ex eo testamento, quod inofficiosum dicere volebat, in istis enim casibus non fit transmissio ad filium hæredem dicta l. si quis filium, C. hoc tit. tradit Costal. in suis aduersarijs ad Pandectas hic in §. nostro fin. In his ergò casibus non transmittit quis querelam quamuis præparatam etiam in filios.

Quomodò autem querela præparari videatur ad hoc vt ad hæredes transmittatur declarat Paul. I. C. hic in l. quemadmodum, dicamus nos cum Donell. dicto cap.
20 6. col. pen. quod † tribus modis rectè hæc querela præparari videtur, primo modo si quis in iudicio agere cœperit de inofficioso, si litem mouerit, & ordinauerit lite videlicèt contestata, & re in iudicium deducta, vt hic in text. nostro nempe in §. fin. & in dicta l. Papinianus in princip. infr. eod. Secundo modo si quis comminatus sit tãtum accusationem, itaut processerit, non vsquè ad libelli dationem, sed tantum ad denunciationem. Tertiò modo si de inofficioso acturus, bonorũ possessionẽ apud
21 quemlibet Magistratum agnouerit, † hæc tamen bonorum possessio non est necessaria ijs, qui sui hæredes existere potuissent, nisi exhæredati fuissent, vt hic in dicta l. quemadmodum, quia isti ipso iure hæredes existunt, si habent ius successionis ab intestato l. in suis infr. de suis, & legit. hæ-
22 redib. † habent enim ius existentiæ, vt inquit Cuiac. hic col. 3. nec dicuntur hæredes fieri, sed existere, & ideò illis non est necessaria hæc bonorum possessio, sicut nec etiam aditio hæreditatis; Extraneis
23 verò † omnino necessarium est qualecunquè iudicium agnoscendæ bonorum possessionis §. fin. Instit. de bon. possess. §. fin. Instit. de hæred. qualit. & different. ratio autem quarè extranei non possint querelam intentare, nisi priùs agnouerint hanc
24 bonorum possessionem est, quia † querela inofficiosi est inuentum quodam de iure ciuili præparatorium petitionis hæreditatis, vt notatur in Rubr. infr. de petit. hæredit. de iure autem ciuili extranei hæredes,
25 & sic † emancipati (de istis enim intelligi debet tex. noster) erant incogniti § emancipatos Instit. de exhæredat. liber. § emancipati Instit. de hæreditat. quæ ab intest.
26 defer. ideò † isti non admittebantur de iure ciuili ad hãc querelam, sicut nec etiam admittebantur ad petitionem hæreditatis.

tis,quia tamen erant filij licet emancipati essent l.ius agnationis supr.de pactis l.iu-
28 ra sanguinis infr.de reg. iur.ideò † Prætor naturali æquitate motus l. quod si ephesi
29 infr.de eo quod cert.loco,eis † accommodauit hanc bonorum possessionem, qua agnita,tunc posteà possunt agere querela, vt in tex. nostro, & in l. 2. C. eod. tradit Mant. in suo glossar. iur. part. 2. class. 15.
30 q.1. num. 1. Sicut ergò † hæreditas non adita, vel bonorum possessio non agnita non transmittitur, ità nec etiàm querela nisi prius præparata sit, transmitti potest, & ideò si defunctus siuè suus, siuè extraneus hæres litem contestatus sit,proculdubio lis in quemcunque hæredem transmittitur, quinimò ex sola denunciatione, vel libelli datione querela hæc de inofficioso in hæredem transmittitur; sed quod plus est dicamus, quod hæc querela in hæredem transmittitur ex sola nominatione, vt hic in l. quemadmodum videlicèt si is qui comminatus est se acturum de inofficioso testamento sit ex suis hæredibus, vel potuerit esse, nisi fuerit exhæredatus, at si sit extraneus hæres secùs est,quia hãc querelam non transmittit, nisi ipse bonorum possessionem petierit,vel nisi litem contestatus fuerit,vel nisi causam agere cœperit, & præparare facta aduocatione fortè, vel nisi iam adierit Magistratũ, ità enim præparatam querelam licet non contestatam in hæredem trasmittet. Hæc autem omnia vera sunt, quãdò tractetur de trãsmittenda querela in hæredem extraneum, in eum enim non trãsfertur querela nisi præparata fit, vt suprà dictum est, secus verò in suum hæredem,in quem querela etiam non præparata transfertur dicta l. si quis filium, & dicta l. pen. §. fin. C. hoc tit. nostro.

31 Accusatione] idest querela, † quæ propriè non est accusatio, nec actio,vt suprà in tertio euidẽtiali in Rub.dictum fuit num. 17.

32 Ad hæredem suum] † suus hęres sumitur strictè,sumitur,& largè,strictè dicitur suus hęres,qui est in sua potestate §.sui instit.de hæred. qualit. & different. largè verò dicitur omnis hæres, qui defuncto succedere possit,& ità sumitur hic.

De septemuiralibus] aliàs de centumuiralibus argumento l. Titia filiam infr.eod.& ibi declarabimus.

Præparasse litem] idest querelam inofficiosi testamenti, preparare litem in ijs,qui sunt in potestate est,accusationem comminari,vel denuntiare,vel libellũ dare,cùm ei,qui est in potestate non sit necessaria, neque bonorũ possessio, neque aditio hæreditatis,in ijs verò, qui non sunt in potestate est ea omnia facere, quorum suprà mentio est facta, vt per Gothofr. hic in not.

33 Si comminatus] qui † comminatur se vsurum querela præparasse litem inofficiosi censetur l. si ponas §. 1. infr. eod.

34 Denunciationem] † denuntiatio aduersario fit, cum ei denuntiatur, & dies condicitur,vt per Cuiac. hic col.4.

35 Libelli dationem] libellus † dicitur dari,dum actio editur aduersario l. 1. §. 1. supr.de edend.

Ad l. viij. Vlpianus lib. quartodecimo ad Edictum.

Papinianus libro quinto quęstionum rectè scribit, inofficiosi querelam patrem filij sui nomine instituere non posse inuito eo: ipsius enim iniuria est.

§.Sequenti loco scribit si filius post agnitam litis ordinãdę gratia bonorum possessionẽ decesserit, finitam esse inofficiosi querelam, quæ non patri, sed nomine filij dabatur.

§.Si quis post rem inofficiosi ordinatam, litem dereliquit, posteà non audietur.

§.Si Imperator sit hæres institutus posse inofficiosum dici testamẽtum sæpissimè rescriptum est.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Pater non potest inuito filio querelam filio competentem instituare, & num. 5.*
2 *Nemo alieno nomine iure agere potest.*
3 *Iniuria filio fit dum exhæredatur, quæ propria est ipsius.*
4 *Iudicium querelæ inofficiosi est de meritis exhæredati.*
5 *Filius familias inuitatus non potest compelli à patre ad adeundam hæreditatem.*
6 *Filio recusante adire hæreditatem de iure nouo patri id licet.*
7 *Querela inofficiosi magnum est odium.*
8 *Pater potest agere, et prosequi iniuriam filij.*
9 *Iniuria duplicis generis est.*
10 *Querela inofficiosi per filium à matre exhæredatum præparata nō transmittitur ad patrem ipsius filij.*
Fallit quādo pater semel egerit de inofficioso, nec litem perfecerit, vt num. 13.
11 *Filius familias hæredem habere non potest, cum non possit testari.*
12 *Filius familias quidquid acquirit, patri acquirit.*
14 *Deferens iudicium querelæ inofficiosi iam ordinatum non debet audiri.*
Quod etiam generale in omnibus alijs actionibus.
15 *Quilibet potest ad libitum disponere de re ad se spectante.*
16 *Querelæ inofficiosi propriū est, vt non transmittatur ad hæredes, nisi fuerit instituta.*
17 *Litem non sufficit instituere, nisi quis in ea perseueret.*
18 *Querela inofficiosi iudicium imitatur actionem iniuriarum, quæ facilè oboletur dissimulatione, & qualibet remissione.*
19 *In querela inofficiosi locum habet successorium edictum quoad exhæredatum.*
20 *Querelæ inofficiosi iudicium deferens dolo hæredis scripti nihilominus audiri debet.*
21 *Inofficiosum testamentum dici potest, etiam si in eo Imperator sit institutus.*
22 *Princeps quamuis legibus solutus sit, tamē secundum leges viuere debet.*
23 *Imperator nec etiam ex imperfecto testamento succedere potest.*
24 *Leges eum seruare decet, qui eas facit.*
25 *Inofficiosum testamentum dici potest, etiam causa pia, vel Ecclesia, vel Deo ipso hære de instituto.*
26 *Deum, qui vult instituere, filium exhæredare, alium quærat, quam Augustinum.*
27 *Factum laudabile S. Aurelij Cartaginensis Episcopi refertur.*
28 *Exhæredatio est nota quædam, & iniuria.*
29 *Institutio honor est.*
30 *Exhæreditatis, vel præteritis filijs competit querela inofficiosi.*

EAmdem materiam transmissionis querelæ inofficiosi testamenti prosequitur Vlpian. I.C. in hac lege nostra, de qua et idē met suprà tractabat in l. posthumus §. fin. hoc tit. & cum hac lege in princip. concordat tex. in l. filius in princip. infr. eod.
1 Pater † inuito filio nō potest instituere querelam inofficiosi ipsi filio competentē ob prętensionē, vel exhæredationē factam à matre, vel alio ex ascendentib. maternis
2 in suo testamento, Ratio est, quia † nemo alieno nomine iure agere pōt l. nemo infr.
3 de reg. iur. † iniuria .n. quæ nascitur ex hac præteritione, vel ex hæredatione filij est propria ipsius filj, vt hic in tex. nostro, quæ ad patrem non redunt, ita ut eam filius auctore patre prosequi possit, pater verò inuito filio non possit, indignatio enim dicitur esse ipsius filij dicta l. filius in princ. inf. eo. cum itaque, & iniuriā, & indignatio filij fit, meritò debet prius inquiri volūtas ipsius, an velit queri de inofficioso testamento, & ita an sit dignus exhæredatione illa,
4 vel præteritione, nec nè, † Iudiciū enim de inofficioso testamento est iudiciū de meritis exhæredati, vt per Cuiac. hic col. 5. nec
5 mirum istud esse debet, cum nec etiā † filius familias inuitus possit à patre compelli ad adeundam hæreditatem l. 3. C. de hęredib. instit. sic quoq. dicendum est, quod pariter inuito filio pater non possit hanc querelam proponere; Quia tū Iustinianus Imper. noster nouum ius in hac materia
6 introduxit, vt † s. recusante filio delatā sibi hæredi-

hæreditatem adire, patri liceat id facere l.
cum non solum C. de bon. quæ libr. ideò
Cast. hic quærebat, numquid istud locum
sibi vendicare possit in hac querela, vt sci-
licet pater inuito filio eam proponere, &
intentare possit, inclinatque in eã partem,
vt illa constitutio Iustiniani nihil spectet
ad hanc materiã querelæ, quod etiam sen-
sit Conan. lib. 9. comment. iur. ciuil. c. 8.
7 num. 4. † magnum enim est huius querelæ
odium, in tantum, vt potius ea debeat re-
stringi, quàm dilatari, vel similitudine ra-
tionis ad nouas leges produci, conclud-
mus ergò Patrẽ non posse inuito filio que-
relam ipsius filij proponere, & intentare.

Opponitur contrà hanc conclusionem,
quia imò videtur, quod dum iniuria fit fi-
8 lio, † pater agere possit, & prosequi ipsam
iniuriam, non filius, nisi in eo casu, quo pa
ter, & etiam eius procurator abessent l. si
longius §. si filius familias supra de iudit.
l. sed si vnus §. filio infr. de iniur. Pro solu-
9 tione dicamus, quod † duplex est iniuria,
vna scilicet, ex qua descendit actio iniuria
rum, quæ cadit in delictum priuatum, al-
tera verò ex qua nulla iniuriarũ actio ori-
tur, pro prima iniuria non filius, sed pater
agit, cum non solum filio, sed patri iniuria
fiat, ità procedant leges in cõtrarium ad-
ductæ, pro altera verò, ex qua nulla actio
iniuriarum oritur, vt in casu nostro, filius
non pater agit, censetur namque facta soli
filio, nec consistit in delicto, ità odofr. hic,
& post eum Castr.

10 Querela † per filium exhæredatum, seu
præteritũ à matre, vel alio per illam ascen-
dente præparata, non transmittitur ad pa-
trem per mortem ipsius filij, vt putà, quia
filius in testamẽto aui materni præteritus
petierit bonorum possessionem quasi legi-
timus, vt præpararet litem de inofficioso
testamento, posteà decesserit antè incæ-
ptam litem, non per hoc ad patrem trans-
mittit querelam inofficiosi, pater enim nõ
11 est hæres filij, † cum filius familias hære-
dem habere non possit, vt potè qui regula-
riter testamenti factionem actiuam non
habet, vt in pricip. Institut. Quib. non est
permiss. facer. testamen. nec aliquid possi-
12 deat, † cum omne, quod acquirit, patri ac-
quirat, vt in princip. instit. per quas perso.
nob. acquirit. vndè per consequens sine hæ
rede decessit, & etiam si agnouerit bono-
rum possessionem, nihil tamen transmitte
re potest, cum nihil habeat, nec dicatur,
quod hæc querela patri sit acquisita patria
potestate, id enim esse non potest, cum pa-
ter adhuc viuo filio nondum cœperit hãc
querelam instituere, & prius inquiri de-
beat voluntas filij, an velit queri de inoffi-
cioso testamento, & ita an sit dignus illa
exhæredatione, nec nè, cum iniuria sit ip-
sius filij, vt supr. dictum est.

13 Limitatur in eo casu, quando † pater se-
mel egerit de inofficioso volente filio, nec
litem perfecerit, interimque filius decesse
rit, tunc enim pater litem post mortem filij
prosequi poterit, & ità querela ad ipsum
trãsmittetur, vt per Conan. lib. 9. cõment.
iur. ciuil. c. 8. nu. 6. & per Cuiac. hic col. 5.

14 Qui † post ordinatum iudicium quere-
læ inofficiosi illud deserit, nõ amplius au-
diri debet inquit tex. in §. si quis post rem,
cum quo cõcordat tex. in l. nam, & si §. hæ-
redi inf. hoc tit. nostro, & in l. si quis filium
in fin. C. eod. quod generale est in omnib.
actionibus l. postquam liti C. de pact. po-
15 test † enim vnusquisq. de re ad se spectan-
te ad libitum disponere l. in re mãdata C.
mand. quarè sequitur, quod nec etiam hæ-
redes ipsius possint amplius hac querela
agere, vt voluère Conan. dicto cap. 8. sub
num. 4. & Cuiac. hic col. 6. rationemque
16 assignat Conan. quia † proprium est istius
querelæ, quod non transmittatur ad hære-
des, nisi fuerit instituta, vt supra in l. ante-
cedẽti dictũ fuit, multò minùs ergo trans-
mitti debet si instituta fuerit, & ab ea sit re
cessum, constat enim noluisse defunctum
motam litem peragere, sed pænituisse in-
17 cœpti, nam † non sufficit litem instituere,
nisi quis in ea perseueret, vt inquit tex. in
d. l. nã, & si §. hæredi infr. eod. cum totum
istud iudicium positũ sit in voluntate eius,
qui ius habet querelæ intentandæ, quo iu-
re nisi velit vti à nemine cogi potest, se-
melque derelictum, aut renunciatũ non po-
test repetere, cum videatur in hac re ac-

quieuisse

quieuisse iudicio defuncti, hoc enim,
18 iudicium † querelæ inofficiosi imitatur actionem iniuriarũ, quæ facilè aboletur dissimulatione, & remissione qualibet l. non solum §. 1. infr. de iniur. §. fin. Instit. eodem titulo de iniur. sic hæc querela inofficiosi, & iniuria exhæredationis abolitur nuda voluntate qualibet, & ita licet inchoata fuerit, si tamen ab ea sit recessum, non transmittitur ad hæredes, vt volunt Conan. & Cuiac. vbi suprà. Quod quidem verum est ex persona ipsius defuncti, secùs verò ex persona ipsius hæredis, hæres enim ex persona sua potest intentare remedium istud, in quo illud perpetuum est, vt primo excluso repudiatione, sententia, vel tempore, se-
19 quens admittatur, cum † in querela successorium edictum locum habeat l. pater filium, & l. si is qui infr. eodem l. 1. intr. de bon. possess. contr. tab. tradit Azo. in sua sum. Cod. hoc titulo nostro, & Din. in cap. non debet alteri de regul. iur. lib. 6. firmat Costal. in suis aduersar. ad Pandect. tum hic in §. nostro, tum in l. posthumus §. fin. supr. eod.

Firmata conclusio de qua suprà, vt deficens iudicium querelæ amplius audiri non debeat limitatur, vt non proce-
20 dat tunc, †, quandò dolo scripti hæredis actor ab instituta querela destiterit l. eum, qui in princip. infr. hoc titul. nostro.

21 Inofficiosum † testamentum dici potest instituto quocumquè hærede etiam si Imperator ipse esset institutus, vt hic in §. si Imperator, cui cõcordat tex. in l. si is q. admittitur §. quantum infr. eodem, licèt
22 enim † Princeps legibus solutus sit, secũdum leges tamen viuere debet l. Princeps supr. de legibus, & ideò videmus,
23 quod nec etiam † ex imperfecto testamẽto Imperator succedere vult l. ex imper-
24 fecto infr. de leg. 3. † cum enim leges seruare decet qui & facit, inquit Paul. libro 4. sentent. in titulo nostro de inoff. testam. & ibi Cuiac. not. quinimò etiam
25 si † causa pia, aut Ecclesia, vel Deus ipse esset institutus, adhuc locus erit querelæ inofficiosi testamenti, vt per gloss. hic, vbi etiam tradunt Odofred. & Costal.
26 Vndè Diuus Augustinus dixit, † qui vult Deum instituere, & filium exhæredare, alium quærat, quam Augustinum, vt in capitulo quicumquè 17. quæ-
27 stione 4. vbi subijcit, quam † laudabile factum Sancti Aurelij Chartaginensis Episcopi; Quidam enim cùm filios non haberet, nec speraret, res suas omnes retento vsufructu Ecclesiæ donauit; ei posteà nec opinanti nati sunt filij, Episcopus ea, quæ donauerat reddidit, & tamen iure fori in eius potestate erat non reddere.

Papinianus] iste Papinianus, de quo in tota hac l. mentio habetur inter Iuris Consultos longè celeberrimus extitit, Æmilius Papinianus dictus, & Scæuolæ discipulus fuit, à Spartiano traditur hunc fuisse Præfectũ Prætorio Septimio Seuero imperante, iuris asylus, & doctrinæ legalis thesaurus appellatur ab eodẽ Spartiano, qui etiam paulò post subdit hũc amicissimum fuisse Imperatori Seuero, & vt aliqui volunt affinem etiam per secundam vxorem, cui moriens Seuerus filios suos commendauit, de hoc habemus, quod Bassiano, qui occiso fratre illi mandauerat, vt & in Senatu per se, & apud populum facinus dilueret, respondit; Non tam facilè parricidium excusari posse, quam fieri. Lampridius in Alexandro discipulos Papiniani enumerat Pomponium, Alfenum, Africanum, Florentinum, Marcianum, Callistratum, Ermogenem, Venulcium, Tryphonium, Medianum, Celsum, Proculum, Modestinum; Assessores autem ipsius dicit Paulum, & Vlpianum; Spartianus hunc Papinianum ab Antonio Caracalla, qui fratrem interfecerat, cùm ab illo factum hoc improbaretur, necari iussisse scribit, vndè fertur cum raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædiuinasse dicentem, stultissimum forè, qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam ven-

dicaret; Papinianus itaque securi percussus est, & à militibus occisus, quo facto Imperator percussori dixit gladio te exequi oportuit iussum meum.

Inuito eo] inuitus autem dicitur, qui per vim aliquid facit, non libenter, tergiuersans, contrà voluntatem, repugnans, coactus, l. filiusfamilias supr. de procurat. l. inuitum infr. de seruitut. vrban. prædior. l. in eo, §. primo infr. de rit. nupt. l. inuitus, & ibi Bartol. Cod. de procurat. inuitusque duobus modis sumi potest, qui scilicet omninò non vult, & qui coactus non vult l. si metus infr. de acquirend. hæredit. trad. Cuiac. lib. 2. obseruat. cap. 24.

28 Iniuria est] † exhæredatio enim est nota quædam, & iniuria l. non est enim supr. hoc titulo l. filius non impeditur in principio infr. eodem iniuria enim est, quod non iure fit l. prima infr. de iniur. Vndè Cicero probri loco obijcit Antonio, quod examicorum testamento nullam accepisset hæreditatem, sicut è con-

29 uersò † institutio est honor; Quare Cicero pro Quintio ait, hæredem reliquit hūc Quintium, vt ad quem summus mœror morte veniebat, ad eumdem summus honor quoquè perueniret, & Valer. Max. libro septimo, capit. septimo inquit, consideremus testamenta, quæ honorem hæreditatis transferunt.

Si quis] filius scilicet exhæredatus,

30 vel præteritus, † illis enim competit querela l. 3. supr. hoc tit. nostro.

Dereliquerit] vel renunciando liti, vel non comparendo in termino sibi præfixo, vt per Odofred. hic.

Rescriptum est] à viris scilicet prudentibus, vt per Odofred. hic.

Ad §. Papinianus, & ad §. si quis in militia.

§. Papinianus libro secundo responsorum ait, contrà veterani patrisfamilias testamentum esse inofficiosi querelam, & si ea sola bona habuit, quæ in Castris quæsierat.

§. Si quis in militia fecerit testamentum, & intrà annum post militiam decesserit: dubito, an quia ad hoc vsquè temporis iure militari testamentum eius valet, querela inofficiosi cesset, & potest dici querelam inofficiosi cessare.

SVMMARIVM.

1 *Querela inofficiosi datur aduersus testamentum militis veterani, qui sit pater familias.*

2 *Milites habeat priuilegium testandi absquè vlla solemnitate, & num. 15.*

3 *Querela inofficiosi non datur contrà testamentum militis, dum est in militia etiam si à milite intentetur, & nu. 13.*

4 *Veterani liberam testamenti factionem habent de bonis, quæ in castris quæsierunt.*

5 *Causa fauoris cessante debet etiam cessare ipse fauor.*

6 *Miles dum extra militiam testatur, debet seruare iuris communis dispositionem.*

7 *Querela inofficiosi non datur aduersus testamentum filij familias militis veterani, & num. 10.*

8 *Querela inofficiosi datur ijs tantum, qui ab intestato bonorum possessionem sint habituri.*

9 *Filius familias cum hæreditatem non habeat, nec etiam hæredem ab intestato habere potest.*

10 *Bona filij familias militis decedentis sinè testamento possidentur à patre iure peculij.*

11 *Filijs familias non est licitum filios parentesvè suos sinè iusta causa priuare rebus à se quoquomodo quæsitis.*

12 *Filij familias non possunt testari dè Castrensibus, vel quasi, nisi assignata filijs, pa-*

parentibus vè legitima.

13 *Querela inofficiosi non datur aduersus testamētum militis infrà annum post missionem à militia decedentis.*

14 *Miles per praeteritionem filij censetur illum exheredare.*

15 *Miles exhaeredando non tenetur reddere causam exhaeredationis.*

16 *Inter armorum strepitus verba iuris ciuilis audiri non possunt.*

17 *Militum priuilegia in testando non competunt veteranis.*

18 *Testamentum factum in militia valet iure militari infrà annum.*

19 *Falcidia non detrahitur ex testamento militis decedentis infrà annum post missionem.*

20 *Querela inofficiosi nihil disputat de viribus testamenti.*

21 *Querela inofficiosi tangit personam testatoris, & eam accusat, quod testamentum iniquè ordinauerit.*

22 *Milite à militia misso, omnia eius munera personalia illicò extinguuntur.*

23 *Querela inofficiosi principalitèr tāgit personam testatoris, secundariò destruit ipsum testamentum.*

24 *Veterani milites qui nàm sint, & quomodo in text. nostro sumantur.*

25 *Veterani à tutela excusantur.*

DE querela inofficiosi an competat in testamento à militibus facto tractatur hic in §. nostro, & sequenti, agiturquè etiam in l. si instituta §. de inofficioso infr. eodem, in l. testamentum militis, & in l. fin. C. hoc tit. nostro, quae iura hic pro concordantibus adduci possunt.

1 Querela † inofficiosi competit aduersus testamentum factum à milite Veterano, qui paterfamilias sit, licèt enim aliàs
2 milites † insigni priuilegio donati sint, vt in vltima eorum voluntate nulla solemnitate opus sit, sed simplex, & nuda mentis testatio, & voluntatis declaratio sufficiat l. 1. infr. de milit. testament. adeò vt
3 querela † inofficiosi eorum voluntas subuerti non possit, quamuis milites sint, qui eam proponant l. si instituta §. de inofficioso infr. hoc titulo nostro, & l. de inofficioso Cod. eodem. Veteranis tamen huiusmodi priuilegium non competit, nam
4 etsi † de bonis, quae in castris quaesierant liberam habeant testamenti factionem l. si à milite §. fin. infr. de milit. testament. contrà tamen eorum testamentum inofficiosi querela datur, & ratio est, quia tūc cessat causa fauoris, iusta nempè armo-
5 rum occupatio, quarè † & fauor ipse cessare debet l. fin. vbi Bald. C. qui ad libert. peruen. non poss.

Declaratur primò vt vera sit haec conclusio, etiam si veteranus iste miles ea tātùm bona habeat, quae in castris parauit,
6 vt in textu nostro, quandò enim † miles extrà militiam testatur, tunc secundum iuris communis obseruationem disponere debet, cum non liceat iure militari testari, nisi testamentum fiat expeditionis tempore §. illis autem Instit. de milit. testament. l. penult. Codice de testament. milit.

Declaratur vlterius conclusio, de qua suprà, vt vera sit in Veterano, qui paterfa-
7 milias sit, vt hic in text. † secùs verò in veterano milite, qui filius familias sit, si enim testamentum fecerit de Castrēsibus, vel quasi, non poterit rescindi per querelam inofficiosi l. fin. C. hoc titulo nostro, l. cum lege C. de Episcop. & Cleric. & l. fin. C. qui testam. fac. poss. ratio est in prō-
8 ptu, quia † querela non datur nisi his, qui ab intestato bonorum possessionem sunt habituri l. posthumus, & ibi diximus
9 supr. hoc titulo nostro, at † filiofamilias cum haereditatem non habeat, nemo ab intestato succedit, vt etiam superiùs in principio huius legis est dictum numero
10 11. verùm † bona à patre possidentur iure peculij l. 2. infr. de Castr. pecul. ideòquè si de Castrensi, aut quasi Castrensi peculio filius familias testatus sit, hoc est de ijs, quae in Castris, vel stipendijs publicis quaesiuit l. prima, §. hoc autem infr. ad trebell. Senat. Cousul. l. 1. §. nec castrense

infr. de collat. bonorum, huiusmodi te-
stamentum quamuis sit factum cessante
belli necessitate non patitur querelam in-
officiosi testamenti dicta l. testamentum,
& dicta l. fin. Codice hoc titulo nostro;
Hodiè autem istud correctũ esse dici po-
11 test, quia non † licet filijs familias filios,
parentesuè suos sine iusta causa priuare
rebus à se quoquomodo quæsitis § aliud
quoquè, & §. sancimus in Authent. vi cũ
12 de appellat. cognosc. nec aliter † filij fa-
milias de peculijs castrensibus, vel quasi
testari possunt, quàm assignata filijs, pa-
rentibusuè legitima Auth. præsbiteros C,
de Episcop. & Cleric.

13 Querela † inofficiosi non datur aduer-
sus testamentum militis, qui infrà annum
post missionem à militia decesserit, mili-
tes enim cum pro communi salute mili-
tent, & per eos aduersus hostium iniu-
rias publicus status conseruetur, insigni-
bus priuilegijs sunt decorati, & præci-
puè hoc, quod licet exhæredauerint, vel
prætererint filios, siuè testamentum sit
factum iure communi, siuè iure militari,
non tamen inofficiosum redargui possit
dicta l. si instituta §. de inofficioso infr.
hoc titulo, & dicta l. de inofficioso, & l. te-
stamentum Cod. eodem in tantùm, vt
nec etiam miles possit redarguere testa-
mentum militis tamquàm inofficiosum,
vt in dicta l. si instituta §. de inofficioso, &
tantùm est priuilegium testamentis mi-
14 litum concessum, vt † etiam si prætere-
rint eum, quem sciunt se habere filium
exhæredasse videantur l. sicut certi, Cod,
15 de testament. milit. † exheredationis cau-
sas vlterius reddere non teneantur; & ad
hoc, vt maiorem habeant de rebus suis
statuendi potestatem, & testentur quo-
modo vellint, aut quoquomodo possint,
nullis iuris solemnibus, aut legibus obli-
gantur, vt in l. prima, & passim in tot. ti-
tulo infr. & Cod. de milit. testament. Vn-
dè Caius Marius cùm argueretur, quod
in ipsa acie quasdam Camertium cohor-
tes Ciuitate donasset, factum excusauit,
16 quod † inter armorum strepitus verba
iuris ciuilis audire non potuisset, vt refert
Valer. Maxim. libro quinto, capit. secun-
do, quæ omnia sine dubio militibus con-
cessa sunt, quamdiu sunt in militia §. sed
hactenus Institut. de milit. testament.
17 quarè veteranis hæc priuilegia non com-
petunt, si quod tamen in militia testa-
18 mentum fecerint † valet etiam iure mili-
tari infrà annum dicto §. sed hactenus, &
ideò de inofficioso redargui non potest,
vt hic, quod tamen in dubium reuocauit
Vlpian. Iur. Consult. dum dixit, si quis in
militia fecerit testamentum, & intra an-
num post militiam decesserit, dubito, an
quia ad hoc vsquè tẽpus iurè militari eius
testamẽtum valet, querela inofficiosi ces-
set. Sed cum omnia iura affirment, pri-
uilegia hæc militibus concessa durare per
annum etiam post missionem, quid po-
tuit mouere Vlpianum ad dubitationẽ?
nam videmus, quod in testamento mili-
tis post militiam, sed intra annum dece-
19 dentis, † nulla fit quartæ falcidiæ dedu-
ctio, perindè ac si in ipsis castris mortuus
esset, vt respondit Marcellus in l. si miles
infr. ad l. falcid. poterimus fortassè cum
Conan. lib. 9. comment. iur. ciuil. capitulo
octauo in fin. rationem dubitandi exco-
gitare, quia priuilegia concessa sunt te-
stamentis militum, quibus consultum
est, vt suam vim illo anno habeant ad-
uersus iuris communis solemnia, quibus
destituuntur, & ideò quarta falcidia in-
frà illum annum in eo locum habere non
potest, cum partem ipsius testamenti de-
struat, quod non euenit in querela in-
20 officiosi, † quæ de testamenti viribus ni-
hil disputat, cum fateatur secundum iu-
ris ciuilis regulas probè esse confectum,
21 sed † tantum personam testatoris petit,
quam accusat, quod contrà naturæ pie-
tatem testamentum ordinauerit, vndè
ab hac accusatione non videtur exem-
ptus ille, qui ampliùs non est miles,
per eam enim non testamenti, sed per-
sonæ testatoris error arguitur, sicut vide-
22 mus, † quod in milite post militiam om-
nia eius munera personalia extinguun-
tur

tut illicò, prout quod alios accusare, alienas causas defendere non possit, nec ab alijs, quàm à iudicibus suis castigari valeat, quæ omnia, & similia, quæ eius personam tangunt, statim ac à militia missus est extinguuntur, vt per Cónan. vbi suprà, ex similitudine ergò rationis videbatur idem dicendum esse, & in querela inofficiosi, vt ea miles continuò post militiam teneatur, quia ta-
23 men hæc querela † licet primordialiter personam testatoris attingat, secundariò tametsi etiam testamentum euertit, cum illud rescindat, ideò statuitur, quod hoc casu non sit locus querelæ, & hæc potuit esse ratio dubitationis apud Vlpianum.

Veterani patris familias.] † veterani milites dicuntur, qui per viginti annos in legione, vel vexillatione militauerunt, vt per Cruceum hic, de istis tamen non debet intelligi text. noster, quia isti etiam veterani dicuntur, etsi nondum militia sint soluti, sed veteranos milites in textu nostro interpretari debemus eos, qui postquàm per plures annos in militia seruierunt, deposita militia, velùt rude donati ad proprias domos redierunt, quò ab armis sacramento soluti honestè ferientur l. 1. 2. & tot. titul. infr. de veteran. l. fin. C. hoc tit. nostro, & l. veteranis C. quand. prouoc. non est necesse, & ideò à tutela excusantur l. 1. & 2. Cod. de excusat. veteranor.

Si quis] miles scilicet, non veteranus à militia dimissus, vt suprà.

Intrà annum] missionis scilicet.

Ad §. sed neq. impuberis, cum duobus sequentibus.

§. Sed neq; impuberis filij mater inofficiosum testamentum dicit, quia pater ei hoc fecit: & ità Papinianus respondit; nec patris frater, quia filij testamentum est, ergo nec frater impuberis, si patris non dixit. Sed si in patris obtentum, nec hoc valebit: nisi si pro parte patris rescissum est, tunc enim pupillare valet.

§. Si quis mortis causa filio donauerit quartam partem eius, quod ad eum esset peruenturum, si intestatus paterfamilias decessisset: puto securè eum testari.

§. Si quis impuberi filio substituit, secundas tabulas faciendo: non ob hoc admittimus ipsum impuberem ad inofficiosi querelam.

SUMMARIUM.

1 *Persona quorum testamentum querelæ inofficiosi non subiacent sunt duplicis generis.*
2 *Querela inofficiosi non datur matri aduersus testamentum filij impuberis.*
3 *Pupillaris substitutio dicitur testamentum impuberis.*
4 *Pupillaris substitutio non potest fieri à patre, nisi sibi prius faciat testamentum.*
5 *Pupillaris substitutio est pars, & sequela testamenti paterni, & numero 24.*
6 *Querela inofficiosi non datur vxori aduersus testamentum mariti.*
7 *Exhæredatio, & præteritio iniuriam inferunt præterito, & exhæredato, & numero 26.*
8 *Querela inofficiosi eo colore est introducta, quod qui testamentum ordinauit non videtur sanæ mentis fuisse.*
9 *Querela inofficiosi fundata est in iniuria.*
10 *Pater & filius eadem persona dicuntur.*
11 *Vox patris vox filij dicitur & è contrà.*
12 *Filius familias de iure Digestorum nulla bona propria habere poterat, quam Castrensia, vel quasi.*

 Filius

13 *Filius familias adhuc pupillus non potest acquisiuisse bona Castrensia, vel quasi.*

14 *Ius pupillariter substituendi moribus est introductum.*

15 *Quod moribus est introductum, paulatim à populo, & quandoquè indiscretè inducitur.*

16 *Lex scripta fit cum magna consultatione, deliberatione, & maturo consilio.*

17 *Querela inofficiosi non datur patruo aduersus testamentum nepotis impuberis etiā turpi persona instituta.*

18 *Frater regulariter non admittitur ad querelam inofficiosi, nisi turpi persona instituta.*

19 *Querela inofficiosi vltra fratres cœteris cognatis non competit.*

20 *Querela inofficiosi non datur fratri aduersus testamentum fratris impuberis.*

22 *Testamentum quamuis, vt inofficiosum rescindatur, reliqua tamen dispositiones in eo contenta de iure nouo firma manēt.*

23 *Querela inofficiosi non competit filio, qui legitimam à patre ex causa donationis siuè causa mortis, siuè inter viuos habuit.*

Fallit de iure nouissimo Authenticorum.

24 *Legitima hodiè filys relinqui debet iure institutionis aliàs testamentum est nullum.*

25 *Institutio honor est.*

Legata, donationes causa mortis, & similia honores sunt.

27 *Filius institutus in portione iure naturæ sibi debita potest per ius accrescendi consequi alterius cohæredis portionem vacantem.*

28 *Querela inofficiosi non datur filio impuberi ob pupillarem substitutionem sibi à patre factam.*

29 *Pupillaris substitutio est prouisio pro filio non onus.*

30 *Testamentum patris, qui pupillariter filio substituit officiosum dicitur.*

31 *Testamentum nullum est, cum ex eo filius non habet legitimam portionem.*

32 *Impubes propriè qui nam sit.*

33 *Mater præterita à filio potest agere querela inofficiosi.*

34 *Papiniani Iureconsulti Encomia.*

35 *Mortis causa donatio quanam sit.*

36 *Quarta pars quæ filys debetur legitima appellatur.*

37 *Tabula testamentum significant.*

1 DVo† sunt genera personarum, quibus
proprio, & singulari iure tributum
est, vt eorum testamenta querelę inofficio-
si non subiaceant, suntq; isti Milites, & Im
puberes, vt inquit Donell. lib. 19. comm.
iur. ciuil. c. 5. col. 2. de militibus iam est tra
ctatum in duobus textibus antecedētibus,
nunc de Impuberibus in §. nostro cū duo-
bus sequentibus est agendum. Concordat
autem cum tex. nostro l. humanitatis vers.
vt occasione huiusmodi C. de impub. &
al. substit.

2 Aduersus † testamētum impuberis ma-
ter numquam agere potest querela inoffi-
3 ciosi testamenti, testamentum autem † im-
puberis vocamus pupillarem substitutio-
nem, cum pater scilicet filio suo impuberi,
quē in potestate habet hæredem substituit
in hunc casum, si impubes intrà pubertatē
decesserit, vt declaratur in princip. Instit.
de pupil. substit. vbi quę initio dicitur sub-
stitutio pupillaris paulò post vocatur im-
4 puberis testamentum; † quod quidem im-
puberis testamentum à patre fieri non po-
test, nisi prius, & sibi ipsi testamentum fa-
ciat, & ideo si corruat testamentum pater-
num, corruit etiam & pupillaris substitu-
5 tio, † cum pars & sequela sit testamenti pa-
terni §. liberis Instit. de pupil. substit. si ita-
què pupillaris substiturio à patre filio sit
facta, in qua pręterita matre substituti sint
extranei, mater non poterit agere querela
inofficiosi aduersus istos substitutos, & ra-
tio in text. est assignata, quia filius sibi ipsi
hoc testamentum non fecit, sed pater id ei
6 fecit, † cum itaquè vxori non detur querela
inofficiosi aduersus testamentum à mari-
to factum, igitur mater non habebit que-
relam contra substitutionem pupillarem;
Optima certè est hæc ratio à Iureconsulto
hic excogitata, quia vt aliàs superiùs in
7 principio l. nostræ num. 3. est dictum, † pręteritio, & exhæredatio iniuriam inferunt
pręterito, & exheredato, vndè qui hoc mo-
dò ab hæreditate exclusi sunt, queruntur

sibi

sibi à testatore iniuriam hanc factam esse, vt superius in dicto princip. l. nostri firmatũ fuit, facit tex. in §. siuè igitur, & in §. hęc autem in Auth. vt cum de appell. cognosc. at Impubes quamuis extraneus hæres ei substitutus sit matre prætcrita, nullam tamen ipsi matri in hoc testamẽto iniuriam facit at nec potest, non enim ipse sibi, sed pater ei hoc testamẽtum fecit, meritò igitur dicendum est aduersus hoc testamentum, tamquam ob iniuriam ab impubere factam, nullam querelam inofficiosi esse posse, aut debere matri concedi; Vel alia ratio ad textum nostrum excogitari potest ex mente Hugon. Donell. d. c. 5. col. 2.

8 quia † scilicet querela inofficiosi eo colore datur, quod qui testamentum ita ordinauit, vt esset inofficiosum, non videtur sanæ mẽtis fuisse, cum excluserit eos, quos pręcipuè ad bona sua vocare debebat l. hoc colore, & l. nam & hic §. fin. supr. hoc tit. nostro, at istud impuberi in hac pupillari substitutione nequaquã obijci potest, quia pater illi hoc testamentum fecit, non ipse sibi, ergo etiam hac ratione dici potest nullam inofficiosi querelam matri in pupillari substitutione dari posse, quarè mater nullo modo hoc casu agere poterit querela

9 inofficiosi testamenti, cum † hęc querela fundetur in iniuria, vt dictum est, quàm se passam Mater probare non potest, si enim dicat patrem impiè, moreque insanorum testatum esse, excludetur à querela, nam impium non est vxorem præterire, nec reperitur quod vmquam vxori aduersus testamentum mariti competat querela inofficiosi, si verò dicat impuberem impiè testatum vtiquè etiam excludetur, quia rẽ vera non impubes, sed pater testamentum fecit. Sed certè hæc videtur esse captio quædam ab æquitate legum aliena, vt inquit Vasq. de success. progress. lib. 2. §. 17. num. 94. cur enim non interpretamur, (vt etiam alias fit) pupillum per patrem testa-

10 tum per se ipsum testasse videri? cum † maximè patris, & filij eadem persona finga-

11 tur l. fin. C. de impub. & alijs substit. † & vox patris, vox filij intelligatur, & è conuersò §. ei verò Instit. de inutil. stipul. Rè vera tamen hęc non potest dici captio, nec

12 aliena est ab æquitate legum, † nam filius familias de iure Digestorũ nulla propria bona habere poterat, quam Castrensia,

13 vel quasi, & huiusmodi bona † filius adhuc pupillus quærere non potuit, in hæreditate ergò ipsius nulla bona reperiuntur nisi paterna, quæ æquissimum est, vt secundum voluntatem patris disponantur, qui vxori ea denegare potuit, & nulla impietate vsus videtur, vel dicamus cum Vasq.

14 vbi supr. num. 95, quod cum † ius pupillariter substituendi moribus nõ lege scripta fuerit introductum, ideò I. C. in §. nostro necessitate compulsus hanc captionem, de qua in text. nostro admittit, vt sic tueatur ius illud pupillariter substituẽdi, quod moribus, nec satis firma ratione est inductum,

15 quòd † enim morib. est introductum paulatim à populo inducitur, & sæpè indiscretè, nec ita rationi subiacet, vt lex scripta,

16 qua † cum magna consultatione, deliberatione, & maturo cõsilio fit l. humanum, & l. dignum C. de legib. c. erit autem lex 4. distinct. nil mirum ergò si Iureconsultus in casu §. nostri, vt tueatur pupillarem substitutionem excluserit matrem à querela inofficiosi testamenti.

Extenditur hæc conclusio, quæ de matre loquitur, vt locum etiam sibi vendicet

17 in fratre patris, & ità in patruo † pupilli, qui præteritus sit in hac pupillari substitutione, in qua vocata sit persona turpis, vel aliàs inhonesta, aliàs enim de indubitabili

18 esset tex. † cum frater ad querelam, non admittatur nisi turpi persona instituta, vt superius in l. 1, huius tit. dictum fuit, & habetur in l. fratres C. hoc tit. nost. huic enim fratri patris, & sic patruo pupilli non datur querela, nam si volumus, quod veniat cõtrà hoc testamentum, tamquam contrà testamentum fratris, excluditur, cùm vt in tex. habetur, filij testamentũ sit, licet enim à patre ordinetur, ipsius tamen filij est, vndè patris erit factione, re vera tamen erit ipsius pupilli, vt potè quia in eo de solius impuberis hæreditate agitur, si verò velimus, quod veniat tamquam contrà testamentum nepotis, nec etiam hoc casu que-

rela

19 rela competere potest, † nam vltrà fratres
cæteris cognatis denegatur hæc querela,
vt in dicta l. 1. supr. eod. facit text. in l. fra-
tris, vel sororis C. eod.
Sed oritur hic dubium quid dicendum
sit, si frater pupilli exclusus, & ipse fuerit
turpi persona instituta, an possit dicere in-
20 officiosum hoc pupilli testamentum, † &
negatiuè pariter respondet Vlpian. dicens
ergò nec frater impuberis, quasi velit di-
cere, sicut mater non admittitur ad quere-
lam, vt supra est dictum, quia pater fuit,
qui fecit testamentum, non filius, ità nec
etiã frater eadem ratione admitti debet,
re vera tamen hac ratione non potest dici
querelam hoc casu fratri non competere,
cum diuersa sit ratio inter matrem, & fra-
trem; Mater namquè potest accusare testa
mentum tantum, quod sibi fecit filius, nõ
autem quod fecit maritus, at frater potest
accusare testamentum, quod fecit, vel pa-
ter, vel frater, & sic mater non poterit ac-
cusare factorem testamenti, quia sibi ma-
ritus est, frater verò potest accusare facto-
rem testamenti cum sibi pater sit, vt per
Cuiac. hic col. 4. Ad distinctionem itaq;
cum Cujac. hoc casu recurrendum erit, &
quidem ex verbis text. nostri, & dicamus
quod aut frater non dicit inofficiosum te-
stamentum principale patris sui, aut verò
illud de inofficioso arguit, si nõ dicit inof-
ficiosum testamentum paternum, vt putà
quia in eo fortè sit institutus, tunc nec etiã
inofficiosum debet dicere testamentum
fratris, cum ipse sibi testamentum non fe-
cerit, si verò dicat inofficiosum testamen-
tum patris, rursus subdistinguendum est,
aut totum paternum testamentum quere-
la rescindit, quia scilicèt pater ambos fi-
lios exhæredauerat, aut verò pro parte tã-
tum, quia solum puberem exhæredauit,
impuberem verò instituit, & ei pupillari-
ter substituit, primo casu si per querelam
rescindat totum testamentum paternum,
in consequentiam rescindit etiam pupilla-
21 rem substitutionem, cum illa sit pars & se-
quela testamenti paterni, itaut si non va-
leat paternum, nec ipsa pupillaris substitu-
tio valere possit dicto §. liberis Instit. de
pup. substit, & sic hoc casu non eget quere-
la inofficiosi aduersus testamẽtum fratris
impuberis, si verò paternum testamẽtum
pro parte tantum rescindit, tunc pupillaris
substitutio tenet, & si turpis persona sit in-
stituta, particularis querela contrà ipsam
pupillarem substitutionẽ intentari debet.
Declaremus autem textum, & distin-
ctionem suprà propositam, dum in ea di-
citur, quod si rescindatur totum paternum
testamentum, rescinditur etiam & pupil-
laris substitutio, vt id non procedat de iu-
22 re nouo, ex quo † licet testamentum re-
scindatur tamquam inofficiosum, reliquæ
tamen dispositiones in eo contentæ firmæ
manent, vt in §. Aliud & seq. & §. siuè igi-
tur in Auth. vt cum de appellat. cognosc.
Auth. ex causa C. de lib. præter.
23 Filius † qui quartam debitæ portionis,
quam ab intestato consecuturus esset, ca-
pit à patre per mortis causa donationem,
non potest amplius querelam aduersus te-
stamentum patris intentare, vt hic in §. si
quis mortis causa, iam enim pater officio
pietatis functus est, ei donando portionẽ
sibi iure naturæ competentem, ideò non
potest argui, quod inofficiosè contra fi-
lium suum processerit, quod etiam euenit
si inter viuos eamdem portionem dona-
uerit, vt in l. si nõ mortis infr. hoc tit. nostr.
Quænam autem sit hæc quarta, de qua
mentio habetur in hoc tex. & quo iure de-
beatur, quomodoquè appelletur videbi-
mus infr. in §. quoniam, & in §. quarta hu-
jus legis nostræ. Hoc tamen, quod in §. no-
stro disponitur hodiè iure nouissimo Au-
thẽticorum correctum est, nam in §. Aliud
quoquè capitulum in Auth. vt cum de ap-
pell. cognosc. illud voluit Iustinianus Im-
24 perator, † vt portio legitima filijs debea-
tur titulo institutionis in testamento, aliàs
nullum sit testamentum, idquè cum ratio-
25 ne factum est, non quidem ea sola, † quia
institutio sit honor, nam etiam legata, fi-
deicommissa, & donationes causa mortis
honores sunt, vt inquit Cuiac. infr. in hac
l. nostra in §. quoniam autem in princip.
Sed nè filius exhæredatione, aut præteri-
26 tione temerè notetur, exheredatio † namq;
est

est nota, & iniuria, vt supra in princip. l. nostræ num. 2. dictum fuit, quam notam, & iniuriam non delet honor legati, fidei. commissi, vel donationis causa mortis; quare aut filius cum causa iusta, & legitima est exhæredandus, aut verò saltem in legitimam portionem est instituendus, nec id solum ob honorem ipsius filij, sed
27 etiam ob vtilitatem, nam † si institutus sit in sua portione, poterit consequi per ius accrescendi portionem alterius cohæredis vacantē l. 1. §. si ex fundo infr. de hæredib. instit. l. fin. C. quand. non pet. part. pet. accresc. tradit Didac. Spin. in suo specul. testam. glos. 7. principali num. 29. & 30.
28 Querela † inofficiosi nō datur filio impuberi propter pupillarem substitutionē sibi à patre factam, vt hic in §. si quis im-
29 puberi, & ratio est † quia pupillaris substitutio nō est onus, quod filio impositum sit, sed est prouisio vt inquit Odofred. hic ex l. ex tribus, C. hoc titulo nostro de inof.
30 ficios. testament. officiosum † namque dicitur istud testamentum patris, non inofficiosum, cum in eo pupillariter filio substituit, & sic non solum sibi, sed filio impuberi testatus sit, vt inquit Eman. Cost. ad cap. si pater part. 2. in verb. debitę nu. 14. de testam. lib. 6.

Hæc conclusio debet ità declarari, vt intelligatur de filio impubere, qui iam legitimam portionem ex testamento patris habuerit titulo institutionis, vt suprà di-
31 ctum fuit, aliàs enim † si ex testamento nō habuisset legitimam portionem, nullum esset ipsum testamentum, vel si in omnibus bonis institutus esset, inofficiosum nō posset dici testamentum, intelligamus ergò in eo impubere, cui sola legitima relicta sit, & in ea sibi facta fuerit substitutio, ad hoc vt textus de dubitabili sit l. quod labeo infr. de Carbon. edict. l. ancillæ C. de furt.

Sed nec impuberis] quasi dicat non solum in casu, de quo suprà cessat querela, sed etiam in hoc casu, & dicamus Impuberis, instituti scilicet, cui facta sit substitutio pupillaris, vt in princip. Instit. de pupill. substit. & in l. 1. infr. de vulg. & pup. Impuberem autem appellat I. C. minorem 25. annis, Puberem verò maiorem in l. Impuberibus infr. de acquir hæ-
32 redit, sed vtrumque impropriè, † Propriè enim impubes, vel impuber est, qui decē & quatuor annos non expleuit, si masculus sit, si verò fœmina, quæ duodecim annos nondum compleuit, vt in princip. Instit. quib. mod. tut. finir.

Pater ei hoc fecit] nam si filius fecis-
33 set, † tunc mater si esset præterita posset agere inofficioso l. nam etsi parentibus in princip. infr. eod.
34 Et ità Papinianus respondit] † Papinianus fuit inter Iurisconsultos longè celeberrimus, de quo suprà est dictum in princip. huius legis sub num. 27.

Sed si in patris obtentum est] idest querela cōtrà testamentum patris est intentata, & obtentum est.
35 Si quis mortis causa] † donatio mortis causa est, cū quis ità mortis, imminentisvè periculi cogitatione donat, vt habere se malit, quam eum cui donat, magisq; eum cui donat, quam hæredem suum l. 1. cum seq. infr. de mort. caus. donat.
36 Quartam partem] † quę quarta pars dicitur legitima portio Auth. si qua mulier, C. de sacros. Eccles. Auth. res quæ C. commun. de leg. & l. si quis in suo C. hoc tit. nostr. dicemus nos infr. in §. seq. nu. 2.

Secundas tabulas faciendo] idest substituendo l. 1. & 2. infr. de vulg. & pup.
37 tabulæ † enim propriè testamentum significant l. 1. §. hoc interdum infr. de tabul. exhibend. & l. 1. §. 1. infr. quemadm. testam. aper. vndè posteà bonorum possessiones secundum tabulas, & contrà tabulas dictæ sunt; Tabulæ etiam dicuntur folia testamenti, quarè, teste Budæo, primæ, & secundæ tabulæ intelligi possunt prima, & secunda charta testamenti, in textu tamen nostro pro secundis tabulis intelligamus nos secundam institutionem, & sic substitutionem.

Ad

Ad §. Quoniam autem, cum sequenti §.

§. Quoniam autem quarta debitæ portionis sufficit ad excludendam querelam: videndum erit, an exhæredatus partem faciat; qui non queritur, vt putà sumus duo filij exhæredati, & vtiquè faciet, vt Papinianus respondit, & si dicam inofficiosum, non totam hæreditatem debeo, sed dimidiam petere. Proindè & si sint ex duob. filijs nepotes; ex vno tres pu tà, pluresvè, ex vno vnus: vnicum sescuncia, vnum ex illis semuncia querela excludit.

§. Quarta autem accipietur scilicet deducto ęre alieno, & funeris impensa. Sed an & libertates quartam minuant, videndum est: & numquid minuant, nā si cum quis ex asse hæres institutus est, ideò nō potest dicere inofficiosum testm̄, quia habet falcidiā: (Falcidia autē libertates nō minuit) potest dici, deductis libertatibus quartam ineundam. Cum igitur placet quartam minui per libertates; eueniet, vt qui seruos tantum habet in patrimonio suo, dando eis libertatem, inofficiosi querelā excludat: nisi fortè hic filius, si nō fuit in potestate patris, à patre hęres institutus, meritò omittet hæreditatē, & ad substitutum trāsmittens, querelā inofficiosi instituet; vel ab intestato, citrà edicti pęnam habeat hęreditatem.

SVMMARIVM.

1 *Filius dum habet quartam partem eius, quod ab intestato habiturus esset, non potest agere querela inofficiosi aduersus testamentum patris.*

2 *Portio, quæ filijs de necessitate debetur ex bonis paternis, quibus nominibus nuncupetur, cum numeris sequentibus.*

3 *Legitima communiori nomine appellatur portio filijs debita, & num. 61.*

4 *Legitima quarè ità dicta fuerit.*

5 *Falcidia etiam dicitur portio filijs debita, & quarè.*

6 *Bonorum subsidium appellatur portio, quæ filijs debetur, & qua ratione.*

7 *Debita pars, vel debita portio dicitur id quod debetur filijs ex bonis patris, & cur.*

8 *Debitum iure naturæ, siuè debitum naturæ dicitur portio filijs debita, & quarè.*

9 *Quarta bonorum dicitur etiam portio filijs debita.*

10 *Portio minuscula dicitur aliquando portio filijs debita, & qua ratione.*

11 *Triens, vel semis hodiè secundum numerum filiorum dicitur portio, quæ illis debetur*

12 *Tres sunt species personarum, quibus legitima deberi potest.*

13 *Legitima filiorum olim triens erat, hodiè verò secundum numerum filiorum aucta est, & num. 36. & 61.*

14 *Legitima Parentum olim quadrans erat, hodiè verò modò triens, modò semis.*

15 *Legitima fratrum, & olim, & hodiè quadrans est.*

16 *Legitima in successione debita, secundum aliquos ex l. falcidia est introducta.*

17 *Falcidiæ nomine generaliter quęlibet quarta significatur.*

18 *Legitima secundum alios iure naturæ fuit introducta.*

19 *Hæreditas, & successio tota de iure naturæ liberis, vel parentibus est debita.*

20 *Ius ciuile non potest mutare ea, quæ sunt iuris naturæ.*

21 *Legitima secundum aliquos, à lege Glicia est introducta.*

Querela inofficiosi à dicta l. Glicia introducta fuit.

22 *Legitima de iure ciuili est introducta.*

23 *Querela inofficiosi morib. introducta fuit.*

Le-

24 *Legitima parentibus debetur de iure ciuili natura ordine turbato.*

25 *Legitima filij in bonis matris, & è conuersò est debita ex Senatusconsulto Tertulliano, & ex Senatusconsulto Orphitiano.*

26 *Legitima olim quocumquè titulo relinqui poterat, hodiè autem iure tantùm institutionis relinquitur, aliàs testamentum est nullum.*

27 *Legitima titulo institutionis relinqui debet, nō tantum propter honorem, verum etiam propter vtilitatem.*

28 *Legitima minus si quid titulo institutionis sit relictum, agi potest ad supplementum, & testamentum vales.*

29 *Legitima fratribus quocumquè titulo relinqui potest.*

30 *In legitimam imputantur ea omnia, quæ ex bonis defuncti quoquomodo capiuntur, dummodò filij institutionis titulo honorati sint.*

31 *Exhæredatus in testamento patris, si non queritur de inofficioso testamento, partē facit alteri, qui agat querela inofficiosi, dum agitur de sua quarta æstimanda.*

32 *Legitima non est quarta totius hæreditatis, sed eius tātum portionis, quam quis ab intestato habere debebat.*

33 *Filius exhæredatus omittendo querelam pro mortuo habendus est.*

34 *Partem facere quid sit? & num. 63.*

35 *Nepotes auo in stirpes, non in capita succedunt.*

36 *Legitima accipitur de eo quod superest deducto ære alieno, & impensa funeris.*

37 *Legitima est quota bonorum, non quota hæreditatis.*

38 *Bona dicuntur ea, quæ supersunt deducto ære alieno.*

39 *Hæres nihil prætendere potest, nisi deducto prius ære alieno.*

40 *Legitima vt æs alienum reputatur ex mēte Bartoli.*

41 *Legitima non habet in quo consistere possit, si patrimoniū ære alieno absorbeatur.*

42 *Funeris impensa antè legitimam est deducenda, & ea magis priuilegiata dicitur.*

43 *Funeris impensa omne æs alienum præcedit, quandò bona non sunt soluendo. Declara id verum in impensa necessaria, vt num. 45.*

44 *Cadauera defunctorum non debent remanere insepulta.*

46 *Datio libertatum minuit patrimonium, falcidiam, & legitimam.*

47 *Libertas olim etiam legitima filiorum præferebatur, hodiè secus est, vt num. 49.*

48 *Legitima non potest per patrem à filijs auferi sinè iusta causa.*

50 *Filius ex asse hæres institutus, licet legatis oneratus sit, non potest agere querela inofficiosi.*

51 *Filius habens quartam partem eius, quod ab intestato habiturus esset, excluditur à querela, & num. 62.*

52 *Filius grauatus, quandò possit duas quartas detrahere.*

53 *Filius excluditur à legitima, & à querela inofficiosi, quandò pater omnib. seruis, quos solos in patrimonio habebat, libertatem dedit.*

54 *Cautela pro filio, nè excludatur à legitima, quandò libertates absorbent totum patrimonium.*

55 *Casus singularis, in quo competit instituto querela inofficiosi.*

56 *Hæreditate non adita, libertates data intercedunt.*

57 *Fraus fraude licitè repelli potest.*

58 *Fraudibus obuiandum est.*

59 *Pellis Leonis, quo peruenire non potest Vulpina est assuenda.*

60 *Conciliatur tex. l. nostra in §. quoniam autem cum l. qui repudiantis in principio infr. hoc tit. nostro.*

64 *Sescuncia, quanam sit.*

65 *Semuncia, quanam sit.*

66 *Aes alienum, & as nostrum, quodnam sint.*

67 *As totam hæreditatem significat.*

68 *Filius in potestate de iure ciuili est necessarius hæres, de iure vero Pretorio habet potestatem abstinendi.*

Dixit Vlpianus I. C. superius in §. si quis mortis causa, quod † cum 1 filius habet, quartam partem eius, quod ab

ab intestato habiturus esset, non potest agere querela inofficiosi aduersus testamentum patris, nunc prosequitur materiam quartæ in §. nostro, & sequenti, quæritque an filius, qui ex pluribus exhæredatus est, & non queritur de inofficioso partem faciat alijs intentantibus querelam inofficiosi, & qualiter legitima portio, seu quarta intelligi debeat.

Cum autem de portione, quæ liberis in bonis parentum debetur, hic, & in §. sequenti agatur, ideò breuiter pro intellectu istorum iurium videamus primò quibus nominibus nuncupetur hæc portio; secundò quibus cõpetat: Tertiò quanta sit; Quartò, quo iure debeatur: Quintò, quo titulo liberis, & alijs sit relinquenda; Sextò, & postremò, quæ in eam imputari debeant.

2 Et vt à primo exordiamur † portio hec, quæ filijs omninò in successione patris debetur diuersimodè in iure nostro appellatur, † communiori tamen nomine

3 legitima dicitur Authent. si qua mulier, C. de sacrosanct. Eccles. Auth. res quæ C. commun. de legat. l. omnimodò, & l. si quis in suo C. hoc tit. nostr. tradit. Bereg. Fernand. in l. in quartam in princip. 2.

4 præfat. infr. ad l. falcid. † legitimaq; dicitur per eccellentiam non solùm, quod legibus constituta sit, & filijs aliàs à reliqua, hæreditate summotis attributa, sed etiam quod sola lege constituta sit sine vllo iudicio testatoris, vt inquit Donell. libro 19. comment. iur. ciuil. capit. 4.

5 col. 9. Secundò † dicitur falcidia, vt hic in §. quarta, in Auth. Vndè si parens C. hoc tit. nostr. in l. quisquis §. ad filias C. ad l. Iul. Maiest. & in §. 1. in Auth. de immens. donat. tradit gloss. in l. quoties C. famil. Ercisc. ex eo, quod defalcatur de bonis, ex quibus debetur, quæ quidem bona in alterum transferri forsitan pater

6 disposuerit, dicitur † Tertiò bonorum subsidium l. si totas C. de inoff. donat. eò, quod is, cui debetur, ad summum eam portiunculam est habiturus, vltimumque

7 in ea refugium habeat; Quartò † debita pars dicitur, vel debita portio, vt infr. hac. ead. l. §. vndè, & l. scimus in princip. C. hoc tit. nostro, iure enim speciali liberis præcipuè debetur, vt per Berengar. vbi supr. num. 1. vel ità dicitur per eccellentiam, quia hæc portio præcipua quadam ratione liberis, vel parentibus debetur, naturæ scilicet lege quadã, quæ istis personis pietatis iure hæreditates adijcit l. nam etsi infr. eod. & l. cum ratio infr. de

8 bon. damnat. dicitur quintò loco † debitum iure naturę siuè debitum naturale §. 1. in Auth. de trient. & semiss. Auth. hoc ampliùs C. de fideicom. quod inquiunt DD. euenire, quia quodam instinctu naturali quis mouetur ad eam relinquendam §. primum itaq; in Auth. de hæred. & falcid. Quod tamen malè dicunt, nam natura liberis, vel parentibus hæreditas

9 debetur, sed natura nõ taxauit quartam, vt per Cuiac. hic col. 2. Sextò † dicitur quarta bonorum, vt in §. si quis mortis supr. hac l. & hic in §§. nostris, l. parentib. C. hoc tit. nostro, & §. si quis autẽ implens. in Auth. de hæred. & falcid. licetque hodierno iure nõ sit quarta pars bonorum, retinuit tamen nomen quartæ, quod iure veteri habuit argumento l. insula in fine

10 infr. de acquit. rer. domin. Septimò loco dicitur † portio minuscula l. si quis in suo iunct. gloss. in verb. legitimam C. hoc tit. nostr. ea ratione, quod ad minimam bonorum particulam pro numero liberorũ

11 reduci possit; Vltimò tandem † hodiè triens, vel semis dicitur secundum numerum filiorum Auth. nouissima C. de inoff. testam. §. 1. in Auth. de trient. & semiss.

Quoad secundum quibus personis detur hæc legitima nos docet I. C. in l. prima supr. hoc titul. nostr. † tres esse species

12 personarum, quibus querela inofficiosi competit, liberos nempè, parentes, & fratres, at legitima ijs personis debetur, quibus querela inofficiosi dari solet, vt per DD. in l. si quis filium C. hoc titul. nostr. trad. Bart. & alij in l. ex filio infr. de vulg. & pupill. concludamus ergò liberis, parẽtibus, & fratribus hãc quartam legitimã cõpetere, liberis scilicet primo loco, quibus extantibus, nec parentes, nec fratres legi-

legitimam petunt l. pater filium infr. hoc tit. nostr. liberis autẽ non extantibus secũdo loco ascendentibus datur l. nã & si parentibus infr. eod. istis omnibus deficientibus fratribus demum ex quodam accidenti legitima debetur, si scilicet turpis persona sit instituta l fratris, vel sororis, & l. fratres C. hoc tit. §. soror Instit. eod.

Sed iam tertium accedamus, quanta scilicet sit hæc quarta, seu legitima, & sicut tres sunt personarum species, quibus competit hæc legitima, ideò etiam tres formemus nos conclusiones; & primò
13 quoad, † liberos olim de iure Digestorum, & Codicis legitima erat quarta pars, & ità quadrãs bonorum, non attento aliquo numero filiorum, vt hic in §§. nostris, & in l. cum quæritur, & in l. parentibus C. hoc tit. nostro §. fin. Inst. eod. hodiè tamẽ istud immutatum est, aucta est enim legitima secundùm numerum filiorum, vt scilicet si sint quatuor filij, vel pauciores, sit triens, & sic tertia pars bonorum, si verò filij sint quinquè, aut plures, tunc legitima sit semis, hoc est dimidia bonorũ, §. 1. in Auth. de trient. & semiss. Auth. nouissima C. hoc
14 tit. nostr. Secundò † quoad parentes idem dicendum erit; quod olim scilicet indistinctè erat quadrans, hodiè verò secundum numerum parentum modò triens, modò semis est §. hoc obseruando iunct. gloss. in verb. omnibus in Auth. de trient. & semiss. §. nepotib. & ibi gloss. in Auth quib. mod. natur. effic. sui, ità firmant DD. in d. Auth.
15 nouissima C. hoc tit. nostr. Quoad † fratres tandem nihil immutatum est, itaut & olim, & hodiè quadrans sit legitima ipsorum fratrum, sint cuiussuis numeri esse velint, ità gloss. in dicto §. obseruando in Auth de trient. & semiss. & in dicta Auth. nouissima C. hoc titul. nostr. ità Ias. in d. l. fratres C. eod.

Videamus modò quarto loco, quo iure debeatur hæc legitima, seu quarta, & ple-
16 riquè volunt hanc † deberi ex l. falcidia, ex quo hæc quarta sæpè falcidia dicitur, vt superius est dictum, quod tamen ex mente Cuiac. non est admittendum, quia
17 generaliter † nomine falcidiæ qualibet quarta significatur, licet nõ omnem quar-
18 tam falcidia introduxerit, alij eam † iure naturæ introductam dicunt §. primũ itaq; in Auth. de hęred. & falc. l. cũ ratio inf. de bon. damnat. à natura enim introductum dicunt, vt parens ratione quadam, & instinctu naturali moueatur, vt liberis aliquam bonorum suorum portionem relinquat, gloss. & Bart. in §. 1. in Authent. de trient. & semiss. hancquè opinionem tenuit Berengar. in d. l. in quartam infr. ad l. falcid. in 3. euidentiali in princip. hæc ta-
19 men opinio non est tuta, quia † de iure naturæ liberis, vel parentibus hæreditas tota, & successio in vniuersum debetur dicta l. cum ratio infr. de bon. damnat. nec natura taxauit quartam, vt per Cuiac. hic colum. 2. prætereà si esset de iure naturæ,
20 non † potuisset mutari à iure ciuili §. sed naturalia Institut. de iur. nat. gent. & ciuil. & tamen immutata fuit, vt superius est dictum. Cuiac. hic colum. 3. fuit eius
21 opinionis † quartam hanc à lege Glicia introductam esse, à qua etiam secundum ipsum emanauit querela inofficiosi testamenti, quia tamen hanc originem querelæ superius in Rubric. nostra, numero 19. non admisimus, ideò ijsdem rationibus etiam hanc Cuiac. opinionem non probo, & tantò magis, cum ipse Cuiac. dicat hoc probabilius esse, sed tamen incertum,
22 quarè puto ego † dicendum esse à Iurisconsultorum auctoritate hanc quartam, seu legitimam emanasse, & ità à iure ciui-
23 li ortum traxisse; postquam enim † moribus introductum fuit, vt querela inofficiosi intentaretur, quemadmodum superius in Rub. huius tit. nu. 20. dictum fuit, tunc Iureconsulti ipsi naturali æquitate moti huic querelæ inofficiosi demum locũ esse statuerunt, si modò liberi hanc quartam non essent consecuti, vt hic in l. nostra in §. si quis mortis, & etiam hic in duob. §§. nostris, quam posteà auxit Iustinianus secũdum numerum filiorũ in d. §. 1. in Auth. de trient. & semiss. quod dictum sit de legitima, seu quarta quæ liberis debetur, de ea enim, quæ parentibus competit communiter DD. asserunt, eam non iure

24 naturæ parentibus deberi, sed potius† dari
naturæ ordine turbato, vt in l. nam etsi
parentibus infr hoc titulo nostro, non naturæ
voto, aut parentum l. Iulianus in fin.
infr. si quis omiss. caus. testament. sed iure
ciuili l. scripto in fin. infr. vnde liber. l.
nihil, §. primo infr. de bon. libert. & l. de
emancipatis C. de legitim. hæredit. hoc
etiam firmant DD. communiter in quarta,
quæ fratribus debetur, vt illis de iure
ciuili debita sit l. fratres C. hoc titulo nostro.
Id autem quod dictum est de legitima,
quæ iure ciuili sit introducta, intelligi
debet de ea, quæ debetur filijs ex te-
25 stamento patris, vel è contrà, nam † matri
debetur quarta in testamento filij ex
S. C. Tertulliano, & è conuerso filio in testamento
matris quatta debetur ex S. C.
Orphiciano, ex quibus Senatus Consultis
isti etiam ab intestato sibi succedunt,
vt passim habetur in tot. titulo infr. ad Senat.
Consult. Tertull. & in tot. tit. infr. ad
S. C. Orphicianum.

Sed iam ad quintum accedamus, quo
scilicet titulo quarta hæc seu legitima re-
26 linqui debeat, & quidem olim† quocumque
titulo relicta esse, id satis erat, vt supra
dictum est in §. si quis mortis causa,
hodiè tamen à Iustiniano Imperatore id
correctum fuit, voluit enim eam titulo Institutionis
omninò relinq debere §. aliud
quoque capitulum In Authent. vt cum de
appellat. cognosc. aliàs testamentum nul-
27 lum sit, quod †non solum propter honorem
introductum fuit, verùm etiam propter
vtilitatem, vt suprà dictum fuit in d.
§. si quis mortis causa numero 24. hocquè
locum habet non solum in filijs, quibus
titulo institutionis legitima relinqui debet,
verum etiam è conuersò in parentibus,
vt per Bart. in citat. §. 1. in Auth. de
trienr. & semiss. tradunt Bald. Castr. Alex.
& Ias. in dicta Authent. nouissima, C. hoc
28 titulo nostro. Idque procedit etiam† si nō
tota legitima, verùm etiam si aliquid simpliciter
titulo institutionis relictum sit,
tunc enim ad supplementum legitimę agi
potest l. omnimodò C. hoc titulo nostro,
secùs uerò si nihil iure institutionis relictum
esset, quia tunc etiam si alio titulo
quid relictum sit, rescinditur testamentū,
quasi nulla re relicta, quæ quartam, aut
quartæ partem efficiat d. §. Aliud quoque
capitulum in Auth. vt cum de appellat.
cognosc. firmat Donell. lib. 19. comment.
29 iur. ciuil. c. 4. col. 13. Circà † fratres uerò
communiter firmant DD. in l. fratres C.
eodem satis esse, quod ipsi legitimam habeant,
quocumque titulo posteà sibi relicta
fuerit, id non refert.

Vltimum tandem superest, quę scilicet
in hanc legitimam imputari debeant, &
cum Iustinianus iubeat portionem legitimam
esse propriæ defuncti substantiæ trientem,
aut semissem dicto §. 1. in Auth.
30 de trient. & semiss. dicendum erit † ea solum
in legitimam imputari, quæ ex bonis
defuncti capiuntur, quoquo relicti titulo
capiantur, ut in Auth. nouissima C. hoc titulo
nostr. dummodò filij, uel parentes titulo
Institutionis honorati sint, ut in d. §.
Aliud quoque capitulum.

His ità constitutis modò accedamus
ad text. §. quoniam autem, cum quo concordat
tex. in l. si ponas §. fin. infr. eod. &
31 ex eo firmemus conclusionem, quod† exhæredatus
in testamento patris, qui non
queritur de inofficioso, partem facit alteri,
qui agat querela; Ratio sit, quia licèt
iste nunc non queratur, potest tamen queri,
si vult, & admitti, hoc autem, quod
partem faciat alteri agenti, non simpliciter
est intelligendum, sed tunc, cum agitur
de quarta æstimanda ei, qui queritur,
32 quæ† quidem quarta legitima non debetur
totius hæreditatis nomine, quam ab
intestato quis obtinere poterat, sed solum
eius portionis, quæ sibi ab intestato obuētura
esset iure propriæ successionis, vt hic,
& in d. § si quis mortis causa supr. hac l.
nostra, firmat Donell. lib. 19. comm. iur.
ciuil. c. 4. col. 11. quod vt intelligamus, fingamus
vnà cum Cuiac. hic col. 4. duos filios
primum nempè, & secundum exhęredatos
fuisse, extraneū verò institutum esse;
primo legauit pater sescunciam hæreditatis,
hoc est vnam vnciam cū dimidia,
secūdo uerò nihil legauit, & sic primo
sa-

satisfecit non secūdo,cùm sescuncia sit dimidia pars quadrantis,triū nepè vnciarū, quæ sunt legitima ipsorum fratrum, Modò secundus nō agit querela; quarè videtur,quod primus agens possit dicere sibi non esse relictam quartam debitæ portio-
33 nis, cùm † secundus frater exhæredatus omittendo querelam pro mortuo habendus sit l. 1.§.sed & si patruus infr. de coniung.cum emanc.lib.vndè consequens videtur, primo quasi soli filio deberi quadrantē integrum,nec sufficere sescunciam ad excludendam querelam;determinatur tamen huic filio nihil amplius deberi,quā sescunciam,ex quo secundus partē primo facit,hoc est in partibus faciendis spectatur,& numeratur persona secundi, licet ta-
34 ceat,† hoc enim est partem facere,quādò scilicet portio alterius,licet non petentis, non sic æstimatur,quasi ad aliam peruentura esset;vt per Donel.d.c.4.col.11. sed quasi ab eo percepta sit, cūq; sibi propriā obtineret l.verùm infr.de reb.dub. non ergò primus agere potest querela,cū habeat legitimam portionem quartā scilicet eius portionis,quā aliàs ab intestato iure suo habiturus esset,sed si agat,& obtineat,q.à nemo cū repellat ad text. in l.posthumus §.si quis ex his supr.hoc tit. nost. vtiq; rescindet testamentum,&repellet extraneū in totū,vt sup. in §. sed nec impuberis hac l.nostra,non tamen vindicabit totam hæreditatem,sed dimidiam tantùm, atq; ità victoria primi proficua erit secundo tacenti,quià annullato testamēto in totum, cū intestatus pater familias reddatur,hæreditas ad eos deuenit, qui ab intestato successionem habent,vt supr.in d. l. posthumus §.si quis ex his. Id autem quod dictum est superius in exemplo proposito de duobus filijs exhæredatis procedit etiam in eo casu,quādò non duo filij adsint qui sint exhæredati,sed nepotes plures ex duobus filijs in numero tamē inæquali, ut putà iuxtà exemplum tex. nostri ex vno filio vnus nepos,ex aliq verò tres nepotes, tūc pariter inter se isti partem faciunt, in tantùm quòd ille,qui nepos est ex primo filio debeat consequi sescunciam loco legitimæ, quam scilicet pater suus,si adhuc viueret, obtineret,tres verò nepotes ex alio debent habere aliā sescūciam inter se diuidendā, quam scilicet pater suus habiturus fuisset, si superuixisset,&ità vnusquisq; ex istis tribus nepotib.si habebit dimidiā vnciæ ex-
cludetur à querela, hæc autē diuisio suc-
35 cessionis ità inter istos nepotes fit,quià sicut auo in stirpes non in capita succedunt §.cū filius Inst.de hær.quæ ab intest. defer.

Hæc tamèn omnia hodiè correcta sunt,
36 cū vt superius nu.13. dictū est † aucta fuerit legitima per Iustinianum Imperatorē, vt secundū numerum filiorū modò triens, modò semis sit d.§.1.in Auth.de trient.& semis.quarè in primo exemplo text. nost. primus filius exhæredatus adhoc,ut legitimā portionē habeat,necesse est sextantē hæreditatis, duas scilicet vncias sibi relictas esse,quæ sunt dimidia trientis,legitimæ scilicet portionis, in secundo pariter exemplo nepos solus pariter sextātem habere debebit, reliqui verò nepotes alium sextantem inter se diuidendum habebūt; duas nēpè partes vnius unciæ p quolibet.

Quarta seu legitima portio accipi debet,ex eo,quod superest deducto ere alieno,& funeris impensa,vt hic in §. Quarta autē,cum quo concordat tex. in §.ti.Infr.
37 ad l.falc. Ratio est,† quià legitima est quota bonorum non quota hæreditatis Auth.
38 nouiss.C.hoc tit. nost. † bonaq; dicuntur deducto ære alieno l. subsignatū §. bona inf.de ver.sig.Bar.in l.vt iusiurandi §.si liberi in fi.inf.de oper.liber.& in l. ex facto sub nu.1.inf.de hæred.inst. si itaq; legitima est quarta portio eius quod quis ab intestato prætendere potest,ut supra nume-
39 rō 32. dictum est, † ab intestato autem quis numquàm aliquid prætendere potest,nisi prius deductum sit æs alienum, sequitur quod quarta,seù legitima nūquā intelligetur nisi deducto priùs ęre alieno, quamuis ex sententia Bald. in l.2. ad fin.
40 infr.de liber.& posthu. † legitima ut æs alienum reputetur, Vndè si patrimonium
41 ære alieno absorbeatur, † tunc legitima

non habebit in quo consistere possit l. fin. §. in computatione, & ibi Bald. C. de iur. deliber. Et id quod dicitur de ære alieno,
41 multò magis procedit in † funeris impen sa, quæ & ipsa antè legitimã prius est deducenda, quinimò funeris impẽsa magis
43 priuilegiata est,† quia omne æs alienum præcedit, quandò bona non sunt soluendo l. pen. inf. de relig. & sump. fun. quod factũ
44 fuit cum ratione, † nè insepulta corpora iacerent, vt in l. si quis sepulchrum §. prætor ait infr. eod. tit. de relig. & sump. fun. quod tamèn intelligamus de funeris im-
45 pensa † necessaria secundũ qualitatẽ defuncti, & patrimonij quantitatem, vt in l. at si quis § hæc actio infr. eod. tit. de relig. & sump. fun. tradunt Cagn. hic nu. 13. & Mant. in nou. lectur. nu. 9. & 13.
46 Datio † libertatũ minuit patrimoniũ, falcidiam, & legitimã, vt etiã in §. fi. Inst.
47 ad l. falcid. libertas † enim adeò fauorbilis erat l. libertas inf. de regu. iur. vt eã etiã
48 leges præferrent legitimæ filiorum, † quã pater ipsis sinè iusta causa auferre non potest, quod quidem mirandum videtur, & tamèn leges olim id admittebant, vt per
49 Cast. hic nu. 4. hoc † tamẽ hodiè correctũ esse inquit gl. hic, & facit tex. in §. prohibemus in Auth. de trient. & semiss. qui tex. licet loquatur in alijs terminis, disponit enim de legitima omne grauamẽ remouendum esse, a Doctorib. tamèn communitèr recipitur, vt etiã in casu nostro, libertatũ nempe dandarum locũ habeat, vt scilicet legitima per ipsas libertates nõ minuatur.
50 Filius † ex asse hæres institutus nõ potest dicere inofficiosum testamentum pa-
51 tris, quod ea ratione euenit, quiã † quãdò habet quartam portionẽ eius, quod aliàs ab intestato habiturus esset, tunc excluditur à querela, vt sup. in d. §. si quis mortis causa nu. 23. dictum fuit, iste autem in casu nostro institutus ex asse licet legatis grauatus sit, falcidiam habet, & sic quartam partem bonorum, vt in princ. Instit. ad l. falcid. ideò per consequens non potest dicere inofficiosum, & sic repellitur à legiti-
52 ma, vndè colligunt DD. quod filius † grauatus duas quartas detrahere non potest, legitimam scilicet, & falcidiam, quod verum est eodem tempore, vt per Bart. in §. Meminisse infr. hac l. nostra num. 5. secùs verò si diuersis temporibus, vt putã, quiã legitimam statim quòd hæres sit, & Trebellianicam quandò hæreditatem restituat detrahere velit, vt aliàs publicè respõdendo defendi ego per tex. in c. Rainutius extr. de testam.
53 Qui † seruos tantùm in patrimonio habet eis omnibus libertates dãdo excludit filium à legitima portione sibi competente, & sic à querela inofficiosi, sicut enim si datis libertatibus nihil supersit, institutus hæres non habet commodum legis falcidiæ, ità etiàm deductis ipsis libertatibus, si nihil supersit, filius amittit legitimam, & sic excludetur à querela inofficiosi testamenti. Hoc autèm casu, quandò libertates totum absumant patrimonium caute-
54 la † proponitur hic à Iureconsulto prosilio, nè excludatur à legitima, si enim hæres sit institutus, & substitutum habeat, consilium est, vt omittat hæreditatem, & sic eam ad substitutum transmittat, quo casu postea querela inofficiosi agere potest aduersus substitutũ, qui adierit, cum filius iste non habeat quartam, & institutio primi gradus nullum ei commodum attulerit, sic igitur institutus aduersus substitutum aget querela, & si in ea obtinuerit, tũc libertates, quæ à substituto relictæ, vel repetitæ sunt, directè non competunt, vt in l. si autem infr. subsequenti post nostram, atq; hoc modo filius qui vicit querela, rem ab intestato obtinebit, & ità hac via filius sibi consulet repudiata hæreditate, & ad substitutum transmissa, & sic no-
55 temus casum singularem, † in quo instituto competit querela inofficiosi, quæ regulariter non datur nisi exhæredato, & præterito, vt in princip. Instit. hoc tit. nostro, quandò scilicet institutus in effectu nõ habet quartã legitimæ portionis sibi cõpetentẽ, & ratio à Bal. hic assignatur, quiã institutio ità fuit onerata, ut ꝑ exhæredatione habeat, ideò nil mirũ si cõpetat querela

si verò filius iste institutus non habeat sub
stitutum, adhuc etiam consilium est, vt
repudiet hæreditatem ex testamento, cum
sit sine re, & ab intestato amplectatur
56 bonorum possessionem, quo casu † liber-
tates intercidunt, cum hæreditas non sit
adita l. testamento manumissus infr. de
manum. testam. nec hoc casu locus erit e-
dicto, si quis omissa causa testamenti, quo
edicto conseruantur libertates, legata, &
fideicommissa, si hæres institutus omisso
testamento, hæreditatem ab intestato a-
gnoscat, hoc enim casu non est locus edi-
cto, & libertates intercidunt, quia dolo
malo non omittit testamentum in fraudē
libertatum, id enim principaliter nō agit,
vt fraudet manumissos, sed vt excludat
fraudem testatoris, qui eum sine re hære-
dem instituit, atque hoc modo fraudulen
ter eū ab hæreditate exclusit libertati do-
nata tota familia, & ità non incidet in edi
ctum, sed ab intestato securè hæreditatem
obtinebit l. cum pater §. Titio infr. de leg.
57 secundo. Vndè colligamus, quod † frau-
de fraudē licitè repellere possumus, sicut
enim vim vi repellere licet l. vt vim supr.
de iust. & iur. l. prima, §. vim vi infr. de vi,
& vi armat. ità etiàm fraudem fraude re-
pellere possumus c. cupientes in princip.
& ibi gloss. in verb. malignantium, de ele-
58 ctio. lib 6. † fraudibus enim obuiare pu-
blica simùl, & priuata suadet auctoritas l.
si libertus infr. de iur. patron. hinc dicitur,
59 quod quò † Pellis leonis peruenire nō po
test Vulpina assuenda est, sed ista forsan
olei sunt, & palestræ, vt inquit Costal. in
suis aduersar. ad Pandect. hic in §. nost.

Contra hunc tex. in §. quoniam cum in
eo dicatur, quod filius exhæredatus, qui
non quæritur, partem alteri facit, qui age-
re velit, opponitur de tex. in l. q. repudian
tis in princip. infr. hoc tit. nostr. vbi in ver-
bis totum cōtrarium dicitur, cum scilicet,
qui non queritur nō facere partem alteri.
60 Pro solutione huius † antynomiæ est con
siderãda diuersa ratio, quæ viget inter §.
nostrum, & d. l. qui repudiantis, ideò enim
in text. nostro, qui non quæritur partem
facit, quià potest adhuc quæri, & petere
portionem suam, si vult, vndè absurdum
esset, alium interim totum petere, quàdiù
hic potest admitti ad partem suam peten
dam, at in d. l. qui repudiantis certum est,
cum qui non quæritur, nec etiam amplius
queri posse, quià iam repudiauit, quarè cū
non possit admitti, necesse est, vt tota
hæreditas ad alterum pertineat, nil mirū
ergò si ille qui non quæritur, nec potest
quæri, non facit partem alteri querenti de
inofficioso testamento.

61 Quarta debita portionis] idest † le-
gitima communiori nomine, ut suprà est
dictum, licet enim hodiè ampliùs non sit
quarta hæc legitima portio, sed modò ter
tia, modò dimidia hæreditaris secūdum
numerum filiorum d. §. 1. in Authent. de
trient. & semiss. retinet tamèn nomen an-
tiquum quartæ argum. l. insula infr. de ac
quir. rer. domi.

Ad excludendam querelam] que-
62 rela † enim excluditur, cum quis quartam
portionem habet eius, quod aliàs ab inte-
stato habiturus esset l. cum quæritur C.
hoc tit. nostro, & §. si quis mortis supr. hac
l. nostra, quod quidem intelligi debet de
ea portione, quam iure propriæ successio-
nis ab intestato esset habiturus, non de ea,
quæ ex persona alterius sibi obuenire pos-
set, ut in d. §. si quis mortis, & tradit Do-
nel. d. c. 4. col. 11.

63 Partem faciat] partem † facere est cō-
siderare personam, de qua agitur, ità ut
pars sua ei seruetur, equè ac si illam habe-
ret, vt supra dictum est.

Qui non quæritur] adhuc scilicet,
potest tamen quæri si vult.

64 Sescuncia] idest † vna vncia cum di-
midia, vt etiàm in l. filium infr. de legat.
præstand.

65 Semuncia] idest † vnciæ pars dimidia,
vt etiàm in l. liberto §. filium infr. de an-
nuis legat. ità Vltram. in comment. de
verb. iur. in verbo semuncia.

66 Ære alieno] † Aes alienum ut per Cagn. hic numero 10. est id, quod nos alij debemus, æs verò nostrum dicitur, quod alij nobis debent l. cedere diem §. 1. infr. de verb. signif.

Videndum] quidam Codices omittunt verba sequentia, est, & nũquid minuat, & legunt, sed, & an, & libertates quartam minuant, videndum, nam si cum quis ex asse, &c.

67 Ex Asse.] idest ex toto † As enim totã hæreditatem significat §. hæreditas Insti. de hæred. instit.

Quia habet falcidiam] quartam scilicet sibi debitam iure institutionis, quæ falcidia nuncupatur, vel iure naturæ, quæ legitima dicitur.

Quartam ineundam,] idest quartã minuendam, vt per Cruceum hic.

Si non fuit in potestate] secundum Odofr. debet subintelligi verbum maxi-
68 mè, quia † si est in potestate de iure ciuili est necessarius hæres, siuè uelit, siuè nolit, de iure tamen Prætorio habet facultatem abstinendi §. sui Instit. de hęred. qualit. & different. vndè cum non possit abstinere, quandò est in potestate, maximè si nõ est in potestate.

Citrà edicti pœnam] scilicet si quis omissa causa testamenti.

Ad §. si conditioni cum seq. §.

§. Si conditioni parere testator hæredẽ iussit in persona filij, vel alterius, qui eandem querelam mouere potest, & sciens is accepit: videndum, nè ab inofficiosi querela excludatur: agnouit enim iudicium. Idem est, & si legatarius ei, vel statu liber dedit. Et potest dici, excludi eum, maximè si hæredem ei iusserat dare. Cæterum si legatarium, numquid semel natã inofficiosi querelam non perimat legatarij oblatio? Cur ergò in hærede absolutè diximus? Quoniam antè aditam hęreditatem nec nascitur querela. Ego euentum puto sequendum in hac re: vt si fortè antè, quàm iudicium moueatur oblatio ei fiat eius, quod relictum est, quasi ex voluntate testatoris oblatione satis ei factum videatur.

§. Vndè si quis fuit institutus fortè ex semisse, cùm ei sextans ex substantia testatoris deberetur, & rogatus esset post certum temporis restituere hæreditatem, meritò est, nullum iudicium mouere, cùm debitam portionem, & eius fructus habere possit. Fructus enim solere in falcidiã imputari, non est incognitum. Ergò & si ab initio ex semisse hæres institutus, rogatur post decennium restituere hęreditatem: nihil habet quod quæratur: quoniàm facilè potest debitam portionem, vel ex fructibus eius medio tempore cogere.

SVMMARIVM.

1 *Mortis causa capio, quando excludat querelam inofficiosi, & num. 8. & 15.*
2 *Qui capit aliquid ex dispositione testatoris eius iudicium agnoscere videtur.*
3 *Agnoscere iudicium defuncti quid sit.*
4 *Agnitio voluntatis testatoris dicitur genus quoddam tacitæ repudiationis.*
5 *Approbare testamentum, & velle illud per querelam rescindere sunt contraria.*
6 *Quod semel placuit amplius improbari non potest.*
7 *Mortis causa capi quandò aliquid dicatur.*
9 *Testamentum non potest valere, si hæredis institutio non constat.*

Que-

10 *Querela inofficiosi nascitur ab adita hareditate, & nu. 12.*
11 *Querela inofficiosi datur contra haredem non contra testamentum, & nu. 28.*
12 *Hares quis esse non potest, nisi adierit hareditatem.*
13 *Testamentum an valeat, nec nè, pendet ab aditione hareditatis.*
14 *Hares repudiando hareditatem reducit rē ad causam intestati.*
16 *Mortis causa capio regulariter non excludit querelam, nec imputatur in legitimā, nec in falcidiam, aut trebellianicā.*
17 *Quod capitur iure legati, vel fideicommissi non imputatur in legitimam.*
18 *Intentans querelam inofficiosi, si non obtineat, non potest amplius ex eo testamento aliquid consequi.*
19 *Institutus in semisse, & rogatus infra certum tempus restituere non habet querelam inofficiosi.*
20 *Rogatus restituere hareditatem quartam habet ex dispositione S. C. Trebelliani.*
21 *Fructus in falcidiam imputantur.*
22 *Legitima quomodo maior esse possit quarta falcidia, vel quarta Trebellianica.*
23 *Filius & nepos ex filia mortua olim nō admittebantur aequaliter ad successionem, hodiè verò sic.*
24 *Liberi primi gradus hodiè legitimam debet consequi ex corporibus hareditarijs, nec in eam tenentur fructus imputare, & num. 37.*
25 *Iudicium denotat vltimam voluntatem.*
26 *Statuliber qui nam sit.*
27 *Statuliber sistat per haredem, vel per aliū, quominus praestare possit, quod praestare debet, nihilominus liber est.*
29 *Iudicium exponitur aliàs idest actio.*
30 *Semis est dimidia pars hareditatis.*
31 *Hares semissarius dicitur hares ex dimidia.*
32 *Sextans est sexta pars totus hareditatis.*
33 *Substantia pro patrimonio sumitur.*
34 *Legitima appellatur debita portio.*
35 *Fructus vndè dicatur, & quid sit.*
36 *Falcidia nūc q̄libet quarta significatur.*

Dictum est superius, quòd qui quartā portionem habet eius, quod ab intestato praetendere potest, excluditur à querela inofficiosi, vt suprà in hac l. nostra in §. si quis mortis causa, & in §. quoniam autem, Nūc quaeritur quid iuris in eo, qui mortis causa aliquid ex testamento capit, numquid excludatur à querela inofficiosi, & concordat cum tex. nostro textus in l. nihil interest §. si à statulibero, in l. si ponas §. si haereditatem, & in l. fi. in prin. inf. eodem.

1 Mortis † causa capio excludit querelā inofficiosi testamenti, si exhaeredatus sciēs id ceperit, antequam in iudicio mouerit
2 querelam inofficiosi testamenti, † capiendo enim aliquid ex dispositione testatoris eius iudicium agnoscere uidetur, iudiciū
3 autem defuncti agnoscere nihil aliud est, quam iudicium defuncti comprobare, ut in l. nihil §. penul. & l. fin. infr. eod. & hoc
4 modo querela amittitur, quarè haec † agnitio dicitur genus quoddam tacitae repudiationis, Pugnant enim inter se haec
5 duo, † testamentum comprobare, & illud per querelam velle rescindere, vndè qui agnoscit, & approbat, videtur eodem instanti querelam improbare, & à se remouere velle, iure autem cautum est, vt id
6 † quod semèl probatum est, ampliùs improbari non possit l. Pomponius scribit supra de negot. gest. c. quod semèl de regul. iur. lib. 6. quarè qui semèl iudicium defuncti agnoscendo probauit, id ampliùs per querelam oppugnando reprobare non potest.
7 Mortis † autem causa capitur, quod ab haerede, uèl legatario, vel statu libero datur conditionis implendae causa, ut si ità institutio fiat, Titius haeres sit sub hac conditione si centum filio meo dederit, vèl si Sticho legatum sit factum sub eadem cōditione, uèl tandem si Meuio libertas eadem conditione data sit, his enim casibus filius exhaeredatus capit illa centum iudicio defuncti, & cum per eius mortis occasionem capiantur, ideò speciali uocabulo dicuntur mortis causa capi l. mortis causa

capi-

capitur l. ff. de mort. cauſ. donat. & capion.
8 & † qui hoc modo aliquid capit, excludi-
tur à querela inofficioſi abſolutè ſi capiat
ab hærede, hoc enim facto videtur iudiciũ
defuncti agnoſcere, dum capit id, quod cõ
ditionis implendæ cauſa ſibi ab hærede
datur, & ſic velle videtur, quod hæres qui
dat hæres eſſe poſſit arbitrio ſuo ſi velit, &
ita videtur totum teſtamentum compro-
9 bare, † quod quidem valere non poteſt,
niſi hæredis inſtitutio conſiſtat §. ante hæ
redis Inſtit. de leg. l. ſi nemo inſ. de teſta-
men. tut. & l. eam quam C. de fideicom.
10 & † enim querela inofficioſi naſcatur ab a-
dita hæreditate l. ſi quis in fin. & l. penult.
11 §. illud C. hoc tit. noſtr. † datur enim con-
trà hæredem, non contrà teſtamentum, ut
inquit Cuiac. hic colum. 2. nec vnquam
12 † quis hæres eſſe poteſt, niſi prius adierit,
ideò ante aditam hæreditatem querela
non naſcitur, antè enim quamdiù pendet,
an adeatur hæreditas, tamdiù incertũ eſt,
13 † an teſtamentum valeat, nec nè, & poteſt
hæres hæreditatem repudiare, & ſic redu-
14 cere † rem ad cauſam inteſtati, ut in prin-
cip. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. defer.
15 quando ergò ab hærede iſte † filius exhæ
redatus mortis cauſa capit, quia compro-
bat teſtamentum, & eum hæredem decla
rat, abſolutè excluditur à querela inoffi-
cioſi, ſi verò à legatario, vel à ſtatu libero
capiat, tunc diſtinguendum eſt, aut enim
capit antequàm moueat iudicium quere-
læ, aut verò poſtquàm motum eſt iudiciũ,
primo caſu ſi capiat, antequàm moueat iu
dicium inofficioſi, vel ſi non capiat, obla-
tio tamèn ſibi fiat à legatario, quaſi ex vo
luntate teſtatoris facta dicitur, & ideò
iſtis caſibus iudicium teſtatoris approba-
re videtur, & per conſequens excludetur à
querela; Secundò verò caſu ſi capiat mor
tis cauſa à legatario, vel à ſtatu libero poſt
inſtitutam accuſationem, nõ quidem ani-
mo deſerendæ litis, ſed oblationem à le-
gatario acceptat, vel à ſtatu libero, nolens
eis obſtare, quominùs conditio in ſua per
ſona impleatur, tunc cœptum iudicium de
inofficioſo non ſoluitur, ſed eadem actio
perſeuerabit, vt per Cuiac. hic colum. 3.

Declaretur hæc cõcluſio textus noſtri
vt procedat in eo, qui ſciebat ſe exhære-
datum eſſe, & ſcientèr accepit, & ſic iudi
cium defuncti agnouit, tunc enim verùm
eſt, quòd capiens mortis cauſa excluditur
à querela, & id quod mortis cauſa captũ
eſt, debet imputari in legitimam, ſecùs ve
16 rò ſi id ſcientèr non fecit, quià † mortis
cauſa capio regularitèr non excludit que-
relam, nec imputatur in legitimam, ſicut
videmus, quòd nec etiã imputatur in fal-
cidiam, quæ ex legatis deducitur l. id au-
tem, & l. in quartam infr. ad l. falcid. nec
etiàm in Trebellianicam imputatur l. in
ratione §. tametſi infr. eod. tit. ad l. falcid.
17 Vndè etiàm † idem dicendum erit in eo,
quod filius exhæredatus capit iure legati,
vel fideicõmiſſi, niſi enim ſcientèr capiat,
non imputatur in legitimam, nec ipſe ex-
18 cluditur à querela, † in qua tamèn ſi non
obtineat, non poterit poſteà ex eo teſta-
mento legatum, aut fideicommiſſum pe-
tere, vel mortis cauſa capionem obtinere,
vt infr. in hac l. noſtra in §. meminiſſe, cũ
illud ſemel reſcindere conatus ſit argum.
tex. in c. quod ſemel de reg. iur. lib. 6.

Hodiè autèm ceſſat diſpoſitio huius §.
ex quo filius quartam legitimam iure in-
ſtitutionis conſequi debet §. ſcimus in Au
then. vt cum de appel. cognoſc.
19 Inſtitutus † in ſemiſſe, & rogatus re-
ſtituere hæreditatem infrà certum tẽpus
non habet querelã inofficioſi, & ratio eſt,
20 quià † quartã habet ex diſpoſitione S. C.
Trebelliani, dum rogatus eſt reſtituere, ut
in tot. tit. infr. Inſtit. & C. ad Trebel. S. C.
vndè non poteſt quæri, cum ad excluden-
dam querelam, vna tantum quarta ſuffi-
ciat, vt ſuperius in hac l. in §. quoniàm au
tèm num. 51. dictum fuit, cùm autèm eue
nire poſſit, quod quarta falcidia, ſeu Tre-
bellianica minus ſit legitima, ideò quæri-
tur, quid iuris? numquid hoc caſu compe
tat querela inofficioſi, & negatiuè reſpon
detur, ratioquè colligitur ex textu noſtro,
quià grauatus reſtituere poſt certum tem-
pus, debitam portionem, & eius fructus
habere

habere poteſt,interim enim dùm pendet
tempus reſtitutionis, fructus colligit, ex
quibus integram legitimam conſequi po-
21 terit,nam † fructus in falcidiam imputa-
ri,non eſt incognitum,inquit text.noſter,
& meritò cum multis legibus id cautum
ſit,vt in l.quòd bonis §. quòd auus in fin.
& §.fructus,in l.filiusfamilias §. fin. in l.
falcidiæ §. 1. in l.ſed ſi non in fin.in l.in le-
ge falcidia in princ.in l. circà legem falci-
diam,in l.quantitatem §.in diem relicta,
& in l.quadringenta §.fin.inf.ad l. falcid.
in l.fideicommiſſaria in princ.in l.mulier
§.ſi hæres,& in l.deducta §. antè diem in-
fr.ad Trebell.S.C.ex quibus omnibus iu-
ribus conſtat,cognitum eſſe,quod fructus
22 in falcidiam imputentur,quomodò † au-
tem poſſit dari caſus, in quo legitima ma
ior ſit quarta falcidia,vèl quarta Trebel-
lianica,inquit textus,id euenire,ſi inſtitu
tus ſit aliquis in ſemiſſe tãtùm,grauatuſq;
fuit hæreditatẽ reſtituere, quo caſu quar-
ta Trebellianica erit ſeſcuncia, ei tamen
ſextans iure legitimæ portionis debere-
tur,vt in caſu textus noſtri propoſito hìc
à gloſ.ſecundo loco,qui paſſim recipitur,
quandò ſcilicet de iure ueteri filius,& ne-
pos ex filia iam mortua habeant inſimul
23 ſuccedere,olim † enim non æqualitèr ad-
mittebantur ab inteſtato, ſed nepos ex fi-
lia trientem,quatuor ſcilicet vncias hære-
ditatis conſequebatur,filius verò beſſem,
octo nempè vncias habebat, quo caſu le-
gitima huius filij ſextans erat,hodiè tamẽ
ex conſtitutione Iuſtiniani ad ſucceſſionẽ
æqualitèr admittuntur,vt in §. Item vetu
ſtas Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt. defer.
In propoſito ergò caſu filius ex ſemiſſe in
ſtitutus,& eum rogatus reſtituere, non de
trahit ſeſcunciam ſecundum rationẽ Tre-
belliani S. C. ſed ſextantem ſecundum ra-
tionem legitimæ portionis ſibi debitæ, in
quo ſextãte debebit imputare fructus per
ceptos. At iſtud etiàm hodiè correctum
24 eſt,nàm † liberi primi gradus filij ſcilicet
debent habere ſuam legitimam ex rebus
hæreditarijs,& ſic ex ipſis corporibus unà
cũ fructibus ipſius legitimæ; quos in quar

tam non tenentur imputare l.iubemus C.
ad Trebel.S.C.& l.ſcimus §.repletionem
C.hoc tit.noſtro.

In perſona filij] exhæredati ſcilicet

Vel alterius] nepotis ſcilicet ex filio,
cum filius de medio ſublatus ſit.

Iudicium]teſtatoris nempè,& ſic eius
vltimam voluntatem, & teſtamẽtum l. 1.
25 C.de ſacroſanct. Eccleſ. † iudicium enim
inter plures ſignificationes,quas habet de
notat vltimam voluntatem, vt per Marãt.
in ſuo ſpecul.aur.par. 1. num. 1.cum ſeq.
26 Statu liber] † ille ſtatu liber eſt, qu
ſtatutam,& deſtinatam in tempus, vèl in
conditionem habet libertatem l p. inf.de
27 ſtatulib.& ſi † per hæredem, vèl aliũ ſtet,
quominùs iſte præſtare poſſit,id quod de-
bet,nihilominus liber eſſe dicitur, vt per
Conan.lib. 2.commentar.iur.ciuil.cap.4.
num. 19.

Nec naſcitur querela]vt in l.ſcimus
28 §.fin.C.hoc tit.noſtro, quià † querela in-
tentatur contrà hæredem ſcriptum, non
contrà teſtàmentum, vt ſuprà eſt dictum.

Iudicium moueatur] ideſt actio de
29 inofficioſo, & ità etiàm † exponitur iudi-
cium,ideſt actio l.in tribus infr. famil. er-
ciſc.& ſic iudicium diuèrſimodè ſumitur,
vt ſupr.eſt dictum.

Oblatione]in Pandectis Florentini lo
co huius uerbi oblatione legitur Oblato
ſatis ei factum videatur.

30 Ex ſemiſſe]nempè in ſex uncias, † ſe-
mis enim eſt dimidia pars hęreditatis §.
hæreditas plerumquè Inſtit.de hæred.in-
31 ſtit. Vndè † hæres ex dimidia hæres ſe-
miſſarius dicitur in l.legatum §.pri. infr.
de leg.pri.

Cum ei ſextans] nempè duæ vnciæ,
32 † quæ ſunt ſexta pars totius hęreditatis d.
§.hæreditas Inſtit.de hæred.inſtit.de iſtis
autèm nominibus partium hæreditatis ui
deatur Alex.ab Alex.lib.primo, Genial.
dier.c.1.

Ex ſubſtantia]ideſt ex patrimonio,
33 † ſubſtantia enim pro patrimonio ſumi-
tur

tur l. fin. C. de verb. signif. vnde Quint. ait vt plus substantiæ filio relinquerem.

Nullum iudicium] id est nullam actionem, vt supra est dictum.

Debitam portionem] legitimam videlicet, † quæ debita portio dicitur, vt in §. antecedenti dictum est nu. 7.

35 Fructus enim] † fructus à fruendo dicitur, vt per Con. lib. 4. commen. iur. c. 1. num. 2. & est emolumentum ex fundo l. item §. 1. infr. de vsufr. & ipso corpore natum l. vsura infr. de verb. significat. quod quidem inde percipi, & ibi renasci possit l. diuortio §. si vir infr. solut. matrimon.

In falcidiam] in Trebellianicam neque, † falcidiæ enim nomine quælibet quarta significatur, vt dictum est in §. antecedenti num. 17. secus verò in legitima debita iure naturæ, † quæ hodiè à liberis ex substantia hæreditatis, non ex fructibus percipitur l. scimus in princip. vers. repletionem, & Authen. nouissima C. hoc tit. nostr.

36

37

Vel ex fructibus eius] in Pandectis Florentinis loco istorum verborum legitur, eiusque fructus.

Ad §. si quis & irritum.

§. Si quis & irritum dicat testamétum, vel ruptum, & inofficiosum: conditio ei deferri debet, vtrum prius mouere velit.

SVMMARIVM.

1 *Qui irritum, & inofficiosum testamentum simul dicit, non est audiendus.*

2 *Repugnantia, & contraria non sunt admittenda.*

3 *Testamentum irritum dicens, supponit illud non valere.*

4 *Testamentum inofficiosum dicens, supponit illud valere, sed contrà pietatis officium factum esse, & num. 12.*

5 *Actionem Tributariam, & de peculio simul intentans, debet eligere, quanam agere velit.*

6 *Qui ex duabus actionibus propositis vnam eligit, si in ea non obtineat, non prohibetur altera vti.*

7 *In remedijs agendi datur electio actori, vt eligat, qua actione agere velit.*

8 *Actoris electio est de loco, & de iudice, coram quo agat.*

9 *Rei electio est de rebus, quæ solui debeant.*

10 *Testamentum quomodo irritum fiat.*

11 *Testamentum quomodò ruptum dici possit.*

13 *Conditio exponitur id est electio.*

SI quis testamentum dicat irritum, ruptum, & inofficiosum, an possit obtinere tractatur hic in §. nostro, cum quo concordat tex. in l. quod in hærede §. eligere infr. de tribut. act. in l. eum, & in l. contra C. hoc tit. nostro.

1 Qui† irritum, & inofficiosum testamentum eodem instanti dicit, non debet audiri, vtpotè † qui repugnantiam, & contraria proponat l. Titia infr. de condit. & demonstr. l. vbi repugnantia infr. de reg. iur. & l. 1. C. de furt. dum enim † accusat testamentum tanquam irritum, illud non valere supponit, vt in l. 1. & passim in tot. tit. infr. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam. dùm † verò inofficiosum arguit, illud valere supponit omni iure, sed contra officium pietatis factum dicit, vt supetius in Rubr. nostra in secundo prolegomine num. 14. & in l. 2. nu. 3. hoc tit. dictum fuit, cum ergò ille, qui dicit testamentum irritum, & inofficiosum eodem instanti, duo contraria proponat, testamentum scilicet valere, & non valere, ideò repelli debet, & si vult audiri, debet antè omnia declarare, qua querela potius uti velit, sicuti cuenit, & in eo, † qui tributoria actione, & actione de peculio agere velit, eligere namque debet, qua actione agat d. l. quod in hærede §. eligere infr. de tribut. act. quòd si in electa actione non obtineat, tunc † non prohibetur altera vti l. 3. C. de pet. hæred.

2

3

4

5

6

Id

Id autem quod dictum est de eo, qui irritum, & inofficiosum testamentum dicat, procedit, & locum habet etiam in eo, qui ruptum, & inofficiosum eodem instanti diceret, vt in §. nostro, vtrumque enim iudicium prosequi non potest, tamquam contraria, sed eligere debet, quo prius; vti malit, quod si in eo non obtineat, tunc ad aliud recurrere potest, quod etiam euenit, & in eo, qui iniustum, hoc est non iure factum testamentum, & illud inofficiosum, eodem instanti dicat, vt in l. contrà C. hoc tit. nostro, idem pariter procedit in eo, qui falsum, & inofficiosum dicat testamentũ, vt in l. eum C. eodem. Si quis pariter falsum, & iniustum dicat testamentum, & in falsi quæstione non obtineat, poterit transire ad quæstionem iniusti l. Lucius infr. de petit. hæred. Vnde ex hoc Castr.
7 colligi dicebat, quod † in remedijs agendi detur electio actori, ut eligat, qua actione agere velit, vt in text. nostro, & in d. l. quod in hærede §. eligere infr. de tribut.
8 act. quod etiam † verum est in locis, & iudicibus, corã quibus agatur, electio enim actoris est l. 3. infr. de eo quod cert. loc. in
9 rebus autem, quæ veniunt soluendæ † electio est ex parte rei, vt in l. plerumque in fin. infr. de iur. dot.

10 Et irritum] vt † scilicet per capitis diminutionem §. alio quoque Instit. quibus mod. testam. infirm. vel quandò ex testamento non est adita hæreditas l. 1. infr. de iniust. rupt. & irrit. fac. testam.

11 Vel ruptum] † agnatione scilicet posthumi, uel factione alterius testamenti, vt in princip. & in §. posteriore Insti. quib. mod. test. infir. l. p. & l. 3. infr. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.

12 Et inofficiosum] † aliàs legitur, vel inofficiosũ, & dicitur inofficiosum, idest contrà pietatis officium factum, ut suprà est dictum num. 4.

Conditio] idest electio, ut per Odofr. hic.

Ad §. si filius.

§. Si filius exhæredatus in possessione sit hæreditatis: scriptus quidem heres petet hæreditatem; filius verò in modum contradictionis querelã inducet: quemadmodum ageret, si non possideret, sed peteret.

S V M M A R I V M.

1 *Querela inofficiosi in modum exceptionis proponi potest, & quandò nu. 4.*
2 *Quæ proponuntur in modum agendi, etiam in modum excipiendi proponi possunt.*
3 *Cui damus actionem, multò magis concedimus exceptionem.*
5 *Quæ temporalia sunt ad agẽdum perpetua sunt in excipiendo, & quomodò id procedat.*
6 *Filij vnde dicti sint.*
7 *Filij aliàs liberi dicuntur, & quarè.*
8 *Hæreditas vnde dicta sit.*
9 *Contradictio quid sit.*

QVerela inofficiosi proponitur non solùm ab exhæredato, agendo contra heredem scriptum, uerùm etiam & ab
1 eodem † in modum exceptionis proponi potest, prout si filius exhæredatus hæreditatem possideat, & hæres scriptus ipsam hæreditatem petat, filius enim exhæredatus, & possessor hæreditatis inducet querelam in modum exceptionis, atque ità actorem, hæredem nempè scriptum repel-
2 let, ea † enim, quæ proponuntur in modũ agendi, etiam in modum excipiendi proponi possunt, ut hic, & in l. nec nõ §. ex eo supr. ex quib. caus. maior. in integr. re-
3 stit. Et † cui damus actionem, multò magis exceptionem concedimus, ut inquit textus in l. 1. uersus finem infr. de superficiebus.

Declaratur hæc conclusio, ut uera sit,
4 dummodò † ità exceptio proposita fuerit

rit infrà tempus huic querelæ præſtitutũ, quinquennij nempè à die aditæ hæreditatis, vt in l.ſcimus §. illud C. hoc tit. noſtro intra enim hoc quinquẽnium verum eſt, quòd proponi pòteſt hæc exceptio; Nec
5 dicatur quòd † quæ ſunt ad agendum tẽporalia, perpetua poſteà fiũt in excipiendo l.purè §.fina.infr.de dol. mal. & met. except. id enim locum habet tũc, cùm ius excipiendi materiam ſibi ſubiectam diuerſam habet à iure agendi, prout exempli gratia in actione de dolo, quæ ad pœnam doli intenditur, exceptio verò doli ad indemnitatem conſeruandam accommodari ſolet, ut per Coſtal. hic, ideo exceptio de dolo perpetua eſt, licet actio de dolo annalis tantùm ſit, at cum ius excipiendi non habet cauſam diſtinctam à iure agendi, tùnc excluditur à tempore ad inſtar ipſius iuris agendi, ut per Abbat.in c. ſi autẽ ad fin.extr.de reſcript. & per Bar.in l.querela C.ad l.Cornel.de fal.prout euenit in hac exceptione de querela inofficioſi. Vèl cum Caſtrenſ.dicamus, quòd ea, quæ sũt annalia ad agendum, ſunt perpetua ad excipiendum, quandò ſumus in illis, quæ nõ poſſunt in iudicium deduci agendo, ſed ſolum excipiendo, ut per Felyn.in d. cap. ſi autèm num.6.extr.de reſcrip. at querela potuit deduci agendo, licèt agens eſſet in poſſeſſione, & potuit petere teſtamentum annullari; Vndè ſi hoc non fecit, ſibi imputet, quià nec excipiendo poterit id facere l.nam & poſteà §.ſi minor infr.de iuteiur.

6 Si filius] filij † dicti ſunt ab amore quaſi φίλοι. dicitur enim filius ἀπὸ τοῦ φίλω, quod nullus æquè cenſeatur amor, ac intèr patrem, & filium. qui filij aliàs etiàm
7 † liberi dicuntur, eo quòd à ſeruis diſtinguantur, quos in familia, uti filios habemus, ut inquit Conan.lib. 10. comment. iur.ciuil.c.1.nu.2.

Hæreditatis] iuris nempè vniuerſalis, quod defunctus mortis tẽpore habuit l.nihil aliud infr.de verb ſignif.& l.hære-
8 ditas infr.de regu. iur.quę † hæreditas dicta eſt ab hero, ideſt domino, quod eã ſcilicet iure legitimo dominus poſſideat, ut inquit Caſſiod. vèl dicta eſt ſecundùm alios ab hæreo hæres, quòd qui hæres eſt hæret, hoc eſt proximus eſt illi, cui ſuccedit, ut cuius eſt hæres.

Petet hæreditatem] ex petitione ſcilicet hæreditatis.

Contradictionis] ideſt exceptionis, vt hoc caſu æquè petatur teſtamentum reſcindi, ſicut in libello querelæ principalitèr propoſitæ, ut per Barto.hic contradi-
9 ctio † itaquè eſt exceptio, quemadmodũ apud Cicer.Syluio indicante, contradictiones pro inſtantijs, & obiectionibus accipiuntur.

Quemadmodum ageret] debet.n. petere, ut pronũcietur inofficioſum teſtamentum æquè, ac ſi non poſſideret, & ageret querela, & ſic iſtud eſt unum tantùm iudicium, ut per Caſtr.hìc.

Ad §. *Meminiſſe.*

Meminiſſe autèm oportebit, eum, qui teſtamentum inofficioſum improbè dixit: & non obtinuit, id, quod in teſtamento accepit, perdere: & id fiſco vindicari, quaſi indigno ablatũ. Sed ei demum aufertur, quod teſtamento datum eſt, qui vſquè ad ſententiam in iudicium lite improbe perſeuerauit. Cæterùm ſi antè ſententiam deſtitit, vel deceſſit: non ei aufertur, quòd datum eſt. proindè etiam ſi abſente eo, ſecundùm præſentem pronuncietur, poteſt dici, conſeruandum ei, quod accepit. Eo autèm ſolo carere quis debet, cuius emolumentum ad eum pertineret. Cœterùm ſi id rogatus fuit reſtituere: non debet iniuria fieri. Vndè non malè Papinianus libro ſecundo reſpon-

responsorum refert: si hæres fuerit institutus, & rogatus restituere hæreditatem, deindè in querela inofficiosi non obtinuit: id quod iure falcidiæ potuit habere, solùm perdere.

S V M M A R I V M.

1 *Qui iustè queritur de inofficioso testamento illud rescindit, & rem ad causam intestati reducit.*

2 *Qui iniustè accusat testamentum tamquam inofficiosum pœna coerceri debet.*

3 *Qui improbè accusat testamentum tamquā inofficiosum, amittit id, quod sibi in eo testamento est datū, idquè fisco applicatur.*

4 *Temeritas eorum est reprimenda, qui temerè ad litigandum procedunt.*

5 *Quatuor requirūtur adhoc, vt improbè accusans testamentum de inofficioso, illud amittat, quod sibi in eo testamento sit relictum.*

6 *Qui per errorem querelam inofficiosi intentat iniustè, non amittit sibi relictum in eo testamento.*

7 *Testamentum accusans tamquam non iure factum, si non obtineat, non amittit sibi relictum in eo testamento, quia de iure disputat, non iudicium defuncti accusat.*

8 *Testamentum de inofficioso accusans, si desistat à iudicio, vel decedat antè sententiam, non amittit sibi relictum in eo testamento.*

9 *Pœnitenti parcendum est.*

10 *Humanum est peccare, Diabolicum perseuerare, & Angelicum emendari.*

11 *Absēs si vincatur præsumitur victus, quià absit, non quià malam causam foueat.*

12 *Testamentum in totum non rescinditur, quandò contrà illud pronunciatur, si hæres scriptus absit, & sit in contumacia.*

13 *Testamētum inofficiosum dicens alieno nomine, non amittit sibi relictum in eo testamento.*

14 *Datū id intelligitur, quod ab aliquo captū est, & apud eum est mansurum.*

15 *Intentans querelā inofficiosi, nec in eā obtinens, non amittit id, quod sibi in eo testamento legatū est subonere restitutionis.*

16 *Iniuria nō est facienda ei, qui nihil cōmisit.*

17 *Delictum vnius alteri nocere non debet.*

18 *Qui rogatus est restituere hæreditatē alteri, si agat querela inofficiosi, & succumbat, amittit tantùm Quartā Pegasianā.*

19 *Accusans testamētum de inofficioso, & succumbens, solum id amittit, quod ex eo testamento, non quod aliundè à testatore adhuc viuo habuit.*

20 *Dictio improbè quomodò explicetur.*

21 *Improba lis q̄, & Improb⁹ litigator quis sit.*

22 *Fiscus quid sit.*

23 *Differentia inter indignum, & incapacem.*

24 *Desistere quid sit? remissiuè.*

25 *Iniuria quid sit.*

26 *Falcidia appellatione oīs quarta cōtinetur.*

1 QVemadmodùm ille,† qui iustè queritur de inofficioso testamēto remediū habet à lege, vt rescindat testamentū, & rem ad causam intestati redigat, vt sup. in Rub. nu. 14. dictū fuit, ità etiā è conuer-
2 sò, qui† improbè, & iniustè testamentū tāquàm inofficiosū accusat pœna coerceri debet, vt in tex. nostr. Cui concordat tex. in l. si testamētum inf. de petit. hæred. in l. 2. in princip. in l. post legatum §. 1. & §. ei qui infr. de his, quæ vt indign. in l. sed sub conditione §. ei, qui inf. de bon. possess. contr. tab. & in l. q. falsas, C. ad l. Cornel. de fals.
3 Qui improbè † testamentum inofficiosum dicit, & præsens victus est, amittit id, q̄ sibi in eo testamento est datū, idq; fisco applicatur, quasi indigno ablatum, quod
4 nulla alia ratione factū fuit, quā vt† temeritas eorum compescatur, qui facilè ad litigandum procedunt, & improbè iudicia defunctorū euertere conantur; argum. tex. in princ. Inst. de pœn. tem. litig. ideò cum istè testamētum oppugnauerit, nec expugnauerit, vt inquit hic Cuiac. & sic temerè inofficiosum testamentū dixerit, hac pena plectitur, vt amittat legata, fideicōmissa, & generalitèr oīa, quæ ex illo testamento accepit, adhoc autē, vt istè improbè querelam intentans perdat commodum, &
5 emolumentum ex eo testamēto, † quatuor concurrere debent, primùm est, vt testamentum

mentum tamquàm inofficiosum improbè accusauerit, propter enim hoc delictum fit confiscatio relictorum, & ità hunc textum singularem ad hoc notant Ang. & Castr.
6 hic. Vndè sequitur, quod † si quis per errorem mouerit querelã, non existimans iustam causam exheredationis subesse, vel ignorans alios, qui cũ in gradu præcedant viuere, querelam intentauerit, quamuis victus sit, tamen relictum sibi in eo testamento non debet amittere, vt per Donell. lib. 19. comment. iur. ciuil. c. 9. col. 8. & ità id, quod dicitur, quòd ab indigno ablatũ fisco applicatur, intelligi debet, quoties culpa aliqua, in eo, à quo aufertur argui potest, nam si nulla illius culpa detegitur, non applicatur fisco, sed hæredi l. si pater, & ibi Bart. post gloss. C. de hæred. inst. ità tradit Costal. hic in §. nostro, debet ergò improbè testamentum de inofficioso ar-
7 guere, secùs verò si dixerit † non iure factum, nec obtinuerit, hoc namquè casu, nõ amittit relictum, quoniam de iure disputauit, non iudicium defuncti accusauit l. post legatum §. 1. & l. si testamentum inf. de his, quæ vt indign. Secundum quod desideratur est, vt qui egit de inofficioso in lite improba, perseuerauerit vsquè ad extremum, vt etiã in l. alia causa C. de his quib.
8 vt indign. vndè qui querela mota † antè sententiam desistit à iudicio, vel decessit, non amittit, quod sibi in testamento datũ
9 est, vt in text. nostro, & sic patet, quod parcitur pœnitenti, cum sibi relictum non auferatur, sed conseruetur, vt etiam in l. fin. infr. de eo, quod cert. loc cum alijs multis, de quibus per gloss. hic in verb. desistit, ex
10 hocquè Bartol. colligit, quod † Humanum est peccare, Diabolicum perseuerare, addamus nos Angelicum emendari, quod tamèn intelligi debet, quandò quis desistit à iudicio re adhuc integra existente, & dubia, & sic antequam testium testificata aperiantur, & manifestentur, alias enim aperiretur via fraudandi dispositionem huius §. videns enim quis se debere succumbere, desisteret à lite, & ità hunc tex. intelligũt hic Ang. & Castr. Tertium requisitum est, vt iste querelam intentans præsens sit, dum contrà se pronunciatur, nam si eo absente sit pronunciatum pro testamento, id quod ex testamento accepit, conseruandum est, inquit text. noster, nam
11 qui † absens victus est, non tam victus videtur, quod malam causam haberet, quã quod abesset, nec causam, vt oportet, ageret, & ità potius ex sua contumacia, quam iure, hoc est ex eremodicio potius, vt inquit Cuiac. hic, quàm ex merito causæ illã amittit, & ideò videmus in querela inofficiosi, si heres scriptus absens sit, & per cõtumaciam contrà testamentum pronun-
12 ciatũm sit, † testamentum in totum non rescinditur l. qui repudiantis §. fin. inf. eodem, not. Dionis. Gothofred. in l. si ideò in princip. in verb. videtur infr. de euict. Vltimò tandem requiritur, vt iste, qui querelam intentauerit, nec obtinuit, de inoffi-
13 cioso suo nomine egerit, secùs † verò si alieno nomine egerit, vt pater filij nomine, vel tutor pro pupillo egerit l. filius §. 1. & l. aduersus §. 1. infr. hoc tit. nostr. §. sed si è contrario luitit. eodem, & l. tutorem infr. de his, quæ ut indign.

Declaratur conclusio suprà proposita, ut uera sit in ijs tantum rebus, quæ intentans querelam inofficiosi habuit ex testamento, quod impugnare conatus est, & sic in eo tãtum, quod sibi in eo testamẽto da-
14 tum est, † id autẽ intelligitur datum, cuius emolumentum ad eum pertinent, & sic ab eo captum, & apud eum mansurum est l. aliud est capere infr. de uerbor. signific.
15 Vndè si isti, † qui querelam inofficiosi proposuit, nec obtinuit, aliquid sit legatum, quod rogatus sit restituere, licet succubuerit in causa inofficiosi, non per hoc tamen legatum amitti debet, & fisco applicari, ut hic in uersic. cœterum si id rogatus fuit restituere, alteri enim datũ intelligitur, nec
16 ei, † qui nihil commisit fieri debet iniuria argumento l. in seruitutem §. nonnum-
17 quam infr. de bon. libert. & sic † delictum unius alteri nocere non debet l. sancimus, Codice de pœnis. Idem quoquè erit, si iste, qui querelam inofficiosi proposuit, nec obtinuit, institutus fuerit in tota hæreditate, eamquè restituere rogatus sit, si

enim

enim omiserit adire hæreditatẽ, & aduersùs fideicommissarium egerit querela inofficiosi, quod fieri potest l. 1. C. hoc tit. nostro, & nos suprà in hac l. nostra in §. quoniam autem nu. 54. diximus, in eaq; non
18 obtineat, † tunc solùm Quartã Pegasianã amittit, vt in l. post legatum §. & falcidiæ infr. de his, quę vt indign. dodrans autem, quod restituendum venit, non amittitur, nec fisco applicatur, ne fideicommisso iniuria fiat, vt inquit Paul. lib. 4. recept. sentent. tit. 5. & ibi Cuiac. notat, quod est verum purificata conditione restituendi, interim enim dùm purificatur cõditio fiscus capit hęc bona, sed cũ sua cauf., t per Bal. hic & Cagn. n. 6. Non etiam amitti debet
19 id, † quod aliundè, quàm ex testamento, ꝗ impugnat, quis habet, vt putà si Quartam Antonianam, siuè ex cõstitutione D. Pij habere debeat, vt in casu, de quo in §. seq videbimus, eã enim amittere non potest; Vel si habuerit aliquid sibi datũ à testatore adhuc viuo, vel ex donatione, vel ex causa dotis, vt in l. etiã inf. hoc tit. nost. non. n. illud dicitur habere ex testamento, sed ex donationibus, vt in tot. tit. Instit. de donat. nec hoc casu donatio causa mortis similis est legatis, vt in l. post legatum §. qui mortis infr. de his, quæ vt indign.
20 Improbè] † idest contrà bonam fidem l. non est ferendus supr. de transact. & l. vindicantẽ infr. de euict. vel improbè idest mala fide l. si pupilli §. sed & si quis sup. de
21 negot gest. Vndè † improba lis dicitur hic in §. nostro, & in l. destitisse supr. de iudic. & improbus litigator dicitur l. 2. §. quod si actor C. de iureiur. propt. cal. dand. §. hæc autẽ Instit. de pœn. temer. litigant. quarè qui assiduè in litibus dolo malo moratur scurra, & improbus appellatur; Hinc est, quod Salustius bellum enarrans Iugurtinum de Metello sic scripsit, Improbus, intestabilisquè videtur Metellus, postquam de rebus vaccæ actis competit.

Nec obtinuit] idest succubuit inquit glo. hic; sic quoq; habetur in l. etiã inf. eod.

In testamento accepit] idest, quod in testamento sibi relictum est, nam si iam accepisset, ei non cõmpeteret querela, vt suprà dictum fuit in §. si quis mortis causa, & in §. si conditioni hac lege nostra.

Fisco vindicari] Principis nempè Ærario, licet Plinius ad Traianum scribens obseruet differentiam inter ærarium, &
22 fiscum, † fiscus tamen dicitur Saccus Regius, siue Ærarium, aut collectio Regij, vel Imperialis thesauri, vt per Azon. in sum. C. de iur. fisc.

Quasi indignò] elegãtèr dicitur qua-
23 si indigno ablatum hic, nàm † aliud est si ab incapace ablatum erit, istud enim non fisco applicatur, sed apud hæredem permanet, veluti si legatum factum sit spurio l. 1. C. de natur. lib. trad. Bart. in l. 1. C. de delator. lib. 10. vel si legetur deportato l. si in metallum infr. de his, quę pro nõ script. habent.
24 Desistit] † desistere quid sit, dictum est in l. desistere supr. de iudic. sub num. 10.
25 Iniuria fieri] iniuria † generalitèr dicitur omne id, quod non iure fit, & ità quod iure, & iustitia caret l. 1. in princip. infr. de iniur.

Papinianus lib. 2.] quod etiam dicit Paul. lib. 4. sententiar. tit. 5.
26 Iure falcidiæ] idest † Trebellianicæ falcidiæ enim appellatione omnis quarta continetur, vt suprà in §. quoniam autem huius legis nostræ num. 17. dictum fuit.

Ad §. si quis impubes.

§. Si quis impubes adrogatus sit, ex his personis, quæ & citrà adoptionem, & emancipationem queri de inofficioso possunt: hunc puto remouendum à querela: cùm habeat quartã ex constitutione D. Pij. Quid si egit, nec obtinuit: an quartam perdat? & puto aut non admittendum ad inofficiosum, aut si admittatur, etsi non obtinuerit, quartam ei, quasi ęs alienum concedendam.

N 2 SVM-

SVMMARIVM.

1 *Arrogari olim nō poterat qs nisi pubes esset. Hodiè verò etiam pupillus arrogari potest ex constitutione Diui Pij.*

2 *Impubes arrogatus, & posteà vel emancipatus, vel sinè causa exhæredatus, quartā partem bonorum patris arrogantis habere debet ex constitutione Antonini Imperatoris, & num. 4.*

3 *Impubes arrogatus qui sit ex his personis, q. bus regulariter competit querela inofficiosi, si exhæredatus sit, non per hoc potest agere querela inofficiosi.*

5 *Quarta Antoniana in legitimā imputatur.*

6 *Quartæ duæ insimul eodem instanti non detrahuntur.*

7 *Quarta Antoniana distat à quarta legitima.*

8 *Legitima non debetur nisi iudicio defuncti.*

9 *Quarta Antoniana debetur ex constitutione D. Pij Antonini, nō ex iudicio defūcti.*

10 *Quarta Antoniana debetur tamquam æs alienum.*

11 *Legitima non debet̄ nisi deducto ære alieno.*

12 *Impubes arrogatus, si exhæredatus intētet querelam inofficiosi, & succumbat, non amittit quartam Antonianam.*

13 *In querela inofficiosi succumbens, amittit tātū, quod sibi in illo testamēto est relictū.*

14 *Arrogatus filius quandoq; est melioris conditionis, quā filius legitimus, et naturalis.*

15 *Filio Arrogato pupillariter substitui potest.*

16 *Arrogatus non potest onere fideicommissi grauari in quarta sibi debita.*

17 *Fideicommisso quis onerari non potest in eo, quod sibi debetur.*

18 *Arrogatio fit de eo, qui sui iuris sit, & cum Principis rescripto.*

19 *Arrogatio vndè dicta sit.*

20 *Arrogatio olim solùm apud populū fiebat, et quarè, hodie verò apud Principē tātùm.*

21 *Adoptio, quid sit.*

22 *Adoptionis origo antiquissima est.*

23 *Emancipatio quid sit, & quomodo fieret.*

24 *Antoninus Imperator à Senatu, Pius cognominatus est, & quarè.*

25 *Imperatores cognomen Pij reportarunt ab Antonino, qui primus fuit Pius à Senatu cognominatus.*

QVia superius in §. quoniam autem hac lege nostra dictum est, quòd quarta debitę portionis sufficit ad excludendam querelam inofficiosi, ideò queritur hic quid iuris de eo, qui quartam ex constitutione Diui Pij habet, an excludatur à querela.

1 Pro intellectu præsciendū est, † quod olim
arrogari non poterat quis, nisi Vesticeps
hoc est pubes esset, hodiè verò etiā pupillus
causa cognita arrogari pōt ex constitutione D. Pij Antonini, vt inquit Vlpian. in
2 fragm. suarū Inst. tit. 8. de adopt. † Ex qua
cōstitutione si quis impuberē arrogauerit,
& eū posteà emancipauerit, vel sinè causa
exhæredauerit, tenetur oīnò quartā partē
bonorū, quæ tempore mortis habet ei relinquere l. fin. infr. si quid in fraud. patr. &
§. cùm autem impubes Instit. de adopt. &
hæc quarta Antoniana dicitur, vt per Cuiac. hic col. 3. quæ quidem prouenit nō ex
iudicio defuncti, sed ex beneficio cōstitutionis Antonini Imperatoris, & filius arrogatus huius quartę petitionē habet, etiā
si sibi relicta non sit, vt per Cuiac. vbi sup.
Modò hoc ita stāte ex hoc textu nostro
3 conclusio est, quod si † impubes arrogatus
sit ex his personis, quibus regulariter competit querela inofficiosi, & in testamento
exhæredatus sit, nec ei aliquid fuerit relictum, non per hoc sibi datur querela inofficiosi testamenti, & ratio in textu nostro
tacta est, quia iste omninò est habiturus
quartam portionem eius, quod ab intestato prætendere potest, quo casu excluditur à querela, vt superiùs dictum fuit
4 in §. quoniam autem quarta habet † enim
quartam ex constitutione Diui Pij Antonini, ideò à querela inofficiosi excludi-
5 tur, cum † hæc quarta in legitimam im-
6 putari debeat illa ratione, † quia duæ
quartæ insimul eodem instanti non detrahuntur, vt aliàs est dictum in dicto §.
7 quoniam autem quart. Hæc † autem
quarta Antoniana longè distat à quarta
legitima, quæ liberis debetur, differentia
8 est in hoc, † quia legitima non debetur nisi iudicio defuncti, hoc est nisi sit relicta,
nam si non sit relicta competit querela
inoffi-

inofficiosi, & ità eius petitio non datur, ni-
9 si cùm eam testator reliquerit; † Quarta verò Antoniana non ex iudicio defuncti, sed ex constitutione Diui Pij Antonini debetur, & eius portio competit etiam
10 si non sit relicta; Prætereà † hæc quarta Antoniana petitur, & debetur tamquàm æs alienum, vt in textu nostro, vndè qui eam non petit, non censetur esse hæres, nō bonorum possessor, sed quasi creditor l. 2.
11 §. 1. infr. famil. ercisc. Quarta † verò legitima non debetur nisi deducto ære alieno, vt supra in d. §. quarta autem vidimus.
12 Si † impubes arrogatus exhæredatus fit, & intentet querelam inofficiosi, nec in ea obtineat, non per hoc amittit quartam Antonianam sibi debitam ex constitutionē Diui Pij, de qua suprà, & ratio est, quia eam habere debet tamquàm æs alienum, & sic tamquàm debitam sibi ex d. constitutione Diui Pij Antonini, non iudicio te-
13 statoris, † qui enim succumbit in querela, amittit tantùm, quod sibi in illo testamento est relictum, vt est dictum in §. antece-
14 dēti, & sic in hoc † filius arrogatus est melioris cōditionis, quàm sit filius legitimus, & naturalis, iste enim si agat improbè querela inofficiosi, amittit legitimam, vel alia sibi relicta in eo testamento, arrogatus verò etiam si improbè agat, non potest amittere hanc quartam Antonianam, ità considerat Eman. Cost. ad c. si pater in 3. part. in verb. priuare non possit num. 31. de testam. lib. 6. in alio melioris conditionis est iste arrogatus, quàm sit legitimus, & naturalis, nàm legitimus & naturalis onere fideicommissi grauari potest in sua legitima, & si fructus habere possit, in ea sunt computandi, & sic eam tenetur restituere, si rogatus sit, quod verum est de iure antiquo Digestorum, secus verò de iure nouo Codicis, vt superiùs est dictum in hac l. no-
15 stra in §. vndè, iste † verò arrogatus licet ei pupillaritèr substitui possit l. si arrogator supr. de adopt. l. sed & si plures §. in ar-
16 rogato infr. de vulg. & pupill. † non poterit tamèn post pubertatem grauari onere fideicommissi, & sic restitutionis, quià est tamquàm æs alienum, vndè dicitur, quòd
17 in eo, † quod mihi debes, non potes me onerare fideicommisso d. l. si arrogator supr. de adopt.
18 Arrogatus] qui † scilicet sit sui iuris, vt in l. 1. in fin. supr. de adopt. & cum Principis rescripto l. generalis supr. eod. tit. de adopt. & habetur in princ. Inst. eod. indè
19 què † arrogatio dicta erat ex mente Caij in l. 2. supr. de adopt. quòd ille, qui adoptabat, rogabatur, vtrū illum, quem adoptaturus erat, iustū sibi filiū esse vellet, ille paritèr, qui adoptabatur, rogabatur, vtrū id fieri pateretur. Gell. verò lib. 5. noct. Attic c. 19. indè dictā arrogationem tradit, quòd non nisi rogatione ad populum lata fieret in hæc verba, Velitis, iubeatis Quirites, vti Titius Caio tàm iure, legeque filius sit, quàm si ex eo patre, matreq; fami-
20 lias eius natus esset. † Olim enim arrogationes solùm apud populum fieri solebāt, vt prætèr Gelliū patet testimonio Vlpian. in suis Inst. tit. 8. & ratio erat, qa iure proditum fuit, vt nemo ciuis libertatem sinè populi auctoritate amittere posset; Vndè posteà translato populi imperio in Principem, statutum fuit arrogationes fieri non posse nisi cum principali rescripto, vt in §. 1. Instit. de adopt. & l. 2. supr. eod.
Ex his personis] vt putà ex descendentibus ex filia, & ità auus maternus fit arrogator.
21 Citrà adoptionem] † adoptio est naturæ similitudo, vt aliquis filium habere possit, quem non generauit, vt inquit Caius in suis Institut. libro primo tit. 5.
22 Adoptionis autèm origo antiquissima est, non solum enim apud veteres Romanos in vsu erat, vt patet apud Gell. dicto libro quinto, capitulo 19. sed & apud Græcos, vt ex Plutarcho in Theseo liquet, quo loco Theseum ab Aegeo in filium acceptum refert.
23 Et emancipationem] † emancipatio est patriæ potestatis relaxatio, vtriusq; scilicet & patris, & filij interueniēte cōsensu coràm iudice §. prætereà Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit. que emancipatio similitudinē vēditionis habebat hoc modo

naturalis pater filium ſuū alij fiduciario patri mancipabat, in manum ſcilicet tradebat, quòd ſecundò, & tertiò fiebat corā ſeptem teſtibus, & tali ſuperſtitioſo circuitu filius emancipabatur, & ſic patriam exhibat poteſtatem, vt tradit Caius lib. 1. Inſtit. tit. 6.

Diui Pij] ideſt Diui Antonini Impe-
24 ratoris, † qui à Senatu Pius cognominatus eſt ob ſingularem animi pietatem, ac pacis ſtudium, de quo vox eſt illum dixiſſe, Malle ſe vnum ſeruare ciuem, quam
25 mille hoſtes perdere, † ab eoq; cæteri Imperatores Pij dicti ſunt, vt in §. facimus autem in Auth. vt liberti de cæter.

Concedendam] nam ſibi debetur nō iudicio teſtatoris, ſed ex conſtitutione Diui Pij, vt ſuprà.

Ad. §. ſi ex cauſa cum §. fin. & ad l. ix.

§. Si ex cauſa de inofficioſo cognouerit iudex, & pronunciauerit contrà teſtamentum, nec fuerit prouocatum: ipſo iure reſciſſum eſt: & ſuus hæres erit, ſecundùm quem iudicatum eſt, & bonorum poſſeſſor, ſi hoc contendit, & libertates ipſo iure non valent: nec legata debentur: ſed ſoluta repetūtur: aut ab eo, qui ſoluit, aut ab eo, qui obtinuit; & hæc vtili actione repetuntur. Ferè autem ſi ante controuerſiam motam ſoluta ſunt: qui obtinuit, repetet, & ità Diuus Hadrianus, & Diuus Pius reſcripſerunt.

§. Planè ſi poſt quinquennium inofficioſum dici cœptum eſt ex magna, & iuſta cauſa: libertates non eſſe reuocandas, quæ competierūt, vel præſtitæ ſunt, ſed viginti aureos à ſingulis præſtandos victori.

L. ix. Modeſtinus libro ſingulari de inofficioſo teſtamento.

Si autèm intrà quinquennium egerit, libertates non competunt: ſed Paulus ait præſtaturum victorem fideicommiſſas libertates: ſcilicet viginti aureis, & in hoc caſu à ſingulis præſtandis.

SVMMARIVM.

1 *Teſtamentum inofficioſum à iudice pronunciatum reſcinditur ipſo iure.*
2 *Sententia an faciat ius, & quando.*
3 *Ille ad cuius fauorem teſtamentum inofficioſum pronunciatur, efficitur ipſo iure ſolus hæres de iure ciuili, vel bonorum poſſeſſor de iure Prætorio.*
4 *Semel hæres non deſinit eſſe hæres.*
5 *Duo hæredes in ſolidum, alter ex teſtamento, alter ab inteſtato eſſe non poſſunt.*
6 *Teſtamento annullato corruūt omnia in eo diſpoſita, & ſic legata non debentur.*
Declara, vt hoc procedat de iure Digeſtorū antiquo ſecus verò de iure nouiſſimo Authenticorum, vt num. 28.
7 *Sententia data contrà hæredem præiudicat omnibus alijs in teſtamento nominatis.*
8 *Sententia inter alios lata, nec prodeſt, nec præiudicat tertio.*
9 *Hæres dicitur caput teſtamenti.*
10 *Deſtructo principali corruunt, & omnia eius acceſſoria.*
11 *Legata indebitè ſoluta quando poſſint repeti, & à quo, & num. 29.*
12 *Teſtamentum ſi pro parte tantùm declaretur inofficioſum, non verò in totum, tūc diſpoſita in teſtamento ſuſtinentur.*
13 *Hæres victus in cauſa inofficioſi, ſi colluſerit cum hærede legitimo, tenetur legatarijs.*
14 *Legata debētur, & reliqua diſpoſita in teſtamento inofficioſo valent, quandò teſtamentum ſit declaratum inofficioſum ex bremollicio potiùs, quā ex meritò cauſæ.*

Pro-

15 *Prouocatio, siuè appellatio extinguit sententiam, & reponit omnia in pristinum statum.*

16 *Libertas directò data in testamento debet stare in suspenso, sicut & ipsum testamentum, donec de viribus ipsius argui possit.*

17 *Manumissus semèl non debet nulla culpa sua interueniente in seruitutem redigi.*

18 *Libertates directè semèl datæ, non debent amplius rescindi.*

19 *Filius à matre præteritus habet querelam inofficiosi testamenti.*

20 *Filius à matre præteritus duo remedia habet.*

22 *Prouocare quid sit.*

23 *Prouocatio inest appellatio.*

24 *Suus hæres quis sit, & quarè suus appelletur.*

25 *Bonorum possessor quis sit.*

26 *Bonorum possessor comprehenditur appellatione hæredis.*

27 *Libertas quid sit.*

28 *Vtilis actio quarè dicatur in textu nostro.*

30 *Imperatores quarè diui dicantur.*

31 *Quinquennij spatium est attributum illis, qui volunt agere querela inofficiosi.*

32 *Pauli I.C. encomia.*

33 *Libertates fideicommissariæ, & directæ, quæ nam sint.*

DE sententia lata in causa inofficiosi, quæ testamentum rescindat ipso iure agit Vlpian. hìc in §. si ex causa, cũ quo concordat tex. in l. posthumus §. si quis ex his supr. hoc tit. nostro, in l. cùm mater in fin. infr. eod. in l. si superatus in princ. inf. de pignor. & hypoth. in l. cùm duobus, in l. si matrinis C. hoc tit. nostro, & in l. fin. §. sin autem C. de pet. hæred.

Vnica conclusio ex tex. huius §. colli-
1 gitur, quòd scilicet † testamẽtum pronunciatũ à iudice inofficiosum rescinditur ipso iure, ratio est, quià hoc casu sentẽtia ius
2 facit, licet enim regularitèr † sententia nõ faciat ius, sed tãtùm declaret id, quod est, & pro veritate habeatur l. res iudicata inf. de re iudicat. hoc tamen casu sententia ius facit, quia vt inquit Castr. hìc, non est, simpliciter declaratiua de eo quod est, sed etiam est annullatiua, annullat enim id, quod erat testamentum nempè, & rescindit id, quod erat validum, tanquam à furioso, aut à demente factũ l. 2. & l. Titia in fin. & l. mater inf. hoc tit. nost. Ex hoc autem, quòd testamentum ipso iure rescissum sit per sentẽtiam, quæ illud inofficiosũ declaret, multa sequuntur. Et primò, quòd ille, ad cuius fauorem inofficiosũ pronunciatũ est testamẽtum, efficitur ipso iure suus hęrès de iure ciuili, si hoc velit, vel bonorum possessor de iure Pretorio, si hoc prætendat, quià fortè de iure ciuili hęrès esse nõ possit, vt quia sit emancipatus, vel cognatus, quarè & secũdò sequitur, quòd scriptus hęres in testamento desinit esse hæres ipso iure, contra
4 regulam, quæ vult † quòd semèl hæres nõ desinat esse hæres l. & si sine §. sed quod Papinianus supr. de minor. hæc enim regula non procedit in casu testamenti, quod inofficiosum sit pronunciatum, in quo qui semèl fuit hæres desinit esse hæres, vt etiã in l. ex facto §. Iulius infr. de vulgar. & pupill. & ità causa testati reducitur ad causã intestati, aliàs enim si non desijsset causa testati, sequerètur quòd duo hęredes in solidum essent, vnus ex testamento, alter ab
5 intestato, † quod regularitèr esse non potest l. ius nostrum infr. de reg. iur. sequitur & tertio loco, quòd cum res sit redacta ad causam intestati, ideò libertates in eo testamento datæ ipso iure non valent, nec etiam legata debẽtur, nec fideicommissa
6 l. Titia in fin. infr. hoc tit. nostr. † annullato enim testamento tanquàm principali, corruunt in consequentiam omnia in eo disposita argumento tex. in c. accessorium de reg. iur. lib. 6. & in l. cum principalis in-
7 de reg. iur. & sic † sententia data contra hęredem præiudicat omnibus alijs in testamento nominatis contra regulam, quę nõ
8 vult, quòd † sententia lata inter duos prosit, vel noceat tertio l. p. infr. de except. rei iudi. notatur in tot. tit. C. quib. res iud. nõ noc. & in tot. tit. C. int. al. act. vel iudic. al. non nocer. istud enim speciale est hoc casu,

su,vt inquit Pac.centur. 3.leg.conciliat.q. 31.propterea quòd istis personis nihil debetur,nisi constet testamentum valere l. 3. infr.de pignor. & hypoth. quod quidem ualere non potest, nisi hæres ex eo extet,
9 † hæres enim dicitur caput ipsius testamen
10 ti §.antè hæredis Instit.de leg.ideò † destructo principali, & omnia in eo contenta anichillantur d.l.cum principalis infr. de reg.iur.& ità sequitur etiam, quòd si libertates sint datæ, & legata soluta sint,
11 † quòd poterunt repeti, si enim ab hærede scripto antè motam controuersiam de suo sint soluta, repetit condictione indebiti l.3.infr.de condict.indeb. si verò post motam controuersiam de suo soluerit,tûc non datur repetitio,vt per Odofred. hic, sed si soluta sint de bonis hæreditarijs,tûc non scriptis hæres, sed suus hæres, qui victoriam obtinuit in querela inofficiosi repetit eadem certi condictione d.l. 3. infr. de condict.indeb.

Limitatur conclusio de qua suprà, primò vt procedat tunc tantùm, si in totum actum sit de inofficioso testamento, secùs verò si pro parte tantùm actum sit, & pro parte tantùm rescissum sit testamentum
12 officio iudicis, tunc enim † secundæ tabulæ valent §. sed nec impuberis supr. hac ead.l.libertates etiam competunt,cum satis sit vnum hæredem existere, & ab vno hærede ex parte testamentum sustineri.

Limitatur secundò, vt non procedat tunc,quando hæres scriptus colluserit cû legitimo hærede,& ità lusoriè causam egerit,passusquè sit sibi hæreditatem aufetri, nam hoc casu libertates,& legata sustinen
13 tur,& † hæres victus tenebitur legatarijs l.si seruus plurium §.1.infr.de leg. 1.

Limitatur tertiò, vt non procedat tûc,
14 † quando hæres scriptus damnatus sit ex eremodicio potius, quam ex merito causæ,tunc enim libertates, absquè alio precio ab hærede legitimo præstantur, sicut & legata l. qui repudiantis §.fin. & l. seq. infr. hoc tit.nostro, & l. si perlusorio infr. de appellat.

Limitatur quartò,vt non procedat tûc, quandò per hæredem scriptum prouocatum sit à sententia, quę inofficiosum declarat testamentum, vt in textu nostro ibi,
15 Nec fuerit prouocatum, † prouocatio namquè siuè appellatio extinguit sententiam datam l.fin.infr.ad Turpil.S.C. Bartol.in l.illud sciendum num. 1.infr.de appellat.& omnia reponit in statu,in quo erant antè latam sententiam Bartol.in l.hi qui ad ciuilia nu. 5.C.de appel.

Limitatur tandem, vt procedat tunc tantùm, quandò querela inofficiosi infrà quinquennium ab adita hæreditate proposita sit,hoc enim casu verum est, quòd rescisso testamento per querelam libertates directæ non competunt,nam quamuis ipso iure statim ab adita hæreditate competat data directò libertas, sicut tamen te
16 stamentum, sic etiam, † & ipsa directa libertas suspensa est toto illo quinquennio, quo querela institui potest,itaut si per querelam infirmetur testamentum,nequè ipsa libertas directò data debeatur,fideicômissariæ autem libertates retinentur,cum ab hærede scripto fuerint datæ,ità tamê si pecunia redimantur, hoc est si singuli serui manumissi verbis precarijs dent hæredi legitimo viginti aureos, vt hic in text. l. si autem,& in l.4. C.hoc eod.tit. quia indi-
17 gnum esset,eum † qui fuit aliquandò manumissus,nulla sua culpa in seruitutem redigi, vt per Cônan.lib.9.comment.iur.ciuil.c.8.num.8.si verò post quinquennium ex magna,& iusta causa inofficiosum quis dixerit testamentum, ut putà, quià tamquàm minor viginti quinquè annis restitutus fuerit ad agendum, ut in l. 2. C.in quib.caus.in integr.restit.necessar.nô est,
18 tunc nec † etiàm directæ libertates datæ sunt reuocandæ,vt hic in §.fin.& hoc fauore libertatis,& eadem ratione de qua suprà, dummodò tamen singuli serui victori dent pro libertate consecuta viginti aureos,sic etiam in simili euenit, si post quinquennium de iniusto testamêto agatur,tunc enim ij,qui libertatê habuerunt, non possunt in seruitutem redigi, sed nè

cis

eis, libertas auferatur hoc pecunia redimēdum erit l. vxorem inf. de manum. testam. quod etiam in simili habemus in l. si sub hac conditione inf. eod.

Opponitur contra textum §. si ex causa, dum vult, quod si rescindatur testamētum per querelam, legata in eo testamento relicto non debeantur, obstare enim videtur tex. in l. cum mater infr. hoc tit. nostro, vbi sustinentur legata, & fideicōmissa, cum hæreditas materna defertur filio, quem mater falso putās iam decessisse præ-
19 terierat, † cui filio à matre præterito certum est succurri per querelam inofficiosi l. si instituta inf. eod. ergò videtur, quòd testamento per querelam rescisso, legata nihil ominus, & fideicommissa debeantur.
20 Pro solutione sciendum est, † quòd filio à matre præterito duplex remedium competit, querela nempè inofficiosi, & actio ex præsumpta voluntate matris ex decreto Diui Hadriani, quemadmodum in simili ex præsumpta volūtate defuncti actio datur in l. fin. inf. de hæred. instit. Cum enim mater putaret filium iam obijsse, ideò præterijt, quare præsumitur voluisse eum esse hærede n, instituisset enim si sciuisset eum viuere, itaquè si filius agat de inofficioso, rescinditur testamētum, & legata non valent, vt in textu nostro, si verò agat ex præsumpta mente matris, tunc tenetur præstare, & legata, & fideicommissa in eo testamento relicta, & ità procedat tex. in d. l. si instituta inf. eod.

Id autem, quod in textu nostro dicitur, rescisso testamēto per querelam inofficiosi, non deberi legata, nec fideicommissa, procedit de iure Digestorum antiquo, ho-
21 die † autem correctum est per ius nouissimum Authenticorum, si enim testamentum inofficiosum declaretur, licet hæredis institutio corruat, cœtera tamen in testamento disposita firma manēt, vt in Auth. ex causa C. de lib. præter. §. siue igitur, & §. si tales igitur causas in Auth. vt cum. de appell. cognoscit.

De inofficioso] testamento scilicet, alias legitur, de inofficiosi, querela scilicet.

Prouocatum] idest appellatum,
22 † prouocare enim in iure nostro est appellare, quomodo accipitur in tit. C. quand.
23 prouoc. non est necess. Vnde † prouocatio est appellatio, quare Cicero de legib. inquit, ad quos prouocatio esto.

Et suus hæres erit] de iure ciuili sci-
24 licet, † suus autem hæres is dicitur, q. quasi proprius est, & domi natus, nec aliunde accitus est, qua siquè sui ipsius hæres, hunc Iustinianus esse existimat filiū, filiam, nepotem, neptem vè ex filio, & deinceps cæteros liberos, qui in potestate morientis fuerunt, & primum locum obtinent, & q a hi viuo patre quodammodo domini existimantur, & post mortem patris liberam bonorum administrationē consequuntur, ideò sui hæredes appellantur §. sui Instit. de hæred. qualit. & differ.

Et bonorum possessor] de iure scilicet Prætorio, quemadmodum enim de
25 iure ciuili hæredes, sic † de iure Prætorio bonorū possessores appellabūtur ij, qui hereditatis possessores erant l. 3. §. 1. infr. de bonor. possess. tradit. Iacob Ræuard. in l. Prætor bonorum inf. de reg. iur. bonorum autem possessor licet propriè hæres nō sit, cum tamē omnino hæredi subrogatus sit, & in omnib. vicè hæredis habeatur, vt inquit Vlpian. in suis fragm. Instit. lib. 2. de
26 bonor. possess. ideò † quælibet dispositio de hærede verba faciens, comprehendet quoquè, & bonorum possessorem l. in cōditionibus §. si patronus infr. de cond. & demonstrat.

Et libertates] datæ scilicet in testa-
27 mento, libertas † autem à Cicerone in lib. de offic. definitur, vt sit potestas viuendi prout quisque velit, Florētin. verò I. C. inquit, quòd libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut iure prohibeatur l. 4. supr. de stat. homin. habetur in §. & libertas Instit. de iur. person.

Vtili actione] idest condictione in-
28 debiti, quæ † ideo vtilis dicitur, quia directa competit soluenti, & sic heredi scripto, hæc verò vtilis hæredi legitimo, ad cuius

scilicet

scilicet fauorem testamētum inofficiosum pronunciatum fuit.

29 Ferè autem] ideò ferè dicit, quia † si antè motam controuersiam soluta sint legata, datur repetitio, si verò soluta sint post motam controuersiam, tunc nulla datur repetitio l. dolo carere inf. ad l. falcid.

30 Et ità Diuus] ideo † diuus appellatur, quia fatui adeò erant prisci illi Imperatores, vt crederent se mortales ab ipsis Dijs profectos, vel posse Deos effici, q. Diui propriè tunc vocabantur, qua ratione potissimum Imperatores olim Diui appellabantur, vt potè, qui Diuorū numero sese putarent ascriptos. Est igitur Imperatoribus hoc præcipuū quoddam attributum, vt Diui appellentur; quod nos poterimus dicere ea ratione fieri, q̄a in administranda iustitia Dei ministerium agunt.

31 Si post quinquennium] † quod spatium illis præstitutum est, qui volunt agere querela inofficiosi l. si quis filium, & l. scimus C hoc tit. nostro.

Quæ competierunt] respectu scilicet directarum.

Vel præstitæ sunt] respectu scilicet fideicommissariarum.

Victori] ei nempè, qui obtinuit in causa inofficiosi.

32 Sed Paulus ait] Paulus † iste de quo hic mentio habetur fuit magnus I. C. Iulius Paulus dictus Præfectus, & Consiliarius extitit Alexandri Seueri Imperatoris cuius temporibus floruit; à Lampridio traditur eum vnà cum Vlpiano fuisse Assessorem Papiniani Præfecti Prætorio, de qua assessione ipsemet testatur in l. lecta inf. si cer. pet. libros in iure ciuili tā multos conscripsit, vt facilè in eo genere superiores omnes vicerit, vt tradūt Vltramont. in Iuris consult. descript. in verb. Iul. Paul. post comment. de verb. iur. fuit autē patria Patauinus illiusq; imago Pataui j in foribus palatij adhuc hodie cernitur cū longa inscriptione de qua per Eberlin. de orig. iur. c. 52. num. 20.

Victorem] verbum istud non reperitur in Pandectis florentinis.

Fideicommissas libertates] idest si

33 deicōmissarias libertates, quę † fideicommissariæ libertates sunt illæ, quæ mandantur hæredi dari, & opponuntur directis libertatib. quas statim dominus contribuit l. 1. §. in quibus inf. si sui plus quam per l. falcid. l. 2. §. 1. inf. de iur. codicil. & §. libertas Institut. de sing. reb. per fideicommiss relict.

Scilicet viginti aureis] aliàs legitur solum viginti aureis, vt per Io: Cruceū hic.

Ad l. x. Marcelus libro tertio Digestorum.

Si pars iudicantium de inofficioso testamento contrà testamentum, pars secundum id sententiam dederit: quod interdum fieri solet; humanus erit, sequi eius partis sententiam, quæ secundum testamentum pronunciauit: nisi apertè iudices iniquè secundum scriptum hæredem pronūciasse apparebit.

§. Illud notissimum est, eum, qui legatum percepit, non rectè de inofficioso testamento dicturum, nisi id totum alij administrauit.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ex duabus, quæ pro testamēto sentit præualet.*

Fallit vt num. 11. cum sequentib.

3 *Interpretatio, quæ fauet testamento, & vltimæ voluntati fauorabilis est, & tenēda.*

3 *Interpretatio qua ratione sit introducta.*

4 *Interpretatio crudelis dicitur, quæ fit ad subuertenda iudicia defunctorum.*

5 *Sententia illa, quæ libertati fauet præualere debet.*

6 *Sententia illa est attēdenda, quæ doti fauet.*

7 *Sententia lata pro paupere contrà diuitem præualere debet in duabus sententijs.*

8 Sen-

8 *Sententia contrà fiscum semper attendi debet.*

9 *Fiscus semper præsumitur dives.*

10 *Sententia, quæ reo fauet, tamquàm fauorabilior attendi debet.*

12 *Iudicio maioris partis standum est.*

13 *Delegati iudices si pares contrarias sententias tulerint, tunc statur ei, quam index delegans approbabit.*

14 *Arbitri si pares, & discordes sint nulli eorũ determinationi statur.*

15 *Legatum ex testamento accipiens, non potest agere querela inofficiosi, fallit vt numero 20.*

16 *Filius legitimam hodie iure institutionis omnino habere debet.*

17 *Legatum ex testamento accipiẽs, non excluditur, quin possit dicere testamentum falsum, vel iniustum.*

18 *Legatum accipiens dicitur agnoscere iudicium defuncti, vt etiam num. 15.*

19 *Legatum qui ex testamento accipit, non per hoc de necessitate dicitur cognoscere testamentum, an falsum, vel iniustum sit.*

21 *Legatum accipiens, vt alteri restituat, dicitur nudus minister.*

22 *Filius exheredatus, & relictus executor testamenti, si officium acceptet, non per hoc renunciat querela inofficiosi, vel iuri dicendi nullum testamentum.*

23 *Legatum accipiens, & alteri restituens, nihil ex eo testamento habere dicitur.*

24 *Tutor legatum accipiens pro pupillo suo, non prohibetur proprio nomine dicere inofficiosum testamentum.*

25 *Centumuiri cognoscebant de inofficioso testamento.*

26 *Centumuirale iudicium quale nam esset remissiuè.*

27 *Sententia quid sit.*

28 *Reus sententijs paribus absoluitur.*

SI plures iudices cognoscant de inofficioso testamento, & intèr se discordes sint, quid seruandum sit proponitur in hac l. nostra in princip. cui concordat l. cum filius in princ. infr. de leg. 2. cõcordat etiam l. inter pares infr. de re iudic.

1 Pars iudicum, † quæ pro testamenti validitate sentit præualet parti, quæ contrà testamentum pronuntiat, & ratio sit, quia

2 fauorabilis est, & tenenda ea † interpretatio, quæ testamento fauet, & vltimæ uoluntati l. Titia §. 2. infr. de leg. secundo, l. cum quidam C. de necess. seru. hæred. in-

3 stit. & hinc est, † quod interpretatio ea ratione est introducta, vt testamenta valida defendantur, glos. in l. Gallus §. quid si is

4 infr. de liber. & posthum. & † crudelis dicitur ea interpretatio, quæ fit ad subuertẽda iudicia defunctorum, vt inquit Bal. in cons. 129. circà medium volum. 1. & refert Simon. de Præt. de interpret. vltim. volunt. lib. 1. interpret. 1. dubit. 2. solut. 3. num. 4. idquè procedit non solum in testamento, verùm etiam, & in alijs disposi-

5 tionibus fauorabilibus, vt † puta in libertate, si enim pares sint iudices de libertate iudicantes, ea sententia præualet, quæ pro libertate fertur, quià fauorabilis est d. l. inter pares infr. de re iudic. l. in obscura

6 infr. de reg. iur. quod † etiam in causa dotis seruatur, quià in pari iudicio pro dote est tenendum l. in ambiguis infr. de iur. dot. & l. in ambiguis infr. de reg. iur. prout etiàm in causa matrimonij euenit, & alijs similibus fauorabilibus, vt per Castr. hic. Hinc Cuman. in d. l. inter pares infr. de re

7 iudic. dixit, † quòd in duabus sententijs contrarijs illa præualere debet, quæ lata

8 sit pro paupere contrà diuitem, & † ideò dicebat sententiam contrà fiscum sempèr

9 esse attendendam, ex quo † fiscus sempèr præsumitur diues l. non puto infr. de iur. fisc. vbi verò causa de per se non est fauo-

10 rabilis, tunc præualet sententia illa, † quæ reo fauet, tamquàm fauorabilior l. Arrianus infr. de act. & oblig. & d. l. inter pares infr. de re iud.

Limitatur conclusio de qua suprà, vt

11 non procedat, quando † ex actis appareret sententiam latam pro testamento iniquitatem cõtinere, ut in textu nostro, hoc enim casu sententia contrà testamentum, & sic contrà causam fauorabilem esset tenenda l. 3. §. duo infr. de Carb. edict.

Limitatur adhùc conclusio suprà firmata, vt procedat tunc tantùm, quando indi-

iudices pares essent numero, qui cōtrarias
sententias tulerunt, tunc enim illi statur,
quæ fauet testamento, vel causæ fauorabi-
li, secùs si numerus iudicum impar esset,
12 quia tunc † statur iudicio maioris partis l.
item si vnus in fin. & l. seq. supr. de recept.
arbitr.

Limitatur tandèm, vt procedat solùm
in iudicibus ordinarijs, secùs verò in dele-
13 gatis, quia † si delegati pares contrarias
sententias tulerint, tunc ei sentētiæ statur,
quam iudex delegans approbabit l. duo
infr. de re iudic. secùs etiam est in arbitris,
14 quia † si pares sunt arbitri, & discordent,
nulli eorum determinationi statur l. diem
proferre §. si plures supr. de recept. arbit.

15 Qui † legatum ex testamento accepit,
non potest agere de inofficioso testamen-
to, vt hic in §. illud, cùm quo cōcordat tex-
tus in l. nihil interest, in l. penul. §. fin. & in
l. fin. inf. hoc tit. nostr. & in l. post legatum
infr. de his, quæ vt indign. Ratio est, quia
iudicium defuncti agnouisse, & probasse
dicitur, vt suprà latè docuimus in l. Papi-
nianus §. si conditioni hoc tit. nostr. quod
tamen verum est de iure Digestorum, &
sic de iure veteri, quo excludebatur à que-
rela quasi sibi satisfactum esset, etiam si id
quod legatum fuit, non sufficeret ad quar-
tam legitimæ portionis, secùs verò de iure
nouo C. quo cautum est, nisi expressè de-
clarauerit, se contentum esse de legato sibi
facto, quod actio ei competat ad supple-
mentum legitimę portionis l. si quandò §.
fin. C. hoc tit. nostro, hodie tamen de iure
nouissimo Authenticorum hęc omnia cor-
16 recta sunt, cùm introductū fuerit, † vt om-
ninò filius legitimam portionem, vel quid
aliud debeat habere iure institutionis, nec
sufficiat, id habere titulo legati, ad hoc, vt
excludatur à querela inofficiosi, vt in §. san
cimus in Auth. vt cum de appell. cognosc.
de iure ergò veteri loquitur textus noster,
quòd qui legatū accepit excluditur à que-
rela inofficiosi, & licèt hoc verum sit, non
17 per hoc tamen sequitur † istū excludi, quin
possit dicere falsum, & iniustum testamen-
tum, licet legatum acceptauerit, vt in d. l.
post legatum infr. de his, quæ vt indign. &
ratio est, quia qui legatum accipit, de ne-
cessitate cognoscit inofficiosum esse testa-
mētum, se scilicet exhæredatum esse, cùm
ab alio hærede capiat legatum, quem hæ-
18 redem probare videtur, & sic † iudicium
defuncti agnoscere, dùm legatum accipit,
nil mirùm si excludatur à querela inoffi-
ciosi, secus verò est in accusatione de falso,
vel de iniusto testamēto, qui enim accipit
19 legatum, † non per hoc de necessitate co-
gnoscit testamentum falsi vitio laborare,
vel non iure factum esse, ideò non exclu-
ditur ab accusatione de falso l. 3. inf. ad l.
Cornel. de fall. vel à querela de iniusto d.
l. post legatum in princip. inf. de his, quæ
vt indign.

Limitatur hæc conclusio, vt non proce-
20 dat tunc, † quandò iste, qui legatum per-
cepit id totum alij administrauit, vt in tex
tu nostro, & ratio sit ex mente Castr. quia
21 iste † qui legatum percepit, hoc casu cen-
setur esse nudus minister, totū enim quod
quod percepit, alteri ministrauit de man-
dato testatoris, vndè ex hoc Bald. dicebat,
22 quod † si filius exhæredatus, vel pręteritus
in testamento posteà relictus fuerit merus
executor, licet ipse acceptauerit officium,
& illud exequatur, non per hoc videtur re-
nunciasse querelæ inofficiosi, nec iuri di-
cendi nullum testamentum.

Exceptio autem hæc textus nostri ab
Accursio hic exemplificatur in eo, qui le-
gatum accepit, & rogatus fuit alteri resti-
tuere, iste namquè alij administrare dici-
tur, vt in l. Papinianus §. meminisse supr.
hoc tit. nostro, & in l. ei qui infr. de leg. 2.
23 quod etiam ait Odofr. hic, qui † enim le-
gatum accepit, vt alij restituat, nihil ex eo
testamento habere dicitur l. non videtur
infr. de reg. iur. vndè aliquid est, quod im-
putandum venit defuncto, qui nihil com-
modi apud eum manere voluit, nil mirum
ergò si non repellatur à querela inofficiosi,
& istud exemplum propositæ limitationis
passim à Doctoribus admittitur, potest ta-
men, & addi exemplum aliud, de quo per
24 Cuiac. hic, vt scilicèt † tutor ex necessitate
officij sui pupilli nomine legatum petat, &
accipiat, non enim posteà prohibetur pro-

prio nomine inofficiosum dicere testamẽtum, quia legatum quod prius accepit, id non sibi, sed pupillo administrauit §. si tutor Instit. hoc tit. nostro.

Si pars iudicantium] Centumuirorum scilicet, explicat Dionys. Gothofr. hic
25 in notis, † qui Centumuiri cognoscebãt de
26 inofficioso testamento, qualenã m† autem esset hoc Centumuirale iudicium declarat Schard. in suo lex. iur. in verb. Centumuirale iudicium, videatur Anton. August. in lib. de legib. & Senatusc. in verb. Aebutia, de centumuiris.

27 Sententiam dederit] sententia † autem est iudicialis pronunciatio, cùm ex lege, vel ex æquo, & bono iudicatur, tùm enim iudex sancit, & declarat, quid ius velit, animi quadam censura secundùm facti qualitatẽ, quò pertinet id, quod Paul. I. C. dixit in l. qualem §. 1. sup. de recept. arbitr. dùm inquit sententiam dicere æstimatur is, qui ex mente id pronunciat, vt secundùm hoc discedere eos, qui litigant, à tota controuersia velit.

Fieri solet] vt in l. cũ filius infr. de leg. 2. idque euenit propter hominum fidelitatem, & probitatem, vt inquit Odof. hic.

Humanius erit] vndè Senec. 11. epist.
28 ait † Reus sententijs paribus absoluitur, & semper quidquid dubium est humanitas inclinat in melius.

Pronunciauit] in Pandectis Florentinis loco huius verbi pronũciauit, legitur verbũ Spectauit, & ità legit Io. Cruc. hic.

Nisi apertè] in Pandectis Florentinis legitur, Nisi si apertè.

Scriptum hæredem] in testamento videlicet.

Eum] exhæredatum scilicet, vel præteritum.

Administrauit] id est restituere rogatus esset, explicat Odofred. hic, vel Administrauit, id est restituit explicat Gothofr. hic in notis.

Ad l. xi. Modestinus lib. 3. responsorum.

Etiam si in querela inofficiosi testamenti non obtinuit filia: non ideò tamen donationes, quas viuus ei perfecisse proponitur, infirmari: nequè in dotem datorum partem vindicari posse, respondi.

SVMMARIVM.

1 *Lex hæc duobus modis legitur.*
2 *Dotes, & donationes non veniunt ex testamento, sed aliundè extrà ipsum testamentum.*
3 *Intentans querelam inofficiosi improbè, & succumbens, amittit tantum id, quod sibi in eo testamento datum est, non aliundè. Quod quomodo procedat, declaratur nu. 5.*
4 *Querela inofficiosi rescindit testamentum, vel in totum, vel pro parte, non autem donationes, vel in dotem dationes.*
6 *Filio in potestate non potest donari.*
7 *Donatio vndè dicta sit.*
8 *Dotis verbum variè sumitur.*
9 *Dos sine matrimonio esse non potest.*
10 *Dos vndè dicta sit.*

1 Lex hæc † nostra, (cùm qua concordat tex. in l. post legatum §. qui mortis causa inf. de his, quæ vt indign.) duplicem patitur lecturã; prima est negatiua, vt dicatur Etiam si in querela inofficiosi testamenti non obtinuit filia, alia est affirmatiua, vt si dicatur, Etiam si querela inofficiosi testamẽti obtinuerit. vtraquè lectio vera est, nequè difficultatis quidquàm habet, vt inquit Cõnan. lib. 9.
2 comm. iur. ciu. c. 9. sub nu. 11. cùm † dotes, & donationes nõ veniant ex testamento, sed debeantur extrà ipsum, vndè non faciunt partem hereditatis defuncti. Haloãder primam illam edidit lecturam, negatiuam scilicet, eorũ opinionem secutus, q. existimant dotem filiæ datam esse, quę postea querelam mouit, & si non obtinuit in querela, non per hoc reuocari debet do-
3 natio, vel ei datum causa dotis, qui † enim im-

improbè querelam instituit, cum in ea succumbat, amittit id tantùm, quod sibi in eo
testamento datum est, non id quod aliunde habuit, vt in l. Papinianus §. Meminisse, & ibi dictum fuit nu. 19. supr. hoc eod. tit. & hanc lecturam sequitur glos. hic, & post eam Odofr. Bart. Castr. & reliqui nostrates. Altera verò lectura affirmatiua, nempè fuit Vltram. quæ etiam mihi placet, cum sit conformis editioni Pandectarum Florentinarum, quam Anton. Augustin tenuit lib. 4. emendat. iur. cap. 17. vbi ostendit multis in locis in iure nostro erratum esse in negationibus apponendis, hanc quoquè tenuit Cuiac. hic in l. nostra, & Donell. lib. 19. comm. iur. ciuil. c. 10. in fin. itaut secundùm hanc lectionem filius exhæredatus fuerit; & egerit querela inofficiosi aduersus sororem hæredem institutam, cui etiam res aliquæ à viuo patre donatæ, & in dotem datæ sunt, qui filius si obtineat in querela, non per hoc potest reuocare donatū à viuo patre, vel ab eo dotis causa datum filiæ, cum ipsa hæc habuerit à patre adhuc viuo, non autem ex iudicio testatoris, & sic ex testamento rescisso
4 per querelam, quæ † querela testamētum vel in totum, vel pro parte rescindit, donationem autem inter viuos, vel in dotē dationem non rescindit, sed propriæ extant querelæ inofficiosæ donationis, & inofficiose dotis si sit immensa, de quibus agitur in tit. C. de inoffic. donat. & in tit. C. de inoffic. donat. & in tit. C. de inoffic. dotib. & ità Ant. August. & Cuiac. intelligunt hūc tex. Donell. verò eamdem lecturam affirmatiuam sequens, alio modo explicat hūc tex. vt scilicet duo sint filij ex pluribus, qui agant querela inofficiosi, masculus nempè emancipatus, qui donatas aliquas res à viuo testatore acceperat, & fœmina, quę acceperat dotem à viuo patre, cum enim isti immeritò exhæredati essent, & de inofficioso egerint aduersus fratres suos, & obtinuerint, non modò habebunt partem hæreditatis, quam ex querela euicerunt, sed etiam donationes, & datū dotis causa retinebunt, itaut nihil indè fratres alij sibi vindicare possint, & illis auferre quasi indignis liberalitate patris, qui eius testamē
5 tum oppugnarunt, † hoc enim locum sibi
vendicat, quandò quis improbè, non iure
agat querela inofficiosi, & quandò victus,
non quandò victor euasit, vt supr. in d. §.
meminisse l. Papinianus dictum fuit.

Etiam si in querela] In Pandectis Florentinis non adest illa dictio in, sed legitur etiam si querela inofficiosi, & ita legit Io. Cruc. hic.

Non obtinuit] Pandectæ Florentinę affirmatiuè legunt hoc modo etiam si querela inofficiosi obtinuerit, filia scilicet, vt per Io. Cruc. hic.

Donationes] factas scilicet filio emā-
6 cipato, † cùm alias filio in potestate perfectè donari non possit l. donationes C. de
7 donat. int. vir. & vxor. † Donatio autē dicta est à dono, quasi doni datio, tracta à Græcis, nam ij dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι, idest, donum, & donare, l. Senatus §. 1. inf. de mort. caus. don. Plin. lib. 35. scribit Grecos antiquos δῶρον appellare Palmum, & ideò δῶρα vestra munera, quia manu darentur, quarè aliqui arguteadmodum putant in d. l. Senatus §. 1. infr. de mort. caus. donat. pro dono legendum esse Doro.

Perfecisse] perficere donationē quid sit? videndus est tex. in §. Aliæ autem vers. Perficiuntur Instit. de donat.

8 In dotem datorum] † dotis significatio varia est, nam dotes animi, corporisque vulgò dicimus, dotes prædiorum dicunt Iurisconsulti nostri l. 2. inf. de fūd. instruct. vel instrum. leg. l. amissi inf. de fideiuss. videatur Duaren. de dotib. c. 1. Plinius vlmū vitæ dotatam dixit, & Cicero ait artem indotatam verborum dote locupletare.
Dos autem propriè dicitur, vt ait Varro,
9 quod nuptiarum causa datur, † cùm dos sinè matrimonio esse non possit l. 3. inf. de
10 iur. dot. dictaquè † est dos ab eo, quod dabatur, vt inquit Connan. lib. 8. comment. iur. ciuil. c. 8. in princip. Vndè Acron interpres Horatij dotem definit esse donum puellarum nubentium.

Ad l.xij. Modestinus libro singulari de Praescriptionibus.

Nihil interest, sibi relictum legatū filius exhęredatus agnouerit, an filio, seruouè relictum cōsecutus sit, vtrobiquè enim praescriptione summouebitur. Quin etiam si idem institutum seruum prius, quàm adire hęreditatem iuberet, manumiserit, vt ille suo arbitrio adeat hęreditatem, idquè fraudulento consilio fuerit: summouebitur ab actione. si à statu libero exhęredatus pecuniam petere cœperit: videri agnouisse parentis iudicium.

§. Si cum filius ademptum sibi legatum instituerit petere, summotus repetat inofficiosi querelam: praescriptione remouendus non est. quamuis enim agendo testamentum comprobauit: tamen est aliquid, quod testatoris vitio reputetur, vt meritò repellendus, non sit.

§. Filius testatoris, qui cum Titio eiusdē pecuniae reus fuerat, liberatione Titio legata, per acceptilationem Titij liberatus, ab actione inofficiosi non summouebitur.

SVMMARIVM.

1 *Pater, vel dominus excluditur à querela inofficiosi etiam per legatum filio, vel seruo in potestate existenti factum.*

2 *Pater, vel dominus, qui ex persona filij, vel serui commodum ex testamento quoquomodo percepit, iudicium defuncti agnoscere dicitur.*

3 *Legatum factum seruo alicuius acquiritur ipsi seruo accepto, si manumissus fuerit, antequam legatum accepiet.*

4 *Legā: aliquid seruo alieno videtur esse eius intentionis, vt magis seruus, quàm dominus legatum consequatur.*

5 *Non est differētia, quòd quis directò aliquid consequatur, vel in consequentiam.*

6 *Filius exhaeredatus si petat à statulibero id, quod ipse gratia implenda conditionis debet, excluditur à querela.*

7 *Filius dùm petit à statu libero, id quod ipse debet gratia implendae conditionis, videtur iudicium defuncti agnoscere.*

8 *Filius exhaeredatus petens legatum sibi in testamento factum, & posteà in codicillis ad emptum, non debet repelli à querela inofficiosi.*

9 *Malitia paterna filio non debet obesse.*

10 *Filius numquàm excluditur à querela inofficiosi, quotiescunquè culpa testatoris fiat, quominus ipse consequatur, quod sibi in testamento relictum est.*

11 *Filius legitimè petens legatum sibi in testamento factum, si succumbat, culpa testatoris succumbere existimatur.*

12 *Filius eiusdem pecunia reus cùm Titio, & liberatus per acceptilationem Titio factam, non per hoc excluditur à querela inofficiosi.*

13 *Correorum obligatio vnica tantum est.*

14 *Solutio facta ab vno ex correis totam tollit obligationem.*

15 *Acceptilatio vni ex correis facta extinguit totam obligationem.*

16 *Correus per acceptilationem alterius correi liberatus, dicitur ex iuris necessitate, & ex natura rei liberatus.*

17 *Quis non excluditur à querela inofficiosi testamenti, quando aliquid acquirit per consequentiam absquè facto suo.*

18 *Filius quidquid acquirit, patri acquirit.*

19 *Seruus quidquid acquirit, domino acquirit.*

20 *Seruus quis dicatur.*

21 *Serui vndè dicti sint.*

22 *Seruorum definitio.*

23 *Praescriptio significat exceptionem.*

24 *Praescriptio idem quod exceptio.*

25 *Manumissio quid sit? & quarè ita dicatur?*

26 *Manumissio multis olim fiebat.*

27 *Consilium pro deliberatione ponitur.*

28 *Fraudulentum consilium, vel fraudulenta deliberatio, quandòm dicatur.*

29 Fraudis solius mentio intelligitur de ea, cui dolus inest.

30 Ademptio legatorum, quæ dicatur, & quib. verbis fiat.

31 Tacita comprobatio non tantùm nocet, quātùm expressa.

32 Vitium pro culpa ponitur.

33 Reus eiusdem pecuniæ, quis dicatur.

34 Rerum appellatione contrahentes intelliguntur.

35 Acceptilatio quid sit, & quomodo fiat.

36 Acceptilatio tollit obligationem, licet pecunia non sit soluta.

CVm superiùs in l. si pars §. fin. hoc tit.
dictum sit, quòd qui legatum ex ali-
quo testamēto percepit, nō potest id testa-
mentum impugnare per querelam inoffi-
ciosi testamēti, id modò nūc extēditur, vt
procedat non solùm, quandò sibi legatum
1 factum sit, verùm etiam † quandò filio, vel
seruo legatū sit, & à patre, vel domino a-
gnitum sit legatum, istis namq; casib. pa-
ter, & dominus à querela repelli debent,
quamuis enim maior sit demonstratio vo
luntatis testatoris in eum, qui nominatim
legatum accepit, quàm in eū, qui ex perso-
na filij, vel serui legatū capit, satis tamen
est, quod fructus aliquis ex ipso testamen-
to quomodocumq; ad eū perueniat, nō. n.
existimandus est testator aliena volunta-
te fuisse ab eo, vtpotè qui nō ignorabat, id
quod filio, vel seruo dabat ad patrē, vel ad
2 dominū redūdaturum esse, & ideò † pater
iste, vel dominus, qui commodū ex hoc te-
stamento percipit, iudicium testatoris ap-
probasse dicitur, & per consequens à que-
rela inofficiosi excluditur, vt superius di-
ctum fuit in d. l. si pars §. fin. qui cùm prin
cipio l. nostrę concordat cum alijs iuribus,
ibi pro cōcordantibus adductis; hoc tamē
procedat de iure veteri, vt ibid. nu. 16. di-
ctum fuit, secus verò de iure nouissimo Au
thenticorum, quo nō est satis legatum fie-
ri alicui, vt excludatur à querela inofficio-
si, sed legitimam iure institutionis habere
debet §. sancimus in Auth. vt cum de ap-
pellat. cognosc.

Fallit tamen dispositio text. nostri in eo
casu, quādo dominus seruum manumisis-
set, antequàm legatum acceptaret, quia
3 tunc † legatum non domino, sed seruo ac-
quiritur, & ideò dominus, ex quo nullum
percepit commodum ex eo testamento,
querelam inofficiosi aduersus illud inten-
tare potest, vt per Connan. lib. 9. comm.
iur. ciuil. c. 9. sub nu. 6. Dominus enim ni-
hil improbe fecit, nec quod vlla lege pro-
hibitum sit, qui dādo libertatem, & seruo
consuluit, & sibi ius ipsius querelæ conser-
uauit, nec excusationem meretur defun-
ctus, qui potius seruo, quam filio legauit,
cum videatur ea mente fuisse, vt malet le-
4 gatum quæri seruo, quam filio, hoc † enim
proposito esse putantur, qui seruis aliquid
relinquunt; Hoc tamen declarationem re-
quirit de qua in tex. nost. nisi scilicèt filius
fraudulēto consilio manumisisset seruum
suum, vt proprio arbitrio hæreditatem
adiret, legatūvè agnosceret, illudq; agni-
tū, aut totum, aut pro parte sibi redderet,
vt per Connan. vbi supr. Vndè ex hoc tex.
5 colligit Bart. † non esse differentiam, quòd
quis aliquid directò, vel in consequen-
tiam consequatur.

6 Filius exhæredatus † si à statu libero pe-
cunia petere cęperit, quā ipse debeat puta
gratia implendæ conditionis, excluditur à
7 querela inofficiosi, † videtur enim iudiciū
defuncti agnouisse ex hoc actu, vt supe-
riùs etiam dictum fuit in l. Papinianus §. si
conditioni hoc tit. nostro, qui §. concordat
cum nostro text. vnà cum alijs iuribus ibi
pro concordantibus adductis.

8 Filius † exhæredatus si petat legatum
sibi in testamento factum, quod tamen
posteà in codicillis ademptum sit, & ideò
à petitione legati submoueatur, non per
hoc repelli debet à querela inofficiosi te-
stamenti, & ratio est ex mente Odofr. hic,
9 adhoc † nè malitia paterna filio obsit, cùm
aliquid sit, quod patri imputari possit, vt
subdit text. noster, voluit enim pater, in-
quit Odofr. malam gambarolā filio face-
re, ostēdere scilicet ei in testamēto amplū
legatū, posteà verò in codicillis illud adi-
mere, vndè cū filius iste exhęredatus nihil
consequatur ex testō de bonis testatoris,
de-

debet posse agere querela inofficiosi, & li-
cet agendo pro legato, videatur iudicium
defuncti comprobasse, cùm tamē aliquid
fit, quod vitio testatoris reputetur, ex quo
filius posteà succūbit in petitione legati,
ideò nil mirum si non repellatur à querela
inofficiosi, quarè sequitur ex mēte Conan.
10 d.lib.9.c.9.nu.8. quòd † filius nunquā ex-
cludatur à querela inofficiosi, quotiescūq;
culpa, & facto testatoris fiat, vt ipse legatū
sibi factū non consequatur, quod semper
11 existimatur esse, vt inquit Conan. † si filius
legitimè legatū prosecutus in iudicio suc-
cumbat, secùs verò si culpa, & negligentia
sua filius succubuerit, vel spontè sua liti ces
serit, tunc enim excluditur à querela inof-
ficiosi, cùm repulsus fuerit à legato non
facto testatoris, vel hæredis, sed proprio fa
cto, vt inquit Bart. hic.

12 Si filius testatoris, † qui cum Titio eius-
dem pecuniæ reus fuerat, per acceptila-
tionē Titij, cui legata est liberatio, sit libe-
ratus, per hoc nō submouebitur ab actio-
ne inofficiosi, vt hic in §.fin. cui concordat
tex. in l. liberationem §. nūc de effectu inf.
de liberat. leg. & ratio sit, quia filius iste
hoc casu nullum sentit commodum ex te-
stamēto patris, cùm solā dissolutionē obli-
gationis personalis obtineat, liberatio n.
tantùm facta fuit Titio, quòd si filio facta
fuisset, tunc quidē summoueretur à quere-
la inofficiosi, quasi qui lucrū ex testamēto
sensisset, vt tradit Anton. Fabr. lib. 11. cō-
13 iectur. iur. ciu. c. 17. vers. si. quia ergò † vna
tātum numero fuit Titij, & filij correctoiū
obligatio l. 2. §. vbi duo inf. de duob. reis,
14 sequitur, † quòd sicut solutione ab vno fa-
cta, tota obligatio extīguitur, ità quoq; &
15 acceptilatione vni facta † totā extingui ne-
cesse est l. si ex plurib. inf. de acceptil. vndè
filius per consequentias liberatur, nec ta-
men quidquàm à testatore accepisse vide-
tur, ab ipso enim nō est liberatus, sed quia
soluta est Titij obligatio, sua consistere nō
16 potest, ita ut † liberationem consecutus vi-
deatur casu quodam, aut necessitatē iuris,
& ipsius rei natura potius, quàm volūtate
testatoris, vt inquit Conan. d. lib. 9. cap. 9.
17 sub n. 3. vndè colligit Bart. id † quod alicui
per consequentiā absq; facto suo quæritur
non remouere eum à querela inofficiosi.

18 An filio] † quia quidquid filius acqui-
rit, id omne patri, in cuius potestate sit ac-
quirit §. 1. Instit. per quas person. nob. ac-
quir. l. acquiritur inf. de acqu. rer. domini.

19 Seruouè] cū † quidquid acquirat ser-
uus domino acquirat §. itē vobis Inst. per
quas person. nob. acquir. & d. l. acquiritur
20 §. igitur inf. de acq. rer. domin. † serui autē
dicuntur illi, quibus libertas arbitrio suo
viuendi adempta est, itaquè liberis oppo-
21 nūtur, & † ex eo serui appellati sunt, quòd
Imperatores captiuos vendere, & per hoc
seruare, nec occidere solēt §. 1. Inst. de iur.
person. l. libertas §. serui supr. de stat. ho-
min. & l. pupillus §. seruorū inf. de verb. si-
gnif. qui mos à Lacedemonijs emanauit,
teste Plinio, solebant autem capta ciuitate
illos sub hasta vendere, quarè definitur ser
22 uus, † vt sit ille, qui dominio alieno contrà
naturam iuris constitutione subijcitur, de
quo videatur Conan. lib. 2. comment. iur.
c. 1. num. 4.

Præscriptione] idest exceptione illa,
23 quia iudicium defuncti agnouit, † Præscri-
scriptio enim sæpissimè in iure nostro pro
exceptione ponitur l. qui agnitis, & l. pen.
infr. de except. l. 2. C. de precib. Imper. of-
fer. l. penul. & l. fin. C. eod. tit. de except. in
tantùm, vt à multis, & quidem doctis viris
24 traditum sit † idem prorsus præscriptionē,
quod & exceptionem esse, cùm in Rub. ff.
& C. dicatur de except. seù præscript.

Quin etiam] idest, sed etiam, vel cer-
tè etiam vt per Odofr. hic.

Manumiserit] hoc est, ei libertatem
25 dederit, † manumissio enim est datio li-
bertatis §. 1. Instit. de libert. l. manumissio-
nes, supr. de iust. & iur. dicitur autem pro-
pterea manumissio auctore Festo, quia do
minus caput serui, quem in libertatem ve-
nire volebat, vel eius aliud membrum ma
nutenens, dicebat, hunc ego hominem li-
berum esse volo, & emittebat cum de ma-
26 nu, Et hęc † manumissio multis modis fie-
bat, de quibus in §. multis autem modis
Instit. de libertin.

Fraudulento consilio] idest fraudu-
27 lenta deliberatione, † consilium enim pro deliberatione ponitur l. 1. C. q. & aduers.
28 quos in integr. restit. non poss. dicitur † autem fraudulentum consilium, vel fraudulenta deliberatio, quandò adest deceptio, vt in casu nostro, in quo manumissio facta fuit, vt dominus manumittens posteà possit obtenta portione cùm manumisso cōcordata per querelam inofficiosi infringere testamentum, & ità vt dolosè fraudetur
29 mens testatoris, quandò enim † solius fraudis fit mentio, tunc intelligitur de ea, cui dolus inest, vt per Connan. lib. 5. comm. iur. ciuil. cap. 5. num. 2.

Summouebitur ab actione] aliàs ab hac actione idest à querela inofficiosi.

Si à statu libero] quis nam fit statu liber superiùs est declaratum in l. Papinianus §. si conditioni, hoc tit. nostro nu. 26.

Videri agnouisse] aliàs videri potest agnouisse, vt per Gothofr. hîc in not.

Ademptum sibi legatum] ademptio
30 † legatorum dicitur, cùm testator ea legata, quæ alicui attribuerat, adimit his verbis, non do non lego, vel alijs mutatam voluntatem significantibus l. 1. & passim in tot. tit. infr. de adim. & transf. legat.

Remouendus non est] quia petitio illa fuit sinè effectu.

31 Comprobauit] tacitè scilicet, quę † tacita comprobatio non potest nocere, quantùm expressa.

32 Testatoris vitio] videlicet † culpa ipsius testatoris, sic enim vitio tuo quem causa cecidisse, vitioue eius quid accidisse idest culpa dicimus l. siuè hęreditatis supr. de negot. gest. l. Herennius in fin. infr. de euict. l. Titio centum in fin. infr. de cond. & demonstr. & l. Sticchum, aut Pamphilum §. si creditor infr. de solut.

33 Reus fuerat] idest promissor † eiusdē enim pecuniæ rei dicuntur, qui eamdem pecuniam promiserunt l. si fundum §. qui Caium infr. de leg. 1. & l. hæres §. cùm &
34 tu infr. de fideiussor. Vndè † Reorum appellatione contrahentes intelliguntur au-ctore Alciat. lib. 2. paterg. cap. 10.

35 Per acceptilationem] quæ † acceptilatio est imaginaria solutio facta regulàritèr per interrogationem, & responsionē, veluti si dicatur, habesnè acceptum, quod per stipulationem tibi promisi, vel debui, & tu respondeas habeo, acceptumq́; fero, tunc enim acceptilatio facta est, ac si dixisses, perindè habeo, ac si accepissem abs
36 te per veram solutionem, & per † hanc acceptilationem omnimodò liberatio contingit, licet pecunia non sit soluta l. si accepto infr. de acceptilat.

Liberatus] quod fieri debet l. 2. infr. de duobus reis.

Non summouebitur] quia non agnouit iudicium defuncti, sed per consequentias liberatio illa sibi prodest.

Ad l. xiij. libro tertio Responsorum.

Titia filiam hæredem instituit: filio legatum dedit eodem testamento: & ità cauit: Ea omnia, quæ suprà dari fieri iussi, ea dari fieri volo ab omni hærede, bonorumuè possessore, qui mihi erit, etiam iure intestati. Item quæ dari fieri iussero, ea vti dentur fiant, fidei eius committo. Quęsitum est, si soror centumuirali iudicio obtinuerit: an fideicommissa ex capite suprà scripto debeantur: si hoc quæritur, an iure eorum, quos quis sibi ab intestato hæredes, bonorumuè possessores futuros credat: fideicommitti possit? Respondi posse. Paulus notat: probat autem, nec fideicommissa ab intestatò data deberi, quasi à demente.

SVMMARIVM.

1 *Querela rescindit testamentum, & omnia in eo contenta.*

Lega-

2 *Legata ab intestato relinqui possunt.*
3 *Fideicommissa an ab intestato relinqui possint.*
4 *Testamento rescisso per querelam inofficiosi, nec legata, nec fideicommissa ab intestato debentur.*
Amplia etiam si in testamento cautum sit, vt debeantur, vt num. 11.
5 *Testator exheredans sine causa, vel omittens filios, quasi furiosus non creditur habere testamenti factionem.*
6 *Querela inofficiosi sicut rumpit testamentum, ita & aliam voluntatem ab intestato factam rescindit.*
7 *Testamentum furiosi, & dementis nullum est.*
8 *Querela inofficiositas proponi debet, vt factum reprehendatur, testator non accusetur.*
9 *Furiosus non intelligit, id quod agit.*
10 *Furiosus ab intestato, nec aliquid relinquere potest.*
12 *Sententia lata in querela inofficiosi dicitur de re principali.*
13 *Institutio hæredis in testamento totum facit.*
14 *Institutio hæredis est caput, & fundamentum totius testamenti.*
15 *Sublata institutione hæredis, nihil in testamento dispositum valere potest.*
16 *Destructo principali, & omnia eius accessoria cessant.*
17 *Rescisso testamento per querelam inofficiosi, licet corruat hæredis institutio, cætera tamen in testamento disposita hodiè firma manent.*
18 *Legatum tripliciter definitur, & quomodo.*
19 *Legatum tripliciter considerari potest.*
20 *Hæres quis sit.*
21 *Hæres vndè dicatur.*
22 *Bonorum possessor hæredem imitatur.*
23 *Fideicommissa vndè dicta sint.*
24 *Fideicommissa ad necessitatem iuris fuerunt redacta à Diuo Augusto.*
25 *Textus l. nostræ dupliciter intelligi potest.*
26 *Descendentium potior est causa in successione, quàm collateralium.*
27 *Turpitudo non repellit filium à successione nisi ex causis expressis in §. aliud in Authent. vt cùm de appellat. cogn.*
28 *Causa exheredationis à testatore exprimi debent.*
29 *Soror quare ita appelletur.*
30 *Senatores Romæ erant numero centum.*
31 *Centumuirale iudicium vndè dictum fuerit, & ex quibus constaret.*
32 *Verbum, notat, importat reprehensionem.*
33 *Demens differt à furioso.*
34 *Demens quis sit.*
35 *Dementiæ descriptio.*

1 CVm † querela inofficiosi, & testamentum, & omnia, quæ in ipso scripta sunt rescindat, itaut nec etiam legata debeantur l. Papinianus §. si ex causa, & ibi dictum fuit supr. hoc tit. nostro, ideò quæritur, an etiam rescindat fideicommissa ab intestato relicta, & hoc est quæsitum, de quo agitur in tex. nostro, cùm quo concordat tex. in l. Patronus liberto §. fin. inf. de leg. 3.

Ad id autem, quod in quæstione text. nostri propositum fuit, neque aptè, neque commodè respondet Scæuola, vt inquit Conan. lib. 9. comment. iur. ciuil. cap. 8.
2 sub num. 10. sed generalitèr dicit † legata ab intestato relinqui posse, quod adeò est in iure tritum, vt nemo vnquam dubitarit, clarè enim id disponitur in l. filiusfami lias in principio, & in §. qui intestatò inf. de leg. 1. in l. fin. §. Lucius infr. de leg. 2. in §. prætereà Instit. de fideicom. hæreditat. in §. non tantùm Instit. de codic. & in l. 3. & 5. C. ad Trebell. S. C. cùm alijs multis iuribus, de quibus latè per Vigel. libro 32. Digestor. cap. 4. except. 9. sed cùm hoc ita
3 sit, videndum est, † an ab intestato fideicōmissa relinqui possint, quod probasse videtur Scæuola, à Paulo aut notatur. Circà quod illud animaduertatis velim, quòd si quæratur an legata, & fideicommissa ex clausula codicillari ab intestato relinqui possint, destructo testamento ex alia causa, quàm per querelam inofficiosi, & affirmatiuè cùm Scæuola respondendum est per iura superius deducta, & vlterius per tex. in l. si Titio pecunia §. fin. inf. de leg. 1. in l. si patroni §. fin. inf. ad Trebell. S. C. in l. eam

l.cam quàm C. de fideicom. & in l.ex testamēto C.de legat. ita Costal.in suis aduersar. ad Pandect. ad hanc l. nostram, si verò quæramus, an destructo testamento per querelam inofficiosi legata, & fideicōmissa ab intestato relinqui possint, & tunc cùm Paulo contrà Scæuolam rectè respō-
4 dendum erit, † nec legata, nec fideicommissa ab intestato deberi, quasi à demente
5 data, † cùm testator non credatur quasi furiosus habuisse testamenti factionem l. qui repudiantis §. fin. infr. hoc tit. nostro, quarè sicut per querelam rumpitur testa-
6 mentum, vt dementis, ità † alia voluntas ab intestato facta rumpi debet, vt per Odofr. hic. Hoc enim colore agitur, tāquàm non sanæ mentis fuerit, qui testatus est, etiam si non quasi demens omninò, & fu-
7 riosus, quia † hoc casu nullum, esset testamentum l. 2. supr. hoc tit. nostro l. filiusfamilias §. fin. & l. in aduersa inf. qui testam. fac. poss. & §. præterea Instit. quib. non est permiss. facer. testam. Sed quasi non prudentèr, neque consideratè fecerit, & ita
8 proponitur † querela hæc inofficiosi, vt factum reprehendatur, & improbetur, testator verò non accusetur, non enim dicitur testatorem natura dementem fuisse, neq; lumine mentis suæ priuatum, sed non sani iudicij extitisse, dùm eum priuauit, vel omisit, quem omninò ptiuare, vel præterire non debuerat, & sic filium nulla hæreditatis suæ parte aspersérit, vndè factum istud accusatur, is verò qui fecit, tamquā valetudine lapsus excusatur. Perperā itaq; Scæuola putauit legata, & fideicommissa in quæsito text. nostri ab intestato deberi, cùm hæc non sint ab intestato, sed in testamento relicta, quod testamentum posteà rescinditur quasi à demente factum, vt nihil in eo sit, quod possit subsistere, nō enim aliundè, quàm ex testamento apparet, voluisse testatorem legata, & fideicommissa dari etiam ab intestato, at illud nullū est, & nullum quidem ex ea causa, quod quasi demens fuerit, qui illud ordinauit, nihil namq; ratum est eorum, quæ dicit, vel fa-
9 cit is, qui mentis suæ compos non est, † cū non intelligat, id quod agit §. furiosus In-
10 stit. de inutil. stipul. neq; † valere possit id quod ab eo ab intestato tamquàm à furioso relictum sit l. nec fideicommissa infr. de leg. 3. Mirum autem istud esse non debet,
11 quod ex Pauli sententia † destructo testamento per querelam inofficiosi, nec legata, nec fideicommissa debeantur, etiam si
12 id testamento cautum sit, † nam sententia lata in querela inofficiosi inter hæredem scriptum, & hæredem legitimum dicitur de re principali testamenti, nempè de hæ-
13 redis institutione, † quę in testamento totum facit, vt inquit Donell. lib. 19. comm.
14 iur. ciuil c. 10. col. 6. † cùm sit caput & fundamentum totius testamenti §. Antè hæ-
15 redis Instit. de legat. ideò sequitur, † vt sublata hæredis institutione, nihil in eo testamento scriptum valeat l. nemo infr. de testam. tut. & l. cam quam C. de fideicom.
16 cùm enim † principalis causa non consistit, nec ea quidem stare possunt, quæ sequelæ, aut accessionis locum habent l. cum principalis inf. de reg. iur.

Hæc autem dispositio textus nostri hodiè correcta est per ius nouissimum Authē-
17 ticorum, quo cautum est, quòd † rescisso testamento per querelam, licèt hęredis institutio corruat, cœtera tamen in testamēto disposita firma maneāt §. siuè igitur, & §. siuè tales in Authen. vt cùm de appellat. cognosc. Auth. ex causa C. de liber. pręter. & dictum fuit superius in l. Papinianus §. fin. hoc tit. nostro num. 24.

Titia filiam] aliqui volunt legendum esse Titia filium hæredem instituit, filiæ legatum dedit, & ità legēdum putat Cuiac. tùm hic in l. nostra, & in l. ex ea scriptura inf. qui testam. fac. poss. tū etiam in notis solemnibus ad hāc legem nostrā, & ita etiam vertit textum nostrum, Dionys. Gothofred. hic in not. hæc tamen lectura mihi nullo modo placet, cùm uiolet litteram textus, nec conformis sit editioni Pandectarum Florentinarum.

18 Legatum dedit] tripliciter † legatum definitum fuit, primò à Placent. l. C. in l. legatum infr. de legat. 1. vt sit delibatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod vniuersi suni

uersum hæredis foret, alicui quid collatum velit, secundo à Modestino I. C. in l. legatum infr. de leg. 2. quod sit quædam donatio testamento relicta. Tertiò à Iustiniano Imperatore in §. legatum Instit. de legat. vt sit donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda, ideo autem tripliciter legatum definitum fuit quia
19 † tripliciter considerari potest, & primo quando adhuc est in fieri, & tunc procedat prima definitio Placentini nempè, secundo considerari potest, quando iam est in esse deductum, & tunc locum habet definitio Modestini, quæ secundo loco allata fuit; vltimo tandem considerari potest, quando non solum est in esse deductum, verum etiam, & aduenerit tempus expeditionis, & solutionis ipsius, & tunc procedat definitio postremo loco ab Imperatore allata in §. legatum Instit. de legat.

20 Ab omni hærede] Heres † est qui in ius, & locū defuncti succedit l. quædam §. nihil interest supr. de edend. l. si is q. Romæ supr. de iudic. & l. heres inf. de acquir.
21 heredit. † ab eo dictus, quod quasi herus idest dominus sit §. fin. Instit. de hæred. qualit. & different. l. 1. inf. de successor. edict. & ideo videmus, quod aliqui scribūt verbum heres, & hereditas simpliciter sine diphtongo, vel heres dicitur ab ære, vt placuit Isidor. lib. 9. Ethymolog. c. 5. vel hæres dictus est ab heredo, à verbo scilicet here, hæres, quia heret, & proximus est ipsi defuncto.

22 Bonorum vè possessore] † qui heredem imitatur §. quos autē Instit. de bonor. possess.

Iure intestati] in Pandectis florentinis legitur iure intestato, vt quia scilicet clausula codicillaris sit adiecta.

Fidei eius committo] heredis scilicet mei ab intestato, & sic per fideicōmissum etiā rogo; † quod fideicōmissum indè
23 dictum fuit, quod nullo vinculo iuris, sed tantum pudore eorum, qui roganbantur contineretur §. 1. Instit. de fideicom. here-
24 dit. & ità à fide nomen traxit, Diuus † tamen Augustus, ne perfidiæ humanæ locus esset ad necessitatem iuris fideicommissa reduxit, vt in d. §. 1. Instit. de fideicom. hereditat. l. 1. C. commun. de legat.

25 Si soror] dupliciter † potest intelligi iste tex. primo de sorore Titiæ testatricis, quæ intentauerit querelam inofficiosi, & obtinuerit, vt per Odofr. hic, quia scilicet filia instituta infamis esset, vel turpis persona, vt in l. fratres C. hoc tit. nostro, alias enim nō potuisset agere querela inofficio-
26 si, & si egisset nō obtinuisset, † cum in successione potior sit causa descendentium, quam collateraliū, vt in princip. in Auth. de hered. ab intestat. Hęc tamen explicatio nec Accursio hic, nec Bart. placuit, quæ mirum videtur, quod propter turpitudinē
27 in successione soror filijs preferatur, † turpitudo enim filium non repellit à successione nisi ex causis expressis in §. Aliud quoque in Auth. Vt cum de appell. cogno-
28 sc. † quę causę debent à testatore exprimi, vt per Bart. hic. Secundo potest intelligi textus noster de sorore filiæ institutæ, quę soror erat, & ipsa filia Titiæ, & erat præterita, vel exhæredata, & sic Titia hęc duas filias, & vnum filium habuit, filiarum autem vnam instituit, alteram verò exheredauit, & hæc secunda explicatio passim admittitur à gloss. Bart. Dionys. Gothofr. &
29 alijs hic, † Soror autem teste Labeone dicitur, quod quasi seorsim nascitur, separatur que ab ea domo, in qua nata est, & in aliam familiā transgreditur, cui dicto astipulatur tex. in l. mulieres C. de dignit. lib. 12. in l. cum in adoptiuis C. de adopt. tradit Bart. in l. fin. C. de priuileg. scholar. lib. 12.

Centum virali iudicio] Cruceus
30 hic inquit, † quod erant centum numero Senatores Romę l. fin. C. de petit. heredit. vnde eorum iudicium Centumuitale appellatum fuit, sed male quidem, nam Senatores Romæ, qui centum erant Rempublicam curabant, nō dantes operam iudi-
31 candis controuersijs priuatorum; † Centumuirale ergo iudicium dictū fuit, quia centum quinq. erant viri; qui ipsi iudicio præerant, his hasta erigebatur, vt scirent

iudi-

iudicandi tempus, cùm enim Romæ essent triginta quinq; tribus, quę & curię sunt vocatæ, tres ex singulis tribubus ad iudicandum seligebantur, qui Centumuiri sunt appellati, & exinde Centumuirale iudicium est dictum, licetq; quinque plus centum essent, Centumuiri tamen dicti sunt, quo facilius nominarentur teste Bud. in l. 2. §. deinde cùm esset supr. de orig. iur. vbi id per optimum simile cũprobat, sic enim Septuaginta interpretes dicti sunt gratia facilioris nominationis, cùm tamen duo, & septuaginta essent, vt tradit Diuus August. de ciuitat. Dei lib. 18. c. 43.

Si hoc quæratur] in Pandectis Florentinis additur verbum Respondi, & legitur, Respondi, si hoc quæratur.

Fideicommitti] in Pandectis Florentinis legitur Fideicommittere possit.

32 Paulus notat] idest reprehendit, notandi enim verbo hac significatione sæpè vtuntur Iureconsulti in hoc præsertim genere sermonis, vt reprehensionis acerbitatem vitent lenitudine verbi mollioris, vt inquit Connan. lib. 9. comment. iur. ciuil. c. 8. num. 10. & nos superius diximus in l. Iulianus autem num. 10. de iudic.

Quasi à demente] nõ quod verè demens, aut furiosus sit, sed quasi, † demensque propriè loquendo à furioso differt, & ideò separatur in l. 2. supr. hoc tit. nostro in l. diem proferre §. coram supr. de recept. arbitr. & in §. furiosi Instit. de curat. † Demens autem aliàs est is, qui nescit exprimere, quod velit, aut nolit c. pastoralis de Cleric. ęgrot. lib. 6. Vnde Cicer. lib. 3. Tusculan. quæst. scribit, quod † dementia est affectio lumine mentis carens, cùm nõ integra mens est sana, tuetur tamen mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum, atque vsitatum.

33

34

35

Ad l. xiv. Papinianus libro quinto Quæstionum.

Pater filium emancipauit, & nepotem ex eo retinuit, emancipatus suscepto posteà filio, ambobus exhæredatis, patre præterito, vita decessit. In quęstione de inofficioso testamento, pręcedente causa filiorũ, patris intẽtio adhuc pendet. Quòd si contrà filios iudicetur: pater ad querelam vocatur, & suam intentionem implere potest.

SVMMARIVM.

1 *Lex nostra difficilis, & obscura dicitur, & continet materiam subtilem, & de apicibus iuris.*

2 *Querela inofficiosi datur patri prœterito à filio emancipato.*

Declara vt nu. 9. & num. 15.

3 *Successorium edictum locum habet in querela inofficiosi.*

4 *Ordo ille, qui seruatur in successione ab intestato, etiam seruatur in proponenda querela inofficiosi, & num. 12.*

5 *Auus stante nepote, non potest ab intestato succedere filio.*

6 *Paria sunt nepotem non extare, vel extare, & non succedere.*

7 *Filius in potestate non potest etiam patre consentiente testari.*

Fallit, nisi testetur de Castrensi peculio, vel quasi.

8 *Testamentum de bonis Castrensibus, vel quasi olim impugnari non poterat de inofficioso, hodiè autem sic.*

10 *Filius repudiando hereditatem paternam excluditur à querela inofficiosi.*

11 *Filius à querela inofficiosi per sententiam exclusus repellitur à successione, etiam si testamentum ad causam intestati deueniat.*

13 *Liberi ab intestato primo loco, deinde parentes in successione admittuntur.*

14 *Successorium edictum dicitur id, quo posteriorum successio admittitur.*

16 *Querela inofficiosi ijs datur, quibus aliàs hereditas, vel successio debetur.*

17 *Votum parentum, & charitas naturalis ergà liberos, qualis sit.*

Ve-

18 *Votum omne; & desiderium conditionem annexam habet, si modò Deus velit.*
19 *Praeposteritas naturae dicitur, cum liberi antè parentes praemoriuntur.*
20 *Liberorum haereditas parentibus debetur ratione pietatis, & miserationis.*
21 *Bonorum possessio contrà tabulas datur patri praeterito à filio emancipato, & numero 39.*
22 *Querela inofficiosi est remedium subsidiarium, quod non competit, dùm aliud competere potest, & sub num. 36.*
Declara tamen, ut num. 42.
23 *Conciliatur varijs modis antinomia l. nostra cum l. 1. ff. si quis à parent. manum. fuer.*
24 *Bonorum possessio contrà tabulas est remedium rescissorium.*
25 *In habentibus symbolum facilis est transitus.*
26 *Verba saepe in legibus impropriantur.*
27 *Improprietas verborum est euitanda.*
28 *A propria verborum significatione non est recedendum, nisi de mente disponentis constet.*
Albertus de porta Rauenata fuit Bononiēsis, glossator antiquus, & frater Iacobi, et Hugolini pariter glossatorū antiquorū.
29 *Patri non debent competere plura remedia in successione filij, quam filio in successione patris.*
30 *Praeteritio patris facta à filio habetur pro exhaeredatione.*
31 *Querela inofficiosi rumpit testamentum in totum.*
32 *Bonorum possessio contrà tabulas patri competens aduersus testamentum filij emancipati, rumpit testamentum solum pro legitima, & num. 34. & 40.*
33 *Filius si descendentes habeat non habet necesse patrem instituere.*
34 *Bonorum possessio contrà tabulas non dicitur plenum remedium.*
35 *Quod fauore alicuius est inductum, in eius odium non debet retorqueri.*
36 *Declaratur text. in l. 1. § fin. ibi & ius antiquum ff. si quis à parent. manum. fuer. & sub num. 38.*
37 *Pater filium emancipatus duplex nomen retinet, & patris scilicet, & manumissoris.*
38 *Emancipatio dissoluit ius legitimum, & ciuile, non ius naturae inter patrem, & filium.*
40 *In bonorum possessione patri competenti de iure patris quaeritur, non de iure testamenti.*
41 *Patronus in bonis liberti legitimam habere debet, & si sit praeteritus sibi competit bonorum possessio contrà tabulas.*
43 *Bonorum possessio patri praeterito in testamento filij emancipati competens, non excludit querelam inofficiosi testamenti.*
44 *Querela inofficiosi non nascitur antè aditam haereditatem.*
45 *Testamentum an valeat, nec ne, incertum est, quamdiù pendet, an adeatur haereditas.*
46 *Querela inofficiosi tùm demum locum habet, quando testamentum omne iure valet, nec aliud auxilium ad eum infirmandum superest.*
47 *Querela inofficiosi quarè tunc solum competat, quando omne aliud remedium cesset.*
48 *Querela inofficiosi si in iudicio obtineat, reducit rem ad causam intestati.*
49 *Querela inofficiosi non prodest victori, qui ea egerit, si alios sibi praecedentes in gradu capaces habeat.*
50 *Emancipatio quid sit, & quomodò fieret.*
51 *Nepos propriè quis dicatur.*
52 *Auus potest filium emancipare, & nepotem ex eo retinere sub sua potestate.*
53 *Pater quis nam dicatur, & quomodo sumi possit.*
54 *Praeteriti in testamento qui nam dicantur.*

1 LEx haec, quae à Papiniano hic proponitur † difficilis, & obscura dicitur, & vt Bart. tradit tàm in lectura, quàm in repetitione ipsius habet materiam subtilem, & de apicibus iuris, Castrensisq; eam difficilem dicit, quod etiam inquit Io. Gutter. dùm eam summè difficilem iudicio suo appellat. Cùm ea concordat tex. in l. si non mortis §. fin. & in l. si is, qui admittitur infr. hoc cod. tit. nostro.

Patri

2 Patri † præterito à filio emancipato cō-
petit querela inofficiosi testamēti post ex-
clusum nepotem, filio enim defuncti ex-
cluso à querela inofficiosi, tūc auus ipsius,
& sic pater defuncti admittitur ex benefi-
3 cio edicti successorij, † quod in querela lo-
cum habere, l. si is, qui admittitur inf. eod.
l. 1. inf. de bonor. possess. contr. tabul. tra-
dunt Azo. Din. & Bald. relati à Costal. in
suis aduersar. ad Pandect. ad l. Posthumus
4 §. fin. in fin. sup. hoc tit. nostr. † quo enim or
dine vocamur ad successionem ab intesta-
to, eodem ad querelam vocamur l. si pro-
ponas inf. hoc eod. tit. nostro, sequitur ita-
què quòd dū nepos ipsius adhuc agit que-
rela, vel stat in pendenti, an querelam in-
tentare velit, ipsi patri non possit compe-
tere querela inofficiosi, quia tunc priuatus
est actu, & potentia succedendi, ex quo ab
5 intestato tamen nepote suo succedere non
potest, facit text. in l. maximum vitium in
fin. C. de liber. præter. cum alijs multis iu-
ribus, de quibus per Io. Anton. Rub. hic in
primo notab. num. 16. Excluso itaquè ne-
pote per renunciationem, vel per senten-
6 tiam, tunc patri competit querela, † paria
enim sunt nepotem extare, vel extare, &
non succedere, vt per Bart. hic in 2. notab.
per Castr. num. 7. & per Rub. num. 29.

Declaratur proposita conclusio, vt ve-
ra sit in testamento filij emancipati, nam
7 filius † in potestate non habet testamenti
factionem etiam patre consentiente, vt in
princip. Inst. Quib. non est permiss. facer.
testam. nisi testetur de castrensi, vel quasi
8 castrensi peculio, quo casu † olim testamē-
ta hæc non poterant impugnari per que-
relam inofficiosi, licet hodiè de iure nouo
secus sit, vt supra in l. Papinianus §. Papi-
nianus num. 7. & seq. hoc tit. dictum fuit,
9 intelligatur † ergò conclusio textus nostri
in filio emancipato, qui condito testamē-
to patrem præterierit, tunc enim patri da-
bitur querela inofficiosi, cùm hæc præteri-
tio pro exhæredatione habeatur.

Declaratur vlterius, vt vera sit conclu-
sio suprà proposita, tunc quandò filius te-
statoris defuncti exclusus fuerit à querela
inofficiosi, vel quia eam noluerit intētare,
10 & † repudiauerit l. quæ repudiantis inf. hoc
tit. nostr. vel quia intentauerit querelam,
11 in eâ tamen succubuerit, † & sic per sentē-
tiam exclusus fuerit, quo casu repellitur à
successione, licet testamentum post ad cau
sam intestati deueniat, vt per Costal. in
suis aduersar. ad Pandect. hic ad legem no
stram, tunc enim patri præterito competit
12 querela inofficiosi, cum † ordo ille, qui ab
intestato inter liberos, parentes, aut fra-
tres reperitur in successione, idem esse de-
beat, & eadem successio in querela inoffi-
ciosi intentanda, vt inquit Donell. lib. 19.
13 comment. iur. ciuil. c. 7. col. 2. † Ab inte-
stato autem hic ordo successionis futurus
est, in primo loco liberi defuncti succedāt,
secundo verò parentes Auth. in successio-
ne C. de suis & legit. liber. Auth. defuncto
C. ad Tertull. §. 6. de legitim. hered. Si er-
gò liberi deficiant, vel nolint, aut non pos-
sint ad hæreditatem venire, tunc sequen-
tes suo quisq; ordine admittuntur, atquè
hoc modo in priorum deficientium loco
succedunt, eorumquè locum, & ius occu-
14 pant, vndè † successorium edictum appel-
latum est id, quo hæc successio posteriorū
15 admissa est l. 1. infr. de success. edict. † pro-
cedit itaquè cōclusio tex. nostri, tunc quā-
do liberi exclusi fuerint per sententiam,
vel alio modo à querela, quia tunc patri
competit querela inofficiosi.

Opponitur primò contrà tex. nostrum,
dùm vult, quod excluso filio defuncti per
sententiam à querela, tunc patri præterito
competat querela inofficiosi, non enim vi-
16 detur id verum esse posse, quia † querela
inofficiosi datur ijs tantum, quibus aliàs
ab intestato hæreditas, vel successio debe-
tur l. posthumus §. si quis ex his supr. hoc
tit. nostro, at parentibus non debetur hæ-
reditas, & successio filiorum, nec propter
votum parentum, nec propter naturalem
ergà liberos charitatem, nō videtur ergo,
quòd ijs possit competere querela inoffi-
ciosi, non debetur autem successio propter
17 votum parentum, quod est, † vt liberi su-
peruiuant, & patri succedant, & eorum bo
na ad illos perueniant, non è conuersò, &
hic est ordo naturalis, vndè videm⁹, quòd

si pa-

si pater, & filius simul in eadem naui pe-
reant, dicimus nos suggerente ordine na-
turę filiũ superuixisse l. qui duos §. cùm pa
ter, & §. fi. inf. de reb. dub. nec etiam parē-
tibus debetur successio filiorũ propter na-
turalē ergà liberos charitatē, quia ea chari
tas à parentib. ergà liberos à natura insita
est, vt eos vnicè diligāt; cupiātq; oīa bona
suà liberorũ esse, non è conuersò. Papinia-
nus I.C. in l. nam etsi inf. hoc tit. nostr. hāc
obiectionem diluit, verum est enim, quòd
attento ordine naturæ, & attento voto pa-
rentum, liberis debetur hęreditas pater-
18 na, nō è conuersò, sed † omne hoc votum,
& hæc naturalis ergà liberos charitas sem-
per habet hanc conditionem annexam, si
modò Deus velit seruato mortalitatis cō-
muni ordine parentes prius decedere; &
ipsis parētib. liberos superesse, hic ordo ta-
men naturalis sæpè turbatur, nam vt pluri
mum præmoritur filius, vt in d. l. nam etsi
parentibus inf. eod. & ideò videmus, quòd
in monumento Papiniani I.C. auctoris le-
gis nostrę scriptum fuit, Turbato ordine in
senio Papiniano parentes monumentũ fe-
cisse, vt refert Cuiac. hic, Bulgarusq; vetu-
stissimus interpres, cùm filium Doctorem
iuuenili ætate mortuũ haberet scripsit, or-
dine turbato succedis Bulgare nato, vndè
19 Horat. ait. Fatis malè iudicantibus, † quæ
aliàs dicitur prepostęritas naturę, cùm ita-
què ità turbatur ordo naturæ, ratio pieta-
tis, & miserationis exigit, vt patri relinqua
tur quarta hæreditatis, etsi non sit relicta,
tunc patri competit actio de inofficioso. &
20 sic cessat votum superius, & † subintrat ra-
tio pietatis, & miserationis, quæ suadet pa
rentibus liberorum hæreditatem debitam
esse, & per consequens si ab ea sint exclusi,
sibi competere querelam inofficiosi.

Opponitur adhùc contrà tex. nostrum,
dùm vult, quòd patri præterito in testamē
to filij emancipati competat querela inof-
ficiosi, de tex. qui fortissimus dicitur in l. 1.
§. fin. inf. si quis à parent. manum. fuer. vbi
21 clarè, & apertè probatur † bonorum posses
sionem contrà tabulas patri præterito à fi-
22 lio emancipato competere, at † querela
inofficiosi testamenti est remedium subsi-
diarium, quod non competit, nisi quando
aliud deest §. tàm autem Inst. hoc tit. nost.
l. qui de inofficioso inf. eod. l. 1. §. & gene-
raliter infr. de Carbon. edict. & l. maximũ
vitium C. de liber. præter. ergò videtur, q
in casu legis nostræ cōpetere nō possit, Pro
23 hac † antinomia, & controuersia sedanda
valdè laborarũt interpretes nostri, varios-
què intellectus ad hæc iura portarunt.

Azo primo loco hic in gloss. in verb. ad
querelā videtur velle, quòd huic patri hoc
casu competat bonorũ possessio contrà ta-
bulas, & ideò explicat verbum, querelam,
de quo in tex. nostro idest contrà tabulas,
24 quod † remedium pariter rescissorium est,
25 sicut & querela, † in habentibus enim sym
bolum facilis est transitus l. in rem §. item
quęcumq; inf. de rei vendic. & in legib. sæ-
26 pè id euenit, † vt verba improprientur, vt in
l. 1. & ibi gloss. in verb. manumitti supr. de
offic. procons. & leg. gloss. in Auth. ingressi
in verb. adducat C. de sacros. Eccles. trad.
Anton. Gomez. to. 1. variar. resol. c. 11. n.
5. & in casu l. nostræ hāc eādem expositio-
nem facit gloss. in l. posthumorũ in verb. vi
uo inf. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.
huncquè gloss. intellectum cōmuniter per
omnes approbatum testatur Bart. in l. in
suis nu. 9. inf. de lib. & posthum. Vasq. de
success. creat. §. 30. n. 138. hūc quoq; tenuit
post alios Bernar. Vualth. lib. 1. miscell. iur.
c. 17. Bart. tamen hic in l. nostra tàm in le-
ctura n. 1. quàm in repet. nu. 8. hunc intel-
lectũ cōmunem reprobat, quē etiā reijcit
27 Castr. n. 14. & alij multi, † improprietas n.
verborũ est, euitanda in tantum, vt habea-
28 mus, quòd numquàm † à propria verborũ
significatione recedendũ sit, nisi de mente
constituentis, vel disponentis apparuerit
l. non aliter infr. de leg. 3.

Secundò loco Alberic. à glo. hic relatus
(qui nō fuit Albericus de Rosate, sed Albe
ricus de Porta Rauenata Bonon. glossator
antiquus, frater Iacobi, & Vgolini glossa-
torum pariter antiquorum Bononiensium)
volebat, quod patri præterito in testamēto
filij emancipati detur duplex remedium;
querela nempè inofficiosi, & bonorũ pos-
sessio contra tabulas, filio verò præterito,

vel à patre exhæredato competat solũ remediũ querelę, qui intellectus oĩnò reprobaĩ teste Vasq. d. §. 30. de success. creat. n.
29 139. non. n. cõuenit † plura remedia patri dari, cui successio debeĩ in bonis filij iure pietatis, & miserationis, quàm filio, cui successio ĩ bonis patris iure naturali debetur.

Tertio loco Bart. tùm hic in lectur. n. 3. tùm in repetit. n. 8. inquit text. nostrũ procedere tunc quando pater præceditur à ne
30 potibus suis exhæredatis, † quo casu præteritio habetur pro exhęredatione, tex. verò in d. l. 1. inf. si quis à parent. manum. fuer. loquitur quãdo testator patrẽ tantùm habebat, quem præterijt, tunc. n. cùm filius à patre emãcipatus liberos non habeat, ipsi patri competit bonorum possessio contrà tabulas, hancq; Bart. ad hęc iura conciliationem communiter receptam esse inquit Vigl. in princ. Inst. hoc tit. nostr. n. 4. & cõmunem esse testatur Vasq. d. §. 30. n. 141. Rebrobat tamen Vasq ibid. hunc Bart. intellectũ, licet eum cõmunem dicat, primò per text. in l. filio §. contra tabulas inf. hoc tit. nostro, vbi pater præteritus, quẽ nepotis exhæredata præcedebat accepit bonorum
31 possessionẽ contrà tabulas, secundò † quia per querelam rumpitur testamẽtum in totum l. posthumus §. si quis ex his supr. hoc
32 tit. nostr. sed † per bonorũ possessionẽ cõtrà tabulas rumpitur tantùm pro legitima d. l. 1. per totã, & l. 2. infr. si quis à parent. manum. fuer. sequiĩ ergò, quòd magis cõsequatur pater præteritus, quandò præceditur, quàm quandò solus est, nec quis eũ in successione pręcedit, quod est contrà rationem naturalem, magis namq; peccare dicitur filius, si patrẽ præterierit nullo alio in medio existente, quã si præterierit, cùm
33 filios haberet, quia † tunc nõ habet necesse ipsum patrem instituere argumẽto text. in l. si quis filio exhæredato infr. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.

Reiecto itaque Bart. intellectu succedit quarto loco alter Vigl. intellectus in dicto princ. Inst. hoc tit. nostr. n. 5. & 6. volentis, quòd semper patri præterito in testamẽto filij emancipati, siue eum præcedant nepotes, siue non, competat vtrumq; remediũ, & querelę scilicet, & bonorum possessionis cõtrà tabulas, hocq; esse ius singulare hoc cãsu affirmat, quòd querela cũ alio remedio concurrat contrà regulas iuris commu-
34 nis, † quia bonorũ possessio contrà tabulas non est plenum remedium, cùm non rumpãt testamentũ nisi pro legitima partę, vt in l. Paconius inf. si quis à parent. manum.
35 fuer. nè ergo † quod fauore est inductũ pro ipso patre in eius odium retorqueatur cõtrà l. quod fauore sup. de legib. meritò introductũ est, quòd concurrant insimul hęc duo remedia, suadeturq; iste Vigl. intellectus ex tex. in d. l. 1. §. fi. inf. si quis à patẽt. manum. fuer. dùm ibi dicitur Patrem accepta cõtrà tabulas bonorum possessione, & ius antiquũ, quod & sine manumissione
36 habebat posse sibi defẽdere, † quod ius antiquũ nihil aliud esse potuit, inquit Vigl. quàm querela inofficiosi testamenti, quæ parentib. etiam non manumittentibus cõpetit. Iste intellectus etsi subtilis sit, reijcitur tamen à Guter. hic in l. nostra sub nu. 10. non enim ità de planò est admittendũ, quòd querela cum alio remedio concurrat aduersus regulas iuris communis, in querela enim inofficiosi expresse decisum est, eam tunc demum competere, quandò nullo alio iure succedi potest, & ità est remedium subsidiarium, ut in d. §. tàm autẽ Inst. hoc tit. nostr. & l. fi. C. de lib. præter. verbaq; illa, & ius antiquum, referri debẽt ad bonorum possessionem, quæ iure antiquo patri deferebatur intestato auo emancipãte nepotem, vt ibi gloss. interpretatur, vel ex mente Bart. ibi referri potest ad ius, quod habebat pater ab intestato succedẽdi antè manumissionẽ, cùm esset testamẽtum nullum, quod ius sibi defendit etiam accepta bonorum possessione contrà tabulas, quia ad illud redire potest.

Quinto loco Vasq. de success. creat. d. §. 30. nu. 142. alio modo soluebat hanc difficultatem, inquit enim, quòd patri à filio præterito datur querela inofficiosi, hocq; limitat duobus modis; primò quando emancipatio facta fuit expresse, itaut ius agnationis extingueretur, secũdò inspecto iure veteri, etiam si simpliciter facta fuerit eman-

emancipatio,quare tex.in d.l.1.infr.si q.s. à parent.manum.fuer. procedit istis casibus,in quibus bonorum possessio contra tabulas competit. Iste Vasq.intellectus difficultatem non eneruat,nec iuribus adductis satisfacit, vt inquit Guter. hic numero 14.

Quarè Connan.lib.19.comment.iur. ciuil.c.9.nu.3.alium intellectum sexto loco proponit,& putat patri præterito à filio emancipato competere vtrumq. remedium,& querelæ scilicet,& bonorũ possessionis contrà tabulas, prout etiam sentiebat Vigl.de quo suprà,sed alia ratione,
37 quia † scilicet pater filium emancipãs duplex nomen sustinet,& patris nempè,& manumissoris, ità ergo etiam ei dupliciter succurritur,nam vt pater habet actionem de inofficioso,vt manumissor verò habet bonorum possessionem contrà tabulas,nec altera ius alterius tollit, quia non desinit esse pater, qui manumissor effici-
38 tur,† emancipatio namq; ius legitimum, & ciuile,quod est inter patrem,& filium dissoluit,at ius naturæ amoremq;,& pietatem non debet extinguere §.sed naturalia Instit.de iur.nat.gent.& ciuil. consideratq; Connan.id etiam,quod Vigl.cõsiderauit textum nempè in d.l.1.§.fi.infr. si quis à parent.manum.fuer.dũ dicit patrem ius antiquum sibi defendere posse, & explicat idest actionem inofficiosi,quẽ intellectum etiam insequitur Cuiac. hic tacito Cõnan. & explicat eodem modo ius antiquum,idest ius querelę inofficiosi testamenti.Sicut tamẽ reiectus fuit Vigl. intellectus,ità & iste reijciendus venit ijsdem rationibus de quibus suprà.

Quid ergo est dicendum in tanta intellectuum varietate ad hęc iura,puto ego intellectus Vigl.Cõnan.& Cuiac.de quib.
39 suprà admittendos esse,quòd † scilicet patri præterito in testamento filij emancipati competat bonorum possessio contrà tabulas filij d.l.1.infr.si quis à parent.manumiss.fuer.& l.filio §.1.infr.hoc tit. nostro,& tamen huic eidem placet ius antiquum esse,quod & sine manumissione habebat,vt scriptum est in d.l.1.§.fin.infr.si quis à parent.manumiss.fuer.quòd est nihilominus ei darę querelã inofficiosi, quã & ipsam illi competere disertè scripsit Papinianus hic in l.nostra,nec istud mirum esse debet, quod duplex remedium hoc casu competat patri pręterito, vltrà enim id,quod suprà est dictum, quòd gerit duplicẽ personam,& patris scilicet,& manumissoris, ex alio etiã suaderi potest, quia
40 † in bonorum possessione de iure patris quæritur, non de iure testamenti, vt inquit idem Papinianus in d.l.filio.§.1. infr.hoc tit.nost.quasi velit dicere, hoc iudicio bonorum possessionis non rescinditur testamentum filij, nec eo rescisso pater venit ad integra bona filij,sed tantùm petit portionem in bonis filij sibi iure debitam,quam & eo iudicio aufert, rato nihilominus manente per omnia filij te-
41 stamento,† sic etiam est ius patroni in bonis liberti §.1.& §.sed nostra Instit.de success.libe.idem ergo erit,& in patre quoad bona filij emancipati, exemplo enim patroni admittitur ad bonorum possessionẽ contrà tabulas d.l.1.in principio infr. si quis à parent.manum.fuer.& ità hunc intellectum tuetur Donell.lib.9.commen. iur.ciuil.cap.4.colum.5. Neque vim faciat querelam inofficiosi esse remedium subsidiarium,quod non competit,dum aliud remedium competere potest d.§.tã autem Instit.hoc tit.nostro,& l.fin.C.de
42 liber.præter.† id enim procedit tũc quandò alio simili iure admitti quis possit ad bona defuncti, vniuersa scilicet, non ad partem bonorum, & ità quandò sumus in eo iudicio,in quo quæratur de iure testamẽti,vtrùm rescindi debeat,nec ne, itaut paterfamilias intestatus reddatur, prout fit in querela inofficiosi testamẽti,tunc sanè de inofficioso agi non potest, secus autem est si alia via agatur ad auferendam tantùm partem, vel portionem sibi iure debitam,rato nihilominus manente testamento, prout est in bonorum possessione contrà tabulas, quæ patri emancipatori præterito competit, in qua propterea dicitur de iure patris quæri, non de iure testamenti, in dicta l.

43 filio §. 1. inf. eod. † quę quidem non excludit querelam inofficiosi, & id certè iure, meritó, vt inquit Donell. d. cap. 4. col. 5. valdè enim iniquum esset querela inofficiosi, qua quis consequitur plus, excludi per bonorum possessionē contrà tabulas, qua minus consequi licet, quod si per eam idem consequeretur, quod per querelam, tunc maneret firmum, quód de inofficioso agi non posset, & id verum est, non solum si certum sit contrà testamentum alio iure ad hæreditatem veniri posse, verùm etiam si sit in pendenti, an alia via contrà testamentum veniri possit, quia illic querela in-
44 officiosi non datur, & ideò † antè aditā hæreditatem querela non nascitur l. Papinia-
45 nus §. si cōditioni supr. hoc tit. nostr. † quādiù enim pendet an adeatur hæreditas, tamdiù incertum est, an testamentum valeat necne, dicamus ergò querelę inofficio-
46 si † tùm demùm locum esse, quandò testamentum omni iure, ciuili scilicet, & Pręto- rio valet, nec aliud auxilium ad eum infirmādum superest, vt per Donell. vbi suprà d. col. 5. in fin. tunc enim ea admittitur ad rescindendum testamentum l. nō putauit in princ. inf. de bonor. possess. contr. tabul.
47 ideoq; querela hoc casu tātùm competit, quia dum quis iniquè, & contrà officium pietatis se exclusum dicit in testamento, clarè testatorem iniquitatis, & impietatis accusat, ideò cum quasi famosa sit hæc actio querelæ non debet admitti nisi omnibus alijs remedijs deficientibus.

Opponitur tandem contrà textum nostrum, quòd inutilis videatur eius disposi-
48 tio, si † enim pater agat de inofficioso, & obtineat, rem reducet ad causam intestati, quo casu filij testatoris defuncti proximiores erunt, & per consequens excludēt auum præteritum, & tamen ille iam egit querela, & rupit testamētum, vt in Auth. in successione C. de suis & legit. hæred. & ità hæc querela nihil commodi apportabit ipsi patri, quod etiam fortiùs suaderi videtur ex tex. in l. posthumus §. si quis ex
49 his supr. hoc titul. nostro, vbi † si quis agat querela inofficiosi, cùm alios habeat, qui eum in successione præcedant, & vincat victoria non sibi, sed proximioribus ab intestato debetur, ergo inutilis videtur dispositio textus nostri.

Pro solutione dicamus, quod hęc quę in oppositionibus deducta fuerūt, vera sunt, tunc quando proximiores, & præcedentes in gradu, vel successione aliàs non sunt exclusi, nam tunc verum est, quòd ij præferuntur, & victoria illis acquiritur, secus verò si non sint exclusi per repudiationem, vel per sententiam, vt in casu nostro, & ità respondebat Io. Guter. hic in l. nostra sub num. 25.

Emancipauit] idest liberauit à pote-
50 state sua, † emancipatio enim est patrię potestatis relaxatio, patris & filij interueniente consensu coram iudice §. Præterea Instit. quib. mod. ius patr. potestat. soluit. tradit Azo. in sum. C. de emancip. lib. 4. in prinč. habemus ex Festo lib. 5. vnde mancipare, & emancipare prędia, [illegible] inquit Plin. lib. 7. epistol. ad Caninium. Emancipatio autem similitudinem venditionis habebat hoc modo, Naturalis pater filium suum alij fiduciario patri mancipabat, hoc est in manum tradebat, à quo vice mutua duos nummos quasi in similitudinem precij accipiebat, & iterum eos fiduciario patri tradebat, quod secundò, & tertiò fiebat corā septem testibus, & tali superstitioso circuitu filius exibat patriam potestatem, vt tradit Gaius lib. 1. Instit.

51 Nepotem] † nepos propriè, & verè loquendo est filij, vel filiæ filius §. fin. Instit. de patr. potest. l. 1. §. 2. & l. 3. inf. de gradib. impropriè autem aliàs filij fratris, vel sororis nepotes dicuntur l. cùm quis decedens infr. de leg. 3. vid. Bart. in l. si institu- ta infr. hoc tit. nostr.

52 Ex eo retinuit] † quod facere potest §. admonendi Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit.

Suscepto posteà filio] post suam scilicet emancipationem.

Ambobus exhæredatis] in Pandectis Florentinis legitur Duobus exhæredatis.

Pa-

53 Patre] † pater est iuris ciuilis, mater est iuris naturæ. Pater dicitur, quem iustæ nuptiæ faciunt l. quia semper supr. de in ius vocand. mater verò est, quæ peperit, illa certissima hic incertissimus est teste Cõnan. lib. 2. comment. Iur. ciuil. c. 11. num. 2. est autem hoc vocabulum non solum naturæ, sed & religionis & reuerentiæ, vndè & Dij omnes patres appellabantur, vt inquit Seruius. Senatores & ipsi patres appellati fuere, Senatores scilicet ab ætate à senio nempè, & patres ob honorem, & reuerentiam; Principes & ipsi patres patriæ dicuntur, vt apud Senec. lib. 1. de clement.

Præterito] idest in testamento per si-
54 lentium prætermisso, † præteriti namquè dicuntur, qui nequè instituti, nec vt oportet, exhæredati sunt §. eadem Instit. de hæred. quæ ab intestat. deferunt.

In quæstione de inofficioso testamento] in Pandectis Florentinis legitur de inofficiosi testamenti, quo casu Gothofr. hic in not. inquit tollendam esse particulam, de, & legendum esse, In quæstione inofficiosi testamenti.

Pendet] potest enim filijs exclusis pater admitti l. si non mortis in fin. inf. cod. itaut si filij renuncient querelæ ipse admittatur, vt per Odofr. hic.

Intentionem] idest actionem, querelam, explicat Gothofr. hic in not.

Superuenientibus vaccationibus ob festa Paschalia, dimissæ fuerunt lectiones aliarum legum huius tituli.

DE PETITIONE HÆREDITATIS.

TITVLVS III.

Ad Rub. ff. de petit. hæred.

SVMMARIVM.

Ti-

48 *Titulus pro possessore quibus competat.*
49 *Raria sunt nullo titulo possidere, vel titulo possidere, sed iniusto, & inualido,*
50 *In petitione hæreditatis, quænam veniant, & num. seq.*
51 *In petitione hæreditatis actor intentionem suam metitur ex iure, quod ipse habet, non ex eo, quod possidetur.*
52 *Fructus, & reliqua accessiones augent hæreditatem.*
53 *Fructus hæreditatis debentur iure actionis, non officio iudicis.*
54 *Petitio hæreditatis adhoc, vt intentari possit, quænam requirantur.*
55 *Qui alio titulo, quàm hæredis petitionem hæreditatis vult intentare, non admittitur, sed debet agere rei vendicatione.*
56 *Res hæreditariæ ab hærede possessæ, non dicuntur amplius hæreditaria, sed de patrimonio hæredis.*

TRactauimus in superioribus Scholis materiam inofficiosi testamenti ad explicationem tituli de inofficioso testa-
1 mento, † cuius inofficiosi testamenti querela dicitur esse præparatoria iudicij vniuersalis, idest petitionis hæreditatis, per eã enim rescinditur testamentum, quo rescisso postea agitur petitione hæreditatis, vt suprà in principio Rub. tituli antecedentis
2 dictum fuit, † ideò post titulum prædictum de inofficioso testamento recto ordine sequitur titulus de petit. hæredit. cum quo concordat similis titulus in C. de petit. hæredit. & de huius tituli explicatione intendo, vt in hac postrema studij parte tractemus; Antequàm autem deueniamus ad interpretationem singularum legum propositi tituli de hæredit. petit. prius volo, vt summariam totius tituli, ac materiæ declarationem hoc loci proponamus; videamus enim necesse est primo loco quid sibi velint verba hæc Rub. nostræ de petit. hæredit. Secundò, quid sit hæc petitio hæreditatis. Tertiò vnde originem habuerit. Quartò quoruplex sit. Quintò quibus competat. Sextò aduersus quos detur. Septimò pro quibus rebus detur, & tandem quænam sint requisita huius actionis.

Ad primum itaquè accedentes dica-
3 mus, quod † istud verbum, petitio, nihil aliud importat, quàm vindicationem, vt per Cuiac. hic in not. Rub. nostræ & in recitationibus solemnibus ad tit. nostrum in
4 principio, vndè † hæc actio, de qua in titulo nostro, cùm realis sit l. sed & si lege §. petitio infr. hoc tit. nostro rectius petitio,
5 quàm actio nominatur, † petitionis enim verbo reales actiones plerumq; significantur l. pecuniæ in versic. petitionis infr. de
6 verbor. signific. Verbum † hæreditas est verbum iuris d. l. pecuniæ § hæreditas inf. de verbor. signif. & ideò etiam sine aliquo corpore intellectum iuris habet, vt in l. hæreditas inf. hoc tit. nostro, hoc est hæreditas intelligitur ex iuris disciplina existere, quantumuis in ea nullum corpus reperiatur, seu nulla res corporalis, quæ tãgi, aspicivè possit, prout quando mercator in sua hæreditate relinquat tantùm nomina, & actiones, vel vt plerumquè euenit, quan-
7 do reliquat æs alienum duntaxàt, vndè hæreditas † dicitur esse successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit, vt in l. hæreditas infr. de reg. iur. & in l. nihil infr. de verb. signif.

Hæreditatis autem petitio, vt ad secundum accedamus ex mente Vltramont. in
8 suis paratitl. num. 4. definitur, vt † sit actio ciuilis vniuersalis in rem, petitorij iudicij, bonæ fidei, qua quis petit hæredem se declarari, hæreditatemquè iure ad se pertinentem ab eo qui pro hærede, vel pro possessore possidet sibi restitui; Vel vt placuit Donell. lib. 19. comment. iur. ciuil. cap. 12. Petitio hæreditatis est actio in rem, per quam hæreditatem nostram petimus, & per causam hæreditatis res singulas hæreditarias ab eo, qui quid earum rerum sine causa possidet, vt nobis restituatur. In vtraquè definitione illud semper proponitur
9 hanc † nostram hæreditatis petitionem esse actionem in rem, quia datur aduersus possidentem, vt in l. nec vllam §. fin. cum legib. sequ. inf. hoc tit. nostro, qui ex nullo contractu nobis in aliquo obligatus est ad dandum, vel faciendum, sed solùm conuenitur ratione eius, quod possidet, vt id scili-

10 scilicet restituat,† quod propriũ est actio-
num realium §. 1. Inst.de act. l. actionum
inf.de act.& obligat. licet autem actio hęc
11 realis sit, † præstationes tamen quasdam
personales habet d. l. sed & si lege §. peti-
12 tio inf.eod.† quarum respectu dicitur mix
tam causam obtinere l.hæreditatis C.hoc
tit.nostro §. quædam Instit. de act. prout
exempli gratia respectu preciorum, quæ is
qui pro hęrede segerebat redegit ex rebus
hęreditarijs distractis, item pecuniarum,
quas à debitoribus hęreditarijs, tamquam
hęres exegit, vt in l.item veniunt §.si.cum
legibus sequent.& in d.l. sed & si l. §.peti-
tio inf. hoc tit.nostro, quo factum est hanc
actionem dici, personalem pręstationem
mixtam habere l.hęreditatis C.hoc tit.no
stro, tradit Azo.in sua Sum.in Rub.C.hoc
tit.nostr. num. 20. Donell.d. lib. 19.c.12.
col.1.Cuiac.in recitat.solemnib.ad tit.no-
str.in princip.& in not.ad Rub.tit.nostr.

Sed iam ad tertium deuenio, vndè scili
cet originem traxerit hęc petitio hęredita
13 tis, † iure enim ciuili introducta est à Se-
natus cõsulto scilicet, vt placuit Azon.
vbi supra nu. 16. & patet ex l.item veniunt
14 §.pręter infr.hoc tit.nostr.vndè † centum-
uiralis dicitur vt in l. fin. C. hoc tit. nostr.
S.C.enim tempore Hadriani Imperatoris
15 factum fuit, † cuius partes duæ præcipuè
fuere, in prima agitur de restitutione hęre
ditatis, quam bonę fidei possessor facere
debet, in altera de restitutione, quæ à ma-
lę fidei possessore petitur; Cuius S.C. ver-
ba recitantur, & explicantur in l. item ve-
16 niunt §. prætet infr.hoc tit.nostro, † bonæ
autem fidei possessor est, qui ex iustis cau
sis existimat ad se hęreditatem pertinere,
17 vt in d. §.pręter et si erraret, † error namq.
iuris iusta causa dicitur l.sed & si l. §. scire
18 inf.eod.† quæ libet enim causa etiam fri-
uola à dolo, & mala fide excusat l. igitur
infr.de lib. caus.trad.gloss. fin.in fin. & ibi
DD.in l.vnic.supr.si quis ius dicent.non
19 obtemp.† Malæ verò fidei possessor est, q.
sciens hęreditatẽ ad se non pertinere, eam
nihilominus occupat, cum nullam iustam
causam possidendi habeat, vt in d. l. item
veniunt §. petitam, & in d.l. sed & si lege
§. 1.inf.eod. Item ille malæ fidei possessor
dicitur, qui de suo iure dubitare incipit,
cùm à se petita sit hæreditas d. l. item ve-
niunt §. petitam inf. eod. postquam enim
sibi mota est controuersia, tunc statim dici
tur in mala fide constitutus esse d.l. sed &
si §.si antè infr.eod. Ipsius autem S.C. pla
cet, vt verba referamus, & etiam explice-
mus vnà cum Vltramont. in suis paratit l.
20 ad tit.nostrum sub num. 11. Verba † hæc
habentur in d.l.item veniunt §.Pręter inf.
eod. PRIDIE IDVS MARTIAS,
QVINTVS IVLIANVS BALDVS,
ET PVBLIVS IVVENTIVS CEL-
SVS, TITIVS AVFIDIVS, ET AR-
RIVS SEVERIANVS CONSVLES,
quorum duo Magistratum gerebant, duo
verò Consules designati erant in futurum
annum VERBA FECERVNT DE
HIS, QVE IMPERATOR CÆSAR
21 TRAIANI PARTHICI FILIVS † ado
ptiuus scilicet vt per Vltram. vbi supr. DI-
VI NERVÆ NEPOS ADRIANVS
AVGVSTVS IMPERATOR, MAXI-
MVSQ. PRINCEPS PROPOSVIT
QVINTO NONAS MARTIAS,
QVÆ PROXIMÆ FVERVNT, LI-
BELLO COMPLEXVS, QVID FIE
22 RI PLACERET, † Principes enim in
nouo iure constituendo solebãt orationẽ
rem Senatui deliberandam proponere,
vndè orationes Principum dictæ sunt l.cũ
hi sup.de transact.l.oratione inf. de spon-
sal.l. 1.inf.de reb.eor.qui sub tutel.sunt nõ
alien. quæ orationes Principũ vti sint ac-
cipiendæ exposuit Brisson.lib. 1. select.an-
tiquit. DE QVA RE ITA CENSVE-
RVNT: CVM ANTE QVAM PAR-
23 TES CADVCÆ, † quæ videlicet defi-
cientibus scriptis hęredibus, aut legatarijs
iure veteri ex constitutione Augusti (vt
est apud Dionem) ad fiscum deuoluebantur,
vt Augustus, qui bellis ciuilibus iam
planè exhaustus erat, sine alicuius iniu-
ria, & absque expilatione subditorum lo-
cupletaretur l.vnica in princip.C.de cad.
toll. EX BONIS RVSTICI FISCO
PETERENTVR, HI QVI SE HÆ-
REDES ESSE EXISTIMASSENT,

vndè

vndè bonæ fidei possessores sunt, vt in d.l. item veniunt §. præter, & in l. sed & si §. sci te inf. hoc tit. nostro, de his namque bonæ fidei possessoribus in hac parte S.C. agitur HÆREDITATEM DISTRAXERVNT: PLACERE REDACTÆ EX PRECIO RERVM VENDITARVM PECVNIÆ VSVRAS NON
24 ESSE EXIGENDAS licet enim † in hac actione meritò petatur precium, & pecunia tamquàm res hæreditaria, vt potè, quæ ex hæreditate redacta sit d.l. item
25 veniunt §. redactæ cum seq. infr. eod. † in enim, vt potè iure vniuersali preciũ succedit loco rei l. 2. §. 1. & ibi gloss. & DD.
26 inf. de hæredit. vel act. vendit. † vsuræ tamẽ non debent exigi in hoc Iudicio bonæ fidei ab eo, qui neque in mala fide esset, neque moram vllam in restituendo cõmisisset l. mora §. in bonæ inf. de vsur. IDEMQVE, ET IN SIMILIBVS CAVSIS SERVANDVM ESSE. Prout scilicet in bonis vacantibus, vel aliundè fisco acquisitis, vt in d.l. item veniunt §. Ait Senatus inf. eod. & in l. 1. inf. de iur. fisc. item in petitionibus priuatorum, quibus hæreditates obuenerint, quamuis enim S.C. loquatur solum de bonis fisco acquisitis, & priuati tamen etiam hæreditatem petentes eodem iure vti debent d. l. item veniunt §. ait Senatus inf. eod. ITEM PLACERE: A QVIBVS HÆREDITAS PETITA FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ESSET PRECIA, QVÆ AD EOS RERVM EX HÆREDITATE VENDITARVM antè petitionem scilicet hæreditatis intẽtatam,
27 institutam † enim petitione hæreditatis nihil amplius alienari potest l. Diuus Pius inf. eod. PERVENISSENT, ET SI HÆ ANTE PETITAM HÆREDITATEM DEPERISSENT: hoc est in rerum natura esse desijssent, aut corruptæ vel vsucaptæ essent l. deperditum inf. eod. RESTITVERE DEBERE. Quatenus scilicet sint facti locupletiores l. vtrum inf.
28 eod. † omne enim lucrũ, & id omne, quod qualibet occasione ex hæreditate obuenit, restitui debet, nõ autem aliquid amplius

l. sed & si §. fin. l. Ancillarum, & l. post inf.
29 hoc tit. nostro, iniquum enim esset † bonæ fidei possessores damno affici, & ab ei s exigi, quod non accepissent, & de istis bonæ fidei possessoribus hucusquè agit S.C. de malæ autem fidei possessoribus agit in verbis sequentibus ITEM EOS, QVI BONA INVASISSENT, CVM SCIRENT AD SE NON PERTINERE: hoc est nullam iustam causam possidendi haberent d. l. sed & si §. quid autem infr. eodem, ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVOMINVS POSSIDERENT: PERINDE CONDEMNANDOS QVASI POSSIDERENT sem-
30 per enim † qui desijt possidere, pro possessore habetur, & condemnatur d. l. sed & si §. perindè infr. eod. l. sin autem §. sed & is inf. de rei vẽdicat. & l. qui dolo inf. de reg.
31 iur. † Dolo autem desijsse possidere dicitur, qui sciens nullum ius sibi in rebus esse,
32 eas tamen alienat, atque distrahit, † vndè iste tenetur prout si res extaret, quamuis sint distractæ, easque redimere, ac præstare debet, sin verò recuperari nequeant, in tantum damnandus veniet, quantum ab actore erit in litem iuratum, si autem res istæ fuerint deperditæ, aut deminutæ, debet præstare verum earum precium d. l. itẽ veniunt §. restituere, & §. fin. inf. eod. & hoc vnà cum accessionibus, incrementis, ac fructibus non modò perceptis, verum, & q̃ percipi potuerunt d. l. sed & si §. quod autem (il 2.) cum §. seq. & l. cùm hæreditas inf. hoc tit. tradũt Castr. & DD. in l. 1, & 2. C. eod. EOS AVTEM, QVI IVSTAS CAVSAS HABVISSENT, QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT, VSQVE EO DVMTAXAT, QVO LOCVPLETIORES EX EA RE FACTI ESSENT. PETITAM AVTEM FISCO HÆREDITATEM EX EO TEMPORE EXISTIMANDVM ESSE, QVO PRIMVM SCIERIT, QVISQVE EAM
33 A SE PETI: & sic notemus † quo tempore quis in iudicio petitionis hæreditatis intelligatur fieri malæ fidei possessor

IDEST: CVM PRIMVM AVT DENVNCIATVM EI ESSET, AVT LITTERIS EDICTIS EVOCATVS hoc est citatus ad disceptandum super hereditate ESSET, CENSVERVNT. Et hoc fuit S.C. ex quo originẽ traxit hæc petitio hæreditatis.

Sed iam ad Quartum accedamus, quod duplex scilicet sit petitio hæreditatis, duplex enim cõstituitur, vt per Azo. in Rubi
34 C. hoc tit. nostr. in princip. † altera scilicet directa, altera verò vtilis, directa est, quæ competit ad petendam hereditatem directò, de qua tractatur in titulo nostro, & in tit. C. eod. Vtilis verò est, quę competit ad petendam hæreditatem ex fideicõmisso, de qua in tit. inf. de fideicom. hæred. petit. & ad petẽdam bonorum possessionem ex edicto Pretoris, de qua agitur in tit. inf. de possessor. hæredit. petit. Vel ex mente Vltram. in suis paratit. l. ad tit. nostrũ n. 7. altera directa est, quæ competit ad petendam hęreditatem de iure ciuili contra eum, qui pro hærede, aut ꝑ possessore possidet, altera verò vtilis est, quæ competit aduersus eum, qui à possessore rem habet l. nec vllam §. quod si quis, & §. si quis sciẽs inf. eod. Vel cum iisdem Vltramont. ibi, & cũ Vult. in sua iuris prud. Roman. lib. 2. c. 22.
35 dicamus quod † hæreditatis petitio quædam ciuilis est, quædam Prætoria, quædã ex vtraque illa mixta, Ciuilis est, quæ de iure ciuili datur ei, qui se hæredem dicit aduersus eum, qui se pro hærede, vel pro possessore gerit, & hæc aut in totam hæreditatem datur, vt in titulo nostro, aut in partem, vt in tot. tit. inf. si pars hęred. petat. & alijs directò datur, alijs verò vtiliter, directò autem datur ipsis hæredibus institutis l. 2. inf. de fideicom. hæredit. petit. §. & Neronis, & §. sed quia Instit. de fideicom. hæredit. Prætoria hæreditatis petitio est, quæ ex iurisdictione Magistratus bonorum possessoribus datur, vt in tot. tit. inf. de possessor. hæredit. petit. Mixta tandem est, quę ex Senatus consulto fideicõmissarijs vniuersalibus, bonorum possessoribus, & alijs, qui pro hæredibus ex S. C. habentur competit, vt in l. 2. & 3. infr. de fideicom. hæred. petit.

Hæc autem petitio hæreditatis (vt ad
36 quintum accedamus) † competit hæredi, cuius sit hæreditas, & quam suam esse intendat l. 3. & l. licet inf. hoc tit. nostro, siuè succedat ex testamento, siuè ab intestato per legem, vel per S.C. Item siuè succedat per se, siuè per alium, vt in l. 1. 2. & 3. infr. eod. hoc ordine tamen, vt primùm scriptis hæredibus detur l. legitimam inf. hoc tit. nostro, & l. scripti C. eod. posteà euacuata causa testamenti detur illis, qui ab intestato succedũt d. l. legitimam inf. eod.
37 † quamdiù enim potest esse locus successioni ex testamento, tamdiù cessat causa intestati l. is qui putat cum legib. sequẽt. infr. de acquir. hæredit.

Vt autem ad sextum pręmissũ deuenia-
38 mus, † datur hæc petitio hæreditatis aduersus eum, qui rem aliquam hæreditariã vnam, vel plures pro hærede, vel pro possessore possidet, qui nullam possidẽdi causam habet, nec contendit se hæredem, vel si contendat, falsò tamen l. regulariter l. li-
39 cet, & l. pro hærede inf. eod. Vndè † tria desiderantur, ad hoc vt quis hac petitione hæreditatis conueniri possit, Primũ, quod
40 † est cõmune omnium actionum in rem, vt is possideat l. actionũ inf. de act. & oblig. secundum, vt possideat rem aliquam hæreditariam, Tertium, vt eam pro hærede, vel pro possessore possideat, vt per Donell. d. lib. 19. comment. iur. ciuil. c. 12. col. 4. Vt au-
41 tem cognoscatur † quomodò quis possideat pro hærede, vel pro possessore, pratica traditur, vt proposito petitionis hæreditatis libello, tunc interrogetur possessor qualiter ipse possideat l. 1. in principio, & l. de ætate §. 2. infr. de interrogat. act. hoc est an credat se hæredem, quod si asserat credere se hęredem, tunc vlterius procedetur in petitione hereditatis, quia dicitur possidere pro hærede, si verò negatiuè respondeat, non credere se hæredem, tunc queri-
42 tur de titulo quo possideat, † quem titulũ si non probauerit, præsumetur possidere ꝑ possessore, & sic procedat tex. in l. cogi C. hoc tit. nostro, & ità hanc practicam interrogandi proposuit Azo. in Sum. Rub. C. hoc

hoc

hoc tit. noſt. n. 2. & Cruceus hic in Rub. no
43 ſtra.† Pro hærede autem dicitur poſſidere
is, qui ità poſſidet, vt vel bona fide credat
ſe hæredem eſſe, cum tamen nō ſit, vel ma
la fide, ſciens ſe hæredem non eſſe, cum ta-
men ſe hæredem eſſe contendat l. pro hæ-
rede inf. hoc tit. noſtr. tradit Vult. in Iuris
44 prud. Roman. lib. 2. c. 22. col. 3. † & iſte titu
lus pro hærede cōpetit omnib. his, qui ve-
45 ri, & iuſti ſunt hæredes, nam † bonorū poſ
ſeſſores, & reliqui qui pro hæredib. haben
tur l. item veniunt §. licet inf. eod. Item ſin
46 gulares † ſucceſſores hæredum, prout ij, q
à putatiuo hærede emerūt, aut ex alia cau
ſa, titulo vè aequiſiuerunt, pro hæredibus
conueniuntur l. ſed & ſi §. item inf. hoc tit.
noſtro, ſaltem vtiliter vt in l. etiam ſi §.
47 quod ſi infr. eod. † Pro poſſeſſore verò poſ-
ſidet prædo, vel malæ fidei poſſeſſor, q ta-
men ſe hæredem eſſe non contendit, ſed p
mendacium, nec aliquem ſuæ poſſeſſionis
titulum allegat, nec vllum allegare poteſt
d. l. pro hærede in fin. & l. qui interrogatus
inf. hoc tit. noſtro, ſed īterrogatus cur poſ-
ſideat, perit principium, & reſpōdet, quia
48 poſſideo, † Titulus autem iſte pro poſſeſſo
re competit omnib. titulis iniuſtis, & nul-
lis, prout ſi quis emit nulliter à furioſo, aut
donatum accepit ab eo, qui donare prohi
betur, vt puta à coniunge d. l. nec vllam §.
49 1. inf. eod. † paria enim ſunt ſine titulo poſ
ſidere, vel titulo non iuſto, neq. valido poſ
ſidere §. ſciēdum Inſtitut. de ſatis d. tut. &
d. l. nec vllam §. 1. inf. eod.

Sed iam ad ſeptimum deueniamus ad
res ſcilicet, quæ veniant in hac petitione
hæreditatis, & cum Donell. d. lib. 19. c. 13.
in principio, & cū Vult. d. lib. 2. Iuris prud.
50 Roman. c. 22. col. 3. dicamus † per hanc a-
ctionem peti hęreditatem, & per hęredita
tem res ipſas hæreditarias ab eo, qui quid
earum rerum pro hærede, vel pro poſſeſſo
re poſſidet, vt reſtituatur l. regulariter, & l.
licet inf. eod. & ideò in hac petitione ve-
niunt quęcumquè res hæreditariæ, quæ in
dominio defuncti fuerūt tàm corporales,
51 quàm incorporales, & ſic etiam iura, † non
enim metitur actor intentionem ſuam ex
eo, quod poſſidetur, ſed ex iure quod ipſe
habet l. 1. inf. ſi pars hęredit petat. Item 9
plus eſt veniunt non tantum corpora hęre
ditaria, ſed etiam ea quorum periculum
ad hęreditatem pertinet, vt res à defuncto
poſſeſſæ, vel detentæ dumtaxat, cuiuſmo-
di ſunt res depoſitæ, commodatæ, pigno-
ratæ, & ſimiles l. non tantum infr. eod. ve-
niunt item pręcia rerum venditarum, pecu
niæ exactę à debitoribus l. item veniunt §.
fin. cum legib. ſequent. & l. ſed & ſi lege §.
petitio inf. eod. quinimò, & fructus, acceſ-
ſioneſquè rerū, quæ ex quacumquè cā ac-
ceſſerunt ad hęreditatem, vel accedere po
tuerunt vt in d. l. item veniunt §. item non
52 ſolum, & §. Redactæ inf. eod. † fructus. n.
& reliquę acceſſiones augent hęreditatem,
53 vt potè ius vniuerſitatis, debenturq. † iure
actionis huius, non officio iudicis l. ſed &
ſi lege §. fin. & l. ancillarū inf. eod. l. ſi poſt
C. hoc tit. noſtro.

Supereſt tandē pro coronide, vt videa-
mus, quænam requirantur ad hoc vt hæc
54 actio intentari poſſit, † quæ requiſita ex
parte tùm actoris, tùm rei conſiderari poſ
ſunt, ex parte actoris primò requirit̄, vt ſit
hęres uel in torū vel p parte illius defūcti,
de cuius hæreditate agitur, ſiuè ex teſtō,
ſiuè ab inteſtato, itaut ſi ab inteſtato ſit hę
res, ità coniunctus fuerit cognationis vin-
culo ipſi defuncto, vt nullus cū gradu præ-
ceſſerit l. 2. §. legitima inf. de ſuis, & legit.
hęred. l. 1. infr. quis ord in bonor. poſſeſſ.
ſeruet. tradit Ang. in §. actionum nu. 105.
55 in fin. Inſtit. de act. † Vndè ſi alio tit. quàm
hęredis intentare velit hanc petitionē non
admittetur, ſed agere debebit rei vendica
tione Dec. in l. hæreditas num. 3. & 4. inf.
de reg. iur. Secundò requiritur, vt actor nō
habuerit poſſeſſionem rerum hęreditaria-
rum antequàm intentet hanc petitionem
hæreditatis, poſtquam enim ſemel natus
eſt poſſeſſionem rerum hæreditariarum,
56 † tunc res illæ amplius non dicuntur hære
ditariæ, ſed de illius patrimonio gloſſ. in l.
fin. infr. de fideicom. hæredit. petit. Iaſ. in
§. actionum num 215. & ibi Ang. num. 32.
Inſtit. de act. Ex parte rei primò requiri-
tur, vt poſſideat verè hæreditatem vel to-
tam, vel partem illam, quæ petitur, aut
dolo-

dolo desierit possidere l. nec vllam §. item si quis dolo inf. eod. aut quod liti se obtulerit, licet verè non possideat l. qui se liti infr. eod. secundò requiritur vt possideat pro herede, vel pro possessore l. regulariter inf. hoc tit. l. hæreditatis C. eod. & l. hæreditatem C. in quib. cauf. cess. long. temp. præscrip. vel saltē possideat alio titulo valido, vt ex communi dicit Zucchard. in l. fin. num. 464. C. de edict. Diu. Hadr. toll. addamus aliud requisitum ad hanc petitionem intentandam, vt res quæ petitur fuerit defuncti eius mortis tempore, vel iure dominij, vel possessionis, vel saltem detentionis, vt supra in secundo præmisso dictum fuit; Istis ergo concurrentibus requisitis locus erit petitioni hæreditatis.

Ad l. I. II. & III.

Caius lib. vi. ad edictum Prouinciale.

Hæreditas ad nos pertinet, aut vetere iure, aut nouo. Vetere, ex lege duodecim tabularum, vel ex testamento, quod iure factum est.

Vlpianus lib. xv. ad edictum.

Siue suo nomine, siuè per se, siuè per alios hæredes effecti sumus.

Caius lib. vi. ad edictum Prouinciale.

Veluti si eam personam, quæ in nostra potestate sit, institutam iusserimus adire hæreditatem. Sed & si Titio, qui Seio hæres extitit, nos hæredes facti sumus, sicuti Titij hęreditatem nostram esse intendere possumus, ità & Seij. Vel ab intestato: fortè quòd sui hæredes defuncto sumus, vel quod manumisimus defunctū: quod vè parens noster manumisit.

Nouo iure fiunt hæredes, omnes, qui ex Senatus consultis, aut ex constitutionibus ad hæreditatem vocantur.

SVMMARIVM.

1 *Tribus ex causis hæreditas alicui acquiritur.*
2 *Lex duodecim tabularum dicitur ius vetus, & num. 33.*
3 *Hæreditas iure veteri dupliciter ad nos spectare potest.*
4 *Lex duodecim tabularum confirmat testamentarias hæreditates.*
5 *Hæreditatum duplex est conditio.*
6 *Hæreditas ex testamento nobis competit, & quomodo vid. num. 9.*
7 *Testamentum non valet nisi iure factum sit, & secundum regulas iuris.*
8 *Testamentum non iure factum abusiuè dicitur testamentum.*
10 *Hæredes nomine nostro quomodo fieri dicamur.*
11 *Hæredes per alios quomodo fieri possimus.*
12 *Filius vel seruus si fuerint instituti, perinde est, ac si pater, vel dominus instituti essent.*
13 *Hæreditas patri vel domino per filium, vel seruum acquiritur.*
14 *Hæreditas per liberos quomodo nobis acquiratur.*
15 *Hæreditas nobis acquiritur per successionem, & consequentiam personarum.*
16 *Hæres hæredis est etiam hæres testatoris, & num. 35.*
17 *Hæredis appellatione non tantùm hæres testatoris continetur, sed etiam hæres hæredis, & deinceps.*
18 *Hæreditas alicuius continet omnia, quæ ipse cùm moritur habuit.*
19 *Constitutiones confirmant testamentum filij familias militis de castrensi peculio testantis.*
20 *Intestatus quis dicitur non solum si nō fecerit testamentum, sed etiam si fecerit, posteà tamen iniustum, ruptum, irritum, nè factum fuerit.*

Suc-

21 *Successio ab intestato legitima dicitur, quia à sola lege pendet.*
22 *Successio ab intestato liberis primò, deinde parentibus, tandem reliquis sanguine coniunctis debetur.*
23 *Patroni vel eius liberi ab intestato succedunt liberto, non extantibus descendentibus.*
24 *Mater de iure antiquo erat cognata filio, & è contrà.*
25 *Mater & filius de iure ciuili inuicem sibi non succedebant, sed tantùm de iure Prætorio.*
26 *Tertullianum S.C. successionem matris filio detulit.*
27 *Orphitianum S.C. matrem vocauit ad successionem filij.*
28 *Filia sororis auunculo ex noua constitutione succedit.*
29 *Filius arrogatus si emancipetur, vel exheredetur, patri emancipatori in Quarta succedit ex constitutione Diui Pij.*
30 *Hæreditas quid sit.*
31 *Hæres & defunctus eadem persona censentur.*
32 *Bonorum possessio est iuris Prætorij.*
33 *Lex duodecim tabularum dicitur prima lex Romanorum.*
34 *Legis duodecim tabularum encomia.*
35 *Hæreditas nostro nomine nobis quæritur, cùm iusserimus institutum adire hæreditatem.*
37 *Suus hæres quisnam sit.*
38 *Nouum ius dicitur, quod post legem duodecim tabularum est introductum.*
39 *Leges Imperatorum proprio nomine constitutiones appellantur.*

CVm petitio hæreditatis detur ei, cuius sit hæreditas vt suprà in Rubr. nu. 36. dictum fuit, ideò vt cognoscamus ad quos hæreditas pertinere dicatur compilatores
1 † tres causas proponunt in his primis tribus legibus tituli nostri, ex quib. hæreditas alicui acquiratur, & sic ad illũ spectare dicatur, duæ primæ causæ sunt ex vetere iure, tertia verò est ex iure nouo, ex iure vetere, hoc est ex lege duodecim tabularum,
2 † hæc enim ius vetus dicitur l. 2. §. exactis sup. de origin. iur. §. disponat in Auth. de nupt. tradunt DD. in Rub. C. qui admitt.
3 † hæreditas ad nos spectat dupliciter,
4 aut ex testamento, vt hic in l. 1. † lex namque duodecim tabularum confirmat testamentarias hæreditates l. lege inf. de verbor. signific. aut verò ab intestato, vt hic in l. 3. quando scilicet nullum factum est testamentum, vel est factum non iure tamẽ, vel non fuit adita hæreditas, & cũ his duabus causis cõcordat tex. in §. fin. Inst. per quas person. cuiq; acquir. dùm ibi dicitur,
5 quòd † hæreditatum duplex est conditio, nam vel ex testamento, uel ab intestato ad nos pertinent.
6 Prima illa causa † acquirendi hæreditatem ex testamento scilicet declaratur primò, vt uera sit, & procedat, dummodò testamentum iure factum sit, vt hic in fine
7 legis primæ, † nam si iure non sit factum testamentum, & secundum regulas iuris nõ valet l. 4. inf. qui testam. facer. poss. nec ta-
8 li casu meretur nomen testamẽti, † sed abusiuè testamentum dicitur l. 2. §. primo inf. quemadm. testam. aper.
Declaratur secundò, vt vera sit, & pro-
9 cedat † siuè nostro nomine hæredes facti simus ex testamento, siuè per alium hæ-
10 redes effecti simus, vt hic in l. 2. † Nostro autem nomine hæredes fieri dicimur, quando directò & principali nomine ipsimet hæredes scripti simus, vt in l. prima in principio infr. de coniung. cum emancip. liber. & nobis ità debita sit hæreditas, vt penes nos maneat, vtpotè liberos homines, & nostri iuris constitutos, vt declarat Donell. libro 19. comment. iur. ciuil. capitulo decimo secundo, columna 3.
11 Per † alios autẽ hæredes fieri dicimur, cum alijs hæreditas, per eos, posteà ad nos peruenit, & id duobus modis euenire potest, vt hic in l. 3. in principio, primò per eos, qui sũt in potestate nostra, per liberos nostros scilicet, & per seruos, perindè est. n.
12 atq; † si pater, vel domin⁹ hæres institutus sit, quãdò filius, vel seruus hæres instituitur

cùm plerumquè ipsius patris, vel domini
contemplatione id fiat, cùm non ignore-
13 tur † per eos patri, vel domino hęreditatē
acquiri §. item nobis Instit. per quas per-
son. cuiq. acquirit. tradit Cuiac. hic in reci.
14 tàt. solēn. ad has leges nostras col. 3. † Per
liberos autem nostros nobis acquiritur hę-
reditas, si eos in potestate nostra habea-
mus, si nostra cōtemplatione hæredes sint
instituti, aut hęreditatem adierint, vt eam
nobis acquirerent, per seruos etiam nobis
acquiritur hæreditas, quādo enim ab alijs
sint instituti, quæsita hæreditas nobis om-
nimodò quæritur l. acquiritur infr. de ac-
quir. rer. domin. Vlteriùs per eos, quibus
successimus nos, acquiritur nobis eorum
hæreditas, quibus illi prius hæredes exti-
15 terunt, & ità † per successionem, & conse-
quentiam personarum, prout si Seius, qui
est hæres Titij ex testamento, quique
illius hæreditatem adijt, me hæredem
scribat, ego namquè Seij hæres ero meo
nòmine, Titij autem hæres ero alieno no-
mine, & per successionem, aut seriem l. fin.
infr. de leg. 3. & id est, quod vetere regula
16 iuris traditur, † hæredem hæredis hære-
dem quoquè esse testatoris, cui primus hę-
res extiterit l. fin. C. de hęred. inst. l. si quis
filium §. fin. infr. de acquir. hæredit. id
17 etiam est, quod dicitur † hæredis appella-
tione nequè hæredem tantùm testatoris
contineri, sed & hæredem hæredis, & de-
inceps vlteriores l. hæredis appellatio inf.
de verb. signific. quæ regulæ suam rationē
habent, nam dùm ego Seio succedo, certè
ipsius Sei totam hæreditatem obtineo,
18 quæ † continet omnia, quæ ipse cùm mo-
ritur habuit l. hæreditas infr. de reg. iur. at
ipse habuit hæreditatem Titij sibi prius
aditione quæsitam, ideò necesse est, vt ip-
sa vnà cum reliquis bonis ipsius hæredita-
rio iure ad mè pertineat, ità Donell. d. ca-
pit. 12. col. 3.

Hęc autem prima causa acquirendi hę-
reditatem de iure vetere, ex testamento
scilicet extenditur, vt non solum testamē-
ta confirmentur de iure antiquo, lege
nēpè duodecim tabularum, sed etiā quan-
doquè de iure nouo, vt ex constitutioni-
19 bus, † constitutiones enim, non lex anti-
qua duodecim tabularum confirmant te-
stamentum filij familias militis de pecu-
lio castrensi tęstantis l. 2. §. Item si filijfa-
milias inf. famil. ercisc. l. item veniunt §.
non solùm & l. filijfamilias inf. hoc titulo
nostro.

Secunda causa ex qua de iure vetere
hæreditas ad nos pertineat est ab intesta-
to, cùm is scilicet de cuius hæreditate agi-
tur, intestatus decesserit, non solùm scili-
20 cet, si nullum fecerit testamentum; † sed
etiam si fecerit, sed tamen posteà iniustū,
ruptum, irritumuè factū fuerit, vt in prin-
cip. Instit. de hæreditat. quæ ab intestat.
defer. quæ causa acquirendi hęreditatem,
cùm nullo iudicio testatoris nobis defera-
21 tur, sed sola lege innixa fit † legitima dici-
tur, quasi à sola lege pendens l. 3. §. de illo
infr. pro soc. l. legitimam infr. hoc tit. no-
stro, in qua causa intestati ità proceditur,
vt sanguine coniunctis hæreditas ordina-
22 tim acquiratur † liberis scilicet primo lo-
co, secundo parentibus, tertio reliquis san-
guine coniunctis iuxtà gradus proximita-
tem, vt in tot. tit. Instit. de hæreditat. quæ
ab intest. deferunt. & in tit. Instit. de legit.
23 agnat. success. † non extantibus autem de-
scendentibus, vel ascendētibus patronus,
vel liberi eius patrono succedunt ex men-
te Io. & Azon. vt patet in tot. tit. Instit. de
legitim. patron. tutel. & in tot. tit. Institut.
de success. libert.

Tertia causa acquirendi hæreditatem,
quę proponitur hic in l. 3. est ex iure nouo,
quo fiunt hæredes omnes, qui ex Senatus-
consultis, aut ex constitutionibus ad hæ-
reditatem vocantur, quæ causa intelligi
debet tàm ex testamento, quàm ab inte-
stato, ex testamento, vt in exemplo supe-
rius proposito de filio familias milite de
peculio castrensi testante, ab intestato ve-
rò exemplum sit de ijs, qui fiunt hæredes
ex Senatusconsultis in Senat. Cons. Ter-
24 tull. & in Senat. Cons. Orphician. † de iure
enim antiquo, hoc est ex lege duodecim
tabularum mater erat cognata filio, &
25 è contrà, † ideò iure ciuili inuicem non
admittebantur ad successionem, sed tan-
tùm

tùm de iure Prætorio l. 1. infr. vndè cogn. superuenerunt postea hæc Senatusconsulta, quæ eos inuicem ad successionem vo-
26 carunt, † Tertullianum enim hæreditatem matris filio detulit, vt in toto titulo
27 Institut. ad Tertul. Senat. Consult.† Orphicianum verò vocauit matrem ad successionem filij, vt in tot. tit. Inst. ad Orphician. S.C. de ijs autem, qui fiunt hæredes ex constitutionibus exemplum ponitur in
28 filia sororis, † quæ noua constitutione ab intestato auunculo succedit l. lege C. de legit. hæredib. §. hoc etiam Inst. de legitim. agnat. success. Item exemplum ponitur in
28 filio arrogato, † qui ex constitutione Diui Pij succedit patri arrogatori in quarta, si exhæredetur, vel emancipetur, §. cùm autem Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit. l. Papinianus §. si quis impubes, & ibi dictum fuit nu. 2. sup. de inoff. testam. alia multa exẽpla ponũtur per Cuiac. hic, quæ tamen non videntur admittẽda esse, cùm de ijs constitutionibus non excogitauerit Caius auctor legis nostræ, vt inquit idem Cuiac. in cõment. ad l. 6. supr. de in Integr. restitut. qui vult exemplum verum poni debere in filio familias milite intestato decedente, pater enim dùm occupat iure suo castrense peculium etiam successoris loco est, & sic ad eum transfertur hæreditas filij, & ità residet Cuiac. tùm in commẽt. ad d. l. 6. tùm etiam hic in recitat. solemnib. ad l. nostram.

30 Hæreditas] quę † nihil aliud est quàm ius succedendi in vniuersum ius, quod defunctus habuit l. nihil infr. de verb. signif. l. hæreditas infr. de reg. iur. vndè iuris in-
31 terpretatione, † hæres & defunctus vna & eadem persona censentur §. 1. in Auth. de iureiur. à moriente præstit.

Pertinet] iure ciuili, & hoc dictum sit ad differentiam bonorum possessionis,
32 quæ † est iuris Prætorij §. quos autem Institut. de bonor. possess.

E lege duodecim tabularum] lex
33 duodecim † tabularum dicitur ius vetus, & etiam prima Romanorum, vt per Dec. in Rub. C. qui admitt. & Iustin. Imper. in §. disponat in Authent. de nupt. ait legem
34 duodecim tabularum † primam legem esse, quæ aliquam Romanis Rempublicam constituerit, vt per Francisc. Balduin. in comment. ad leges duodec. tabul. in præfat. numero 78. eas fontes legum appellat M. Tullius: Liuius legem duodecim tabularum fontem omnis priuati, publiciq; iuris dicit: Cornel. Tacit. lib. 3. finem ęqui iuris ait has duodecim tabulas.

Siue suo nomine] siue nostro nomine, siue per alium, &c. legit Haloend. Gręcus interpres, & facilior est lectura, quia superius dictum est, Hæreditas ad nos pertinet, & dicamus nostro nomine idest directo, & principali nomine vt in l. 1. in princip. Infr. de coniung. cùm emancip. liber.

Siuè per alios] putà seruum, vel filium, vel eum, cui succedimus.

Iusserimus adire hæreditatem]
35 quia † tunc nostro nomine nobis quæritur hæreditas l. qui in aliena, l. placet, & l. si quis mihi bona §. iussum infr. de acquir. hæredit.

Intendere possumus] mediante sci-
36 licet persona Titij, cùm † hæres hæredis sit etiam hæres testatoris l. fin. C. de hæredib. instit.

Vel ab intestato] hæc alternatiua respicit alteram alternatiuam superius positam in fin. l. 1. dum dictum est, vel ex testamento.

37 Quod sui hæredes] idest † in potestate defuncti tempore mortis, vt in §. 1. Inst. de hæred. qualit. & different. quinàm autem sint sui hæredes, superiùs aliàs est dictum in l. Papinianus §. si ex causa num. 24. de inoffic. testam.

Manumisimus defunctum] nam patronus liberto succedit, vt suprà est dictum.

38 Nouo iure] † nouum ius dicitur hic, quod post legem duodecim tabularum est introductum, ad quod deseruit tex. in l. vnic. infr. de condict. ex leg. in l. fin. infr. de regul. Caton.

Ex Senatusconsultis] Tertulliano scilicet,& orphiciano.

Ex constitutionibus] Imperatorũ
39 scilicet, † cum leges ipsorum proprio nomine constitutiones dicantur §. sed & quod Principi Instit. de iur. nat. gent. & ciuil.

Ad lib. iv. Paulus lib. 1. ad edictum.

Si hæreditatem petam ab eo, qui vnam rem possidebat: de qua sola controuersia erat: etiam id, quod posteà possidere cœpit, restituet.

SVMMARIVM.

1 *In petitione hæreditatis reus condemnatur etiã de eo, quod ad se peruenit post litem contestatam.*

Declara, dummodo rem possideat pro hærede, vel pro possessore, vt nu. 4.

2 *Petitio hæreditatis dicitur ius vniuersale, & num. 9.*

3 *In petitione hæreditatis actor ità vindicat hæreditatem, si pateat suam esse, & ad se spectare.*

5 *In iudicium non potest venire id, quod post iudicium acceptum accidit.*

6 *Sententia debet esse conformis libello.*

7 *Sententia non potest feri de eo, super quo nõ est facta litis contestatio.*

8 *Cõciliatur lex nostra cum l. nõ potest sup. de indic.*

10 *Actor in iudicio petitionis hæreditatis prætendit se declarari hæredem, & res hæreditarias ad se spectare.*

11 *In actione, quæ formatur ex persona rei, nõ venit res, quam ipse reus postea cœperit possidere.*

12 *Petitio hæreditatis, & actio specialis in rem formantur ex persona actoris, non ex persona rei.*

13 *Actor in petitione hæreditatis metitur intentionem suam, & iure sibi competenti non ex persona rei.*

14 *Qui sine dolo rem hæreditariam possidere desinit, definit etiam posse conueniri.*

15 *Conciliatur lex nostra cum l. qui autem §. si autem is infr. si quis ommiss. caus. test.*

16 *Ex diuersis non debet fieri illatio.*

17 *Controuersia quid sit.*

18 *Possidere verbum vndè dictum sit, & quid significet.*

19 *Res corporales propriè dicuntur possideri, incorporales vero quasi possideri dicũtur.*

IN antecedentibus legibus vidimus cui detur hæreditatis petitio, nunc in hac lege proponunt compilatores quid veniat in petitione hæreditatis, & cum hac l. concordat tex. in l. licet minimam, in l. item videndum §. si quis, in l. si quo tempore in principio inf. hoc tit. nostro, in l. 1. §. 1. inf. hoc tit. nostro, in l. 1. §. 1. inf. si pars hæred. petat. & in l. quæsitum in princ. infr. de pecul.

Vnica est cõclusio ex tex. nostro, quòd
1 † scilicet in iudicio peritionis hæreditatis potest fieri cõdemnatio etiam de eo, quod peruenit ad reum post litem contestatam,
2 & ratio sit, quia † petitio hæreditatis ius vniuersale dicitur, quòd omnes res hæreditarias complectitur, quas reus possidere cœperit etiam post litem cõtestatam, prout quoquè euenit in d. l. 1. § 1. infr. si pars hæredit. petat. & in l. licet minimam infr.
3 eod. † qui enim agit petitione hæreditatis, ipsam hæreditatem vindicat hoc modo, si pateat hæreditatem suã esse, vt inquit Cuiac. hic in recit. at solẽnib. col. penul. quarè licet reus conueniens vnam tantùm rem possideat, & de ea re particulari cõtrouersia sit inter partes, actor tamẽ in eam rem particularem non concipit actionem, sed ità semper agit, si pateat hæreditatem suã esse, vndè is cum quo agitur condemnatur ad restituendum, quod possidebat tẽpore iudicij accepti, quoduè posteà possidere cœperit, nisi tamen id quod possidebat desierit possidere sine dolo malo d. l. item uidendum in prin. infr. eod. & l. qui autẽ §. si aũt infr. si quis ommiss. caus. test. Hæc a sũt
4 oĩa uera sint, & procedant, dũmodò † reus conuẽtus rẽ, pro qua cõuenitur, possideat pro hærede, uel pro possessore l. regulariter cum l. seq. infr. eod.

Oppo-

Opponitur primò contrà text. nostrum, de tex. in l. non potest supr. de iudic. vbi ad
5 litteram inquit tex. quod † non potest videri in iudicium venisse, id quod post iudicium acceptum accidit, ergò reus in hoc iudicio non poterit condemnari nisi de eo, quod possidebat tempore litis contestatæ, istudq; etiam suaderi videtur ex re-
6 gula, quę vult, quod † sententia debeat esse conformis libello l. vt fundus inf. comun. diuid. l. si. C. de fideicom. libert. sed si reus in casu nostro condem̄naretur de rebus, quæ cœpit possidere post litis contestationem, sententia non esset conformis libello, in quo res vnica tantùm tunc possessa petita fuit, non videtur ergo, quòd possit condem̄-
7 nari; Accedat vlterius, † quia sententia nō potest fieri de eo, super quo non est facta litis cōtestatio, vt notatur in l. edita C. de edend. q̃ sequeretur in casu legis nostrę, si reus conuentus cōdemnaretur de rebus, quæ cœpit possidere post litem contesta-
8 tam. Pro solut. † vt tollamus antinomiam istorum iurium dicamus, quòd tex. in d. l. non potest supr. de iudic. procedit in iudicijs singularibus, in quibus non venit id, quod post iudicium accidit, secus verò in iudicijs vniuersalibus, prout est iudicium petitionis hæreditatis, in quo versamur nos, prout etiam declarat gloss. hic, & dicunt DD. in d. l. edita C. de edend. & hæc est solutio communis, quæ adaptatur ad dictam l. non potest, & ad duas regulas superius in contrarium adductas, sententia namquè debet esse conformis libello, nec sententia dici potest de eo, super quo non est lis contestata in iudicijs scilicet particularibus, at in casu nostro petitionis hæ-
9 reditatis, † cùm sit iudicium vniuersale, in litis contestatione dicitur comprehensum etiam id, quod postea cępit reus possidere,
10 quia † actor in libello prætendit se declarari heredem, & ad se res hereditarias spectare, vt per Castr. hic n. 2. Vel alio modo poterimus nos respōdere ad d. l. nō potest, & sic conciliare hec iura cùm Cuiac. hic in recit. solemnib. col. pen. quòd scilicet text. in d. l. non potest intelligi debet de actione, quę formatur ex persona, & possessione
11 rei, † in eā enim non veniet res, quam postea possidere cœpit, sed noua interpellatione opus est, & ita pcedat tex. in d. l. non
12 potest, at † petitio hæreditatis, vel actio specialis in rē nō formatur ex persona rei, sed ex psona actoris, qui dicit simpliciter se esse hæredem, vel se esse dominum, nec spectat possessionē rei, aut eius personam,
13 actor † enim intētionem suam metitur nō ex psona rei, & ità ex eo, quod possidetur, sed ex iure sibi competenti, vt in d. l. 1. inf. si pars hæredit. petat. diximus nos supr. in Rub. huius tit. num. 51. iudex ergò in iudicando spectabit personam rei, & cum condemnabit prout possidet, etiam si tempore litis contestatæ nihil possederit.

Opponitur vlterius contrà tex. nostrum prætèr alios de tex. in superius citata l. qui autem §. si autem is inf. si quis omiss. caus.
14 testam. vbi I.C. vult, † quòd si quis sinè dolo desinat possidere rem hęreditariam, desinat etiam posse conueniri, subiungit posteà, quodnam tempus spectari debeat, an quis possideat necnè, & ait litis contestatę tempus spectari debere, reus ergò iste, qui cœpit possidere post litem contestatā, nō poterit condemnari vt in tex. nostr. Pro so-
15 lutione dicamus, † quòd tex. in d. l. qui autem §. si autem is infr. si quis omiss. caus. testam. loquitur, & procedit in casu contrario, in eo scilicet, qui antè litē contestatam possidebat, posteà verò sine dolo desijt possidere, cōsideratur enim an possideret tempore litis contestatæ, quod si non possideat, non debet posse conueniri, qui casus à nostro penitus diuersus est, in quo reus iste licet non possideret ab initio, possidet tamen tempore sententię ferendæ, &
16 sic † cùm casus sint diuersi, ab ea lege ad casum text. nostri non erit arguendum argum. text. in l. Papinianus supr. de minor.

Possidebat] pro hærede scilicet, vel pro possessore, & sic contrà eum dabatur petitio hæreditatis l. regulariter infr. eod.

17 Controuersia erat] quæ † controuersia teste Spiegel. nihil aliud est, quam certarum personarum de re propria contentio, & dicitur propriè antè litem contestatam l. sed & si lege §. si antè litem conte-

statam inf. hoc titulo nostro.

Cœperit possidere] idest post litem
18 contestatam, & antè sententiam. † possidere autem verbum à sedibus est deductum, vt placuit Vltramont. in suis comment. de verb. iur. in verbo possidere; Sed Varro ait Pos verbum vetus esse, cuius loco nũc nos dicimus Potens, & eius contrarium est verbum Impos, quare Possum dicitur quasi coniunctis verbis Pos, Sum, vndè Possidere dicitur, q; potest sedere, idest sedem atq; habitationem suam in aliquo
19 loco collocare, & hinc est, quòd † res corporales propriè dicuntur possideri l. 3. inf. de acquir. possess. iura verò, & cœtera incorporalia, quæ naturaliter teneri nõ possunt, non possidentur, sed quasi possideri dicuntur, vt inquiunt Vltram. de quibus suprà ibi in uerbo Possessio.

Restituet] idest condemnabitur ad restituendum.

Ad l. v. Vlpianus lib. xv. ad edictum.

Diuus Pius rescripsit, prohibendum possessorem hęreditatis, de qua controuersia erat antequàm lis inchoaretur, aliquid ex ea distrahere: nisi maluerit pro omni quantitate hęreditatis, vel rerum eius æstimatione satisdare. Causa autem cognita, & si non talis data sit satisdatio, sed sola cautio, etiam post litem cęptam, deminutionem se concessurum, Prætor edixit: nè in totum deminutio impedita, in aliquo etiam aliàs vtilitates impediat: vt puta si ad funus sit aliquid necessarium, nam funeris gratia deminutionem permittit. Itẽ si futurum est, vt nisi pecunia intrà diem soluatur, pignus distrahatur. Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit deminutio, sed & res tẽpore perituras permittere debet Prętor distrahere.

SVMMARIVM.

1 Possessor hæreditatis post motam controuersiam nihil ex ea distrahere potest, etiam antè litem contestatam.
Fallit vt num. 10. cum multis seq.
2 Lis pendere dicitur mota cõtrouersia etiam antè litem contestatam, & num. 8.
3 Mota controuersia res dicitur effici litigiosa, & num. 8.
4 Res litigiosa alienari non potest, quinimò pœna imposita sunt illam alienanti.
5 Differentia est inter litem, & controuersiã.
6 Lis quid sit, & num. 24.
7 Controuersia quid sit.
9 Qui promittit sub pœna non mouere controuersiam de aliqua re, ex sola interpellatione extrà iudicium facta incidit in pœnam.
10 Possessor hæreditatis si fideiussionem præstet de iudicatum soluendo, potest etiam mota controuersia res hæreditarias distrahere.
11 Satisdatio de iudicatum soluendo in petitione hæreditatis præstatur etiam antè litem contestatam.
12 Possessor hæreditatis etiam post litem contestatam cogi poterit idoneè cauere, si satisdatio iam præstita non fuerit idonea.
13 Cauere, & satisdare differunt, et quomodo.
14 Funeris impensa omne debitum præcedit, & qua.
15 Funeris impensa duplex est, & quæ.
16 Deminutio hæreditatis licita est, vt æs alienum soluatur.
17 Deminutio hæreditatis fieri potest propter alimenta familiæ.
18 Alimentorum causa fauorabilis dicitur.
Dicitur quoquè causa pia.
19 Alimenta denegans dicitur necare.
20 Deminutio hæreditatis permittitur, quandò res per moram deteriores sunt futuræ, & num. 46.
21 Res litigiosæ ex causa alienari possunt.
22 Quotiescumquè aliquid prohibitum est, intelligitur semper prohibitum nisi iusta causa subsistente.
23 Priuilegium immunitatis ab oneribus communibus,

manibus, intelligitur nisi subsit causa ne cessitatis.
25 *Lis vndè dicta sit.*
26 *Verbum distrahere quid importet.*
27 *Rei hæreditariæ alienatio permittitur data satisdatione, & causa cognita.*
28 *In pari causa potior est possessor.*
29 *Satisdare propriè quid sit.*
30 *Possessor hæreditatis in petitione hæreditatis si sit diues, & careat suspicione cauebit solum, aliàs satisdabit.*
31 *Verbum, causa, quid significet, cùm numer. sequent.*
32 *Causa à lite quomodo distinguatur.*
33 *Causa cognitio quid sit.*
34 *Cautionis appellatione quid significetur.*
35 *Magistratus maiores apud veteres Romanos Prætores vocabantur.*
36 *Prætores ideò dicti fuerunt, quòd cæteris omnibus præirent, & præponerentur.*
37 *Prætoria dicebantur loca illa, in quib. Maiores Magistratus habitare, & ius reddere solebant.*
38 *Prætoris origo vndè emanauerit, & nu. seq.*
39 *Prætor vrbanus quare ità dictus fuerit.*
40 *Dominio lege debet non diminuo.*
41 *Rei hæreditariæ alienatio permittitur funeris gratia.*
42 *Funeris sumptus arbitrari debent pro facultatibus, vel dignitatibus defuncti.*
43 *Funeris impensa quid contineat.*
44 *Funus quomodo differat ab exequijs.*
45 *Actio funeraria, quæ dicatur.*
46 *Familia quid significet.*
47 *Cibariorum appellatione quidnam veniat.*

VIsum est hucusq; cui detur petitio hæreditatis, & qd in ea veniat, nûc I.C. in hac l. tractat de priuilegijs petitionis hæreditatis, & an aliquid fieri possit in præiudicium ipsius, idest quod huic iudicio præsumptionem afferat, quę quidem est summè difficilis quæstio, vt inquit Cuiac. hic in recitat. solemnib. in princip. huius legis, & cùm hac lege in princip. concordat tex. in l. non solum inf. hoc tit. nostro, & in l. Alienationes inf. famil. ercisc.

Regula proponitur in tex. nostro cùm multis fallentijs, regula autem est quòd
1 † possessor hæreditatis post controuersiam de hæreditate moram aliquid ex ea demi nuere, vel distrahere non potest, etiam an-
2 tequàm lis contestata sit, † pendere nãquè hoc casu lis dicitur clement. fin. vt lit. pen-
3 deãt, & ratio est, quia † mota controuersia res dicitur effici litigiosa Auth. litigiosa C.
4 de litig. † Res autem litigiosa alienari non potest, vt in tot. tit. C. de litig. quinimò pœnæ alienanti rem litigiosam impositæ sũt, vt per Azo. in sua Sum. in Rub. C. eod. tit. de litig. num. 3. nil mirùm ergò si possessor hęreditatis mora controuersia non poterit ex hæreditate aliqd deminuere, vel distra-
5 here; Hic autem notandum est † differentiam in hac regula textus nostri fieri inter cõtrouersiam, & litem, dùm vult post motam controuersiam, etiã antequam lis inchoetur aliqd ex hæreditate deminui, vel
6 distrahi non posse, † lis enim est certamen, & concertatio, quę fit post cõtestationem, cõtrouersia verò est antè ipsum certamen, vt per Cuiac. vbi supr. ad hanc l. nostram
7 in princip. Vndè † controuersia dicitur certarum personarum dè re propria cõtentio antè litem cõtestatam, vt in l. sed & si lege §. si antè litem contestatã infr. hoc tit. nostro tradit. Spieg. in suo lexic. iuris in verb. controuersia, diximus nos in l. antecedenti
8 num. 17. hodiè † itaquè postquàm mota est controuersia, licet nondum lis contesta ta sit, rès dicitur litigiosa, vt in d. Auth. litigiosa C. de litig. itisquè mota controuersia pendere dicitur, vt in d. Clem. fin. vt lit. pend. & ideò alienatio inhibetur, quarè ex hoc desumitur argumentum ad quæstio-
9 nem de eo, † qui sub aliqua pœna promisit non mouere controuersiam, sola enim interpellatione extrà iudicium facta incidit in pœnam per textum nostrum, vt tradit Bart. in l. amplius inf. rem rat. hab. tradit Costa l. in suis aduersar. ad Pãdect. hic in princip. legis nostræ.

Patitur autem multas fallentias regula superius proposita, & primò fallit in eo ca-
10 su, † quãdo ille, qui possidet hæreditatem, satisdationem præstitisset iudicatum solui, idest de rebus hæreditarijs restiduendis si victus sit, vel earũ precio, vt in tex. nostro

ibi

ibi niſi maluerit pro omni quantita-
te hęreditatis, vel rerum eius ęſtima-
11 tione ſatiſdare, † & hęc ſatiſdatio ſtatim
mota controuerſia præſtatur antè litem
conteſtatam, vt probant multę leges in ti-
tulo infr. iudic. ſolu. tradit Cuiac. hic in re-
12 citat. ſolemn. ad l. noſtram in princ. † quæ
ſatiſdatio ſi non fuerit idonea, cogi pote-
rit poſſeſſor per Procõſulem, vt etiam poſt
litem conteſtatam idoneè caueat, vt in l.
ſi quo tempore inf. hoc tit. noſtro.

Fallit ſecundò propoſita regula tunc,
quando iudici cauſa cognita aliter uide-
retur, vt hic in text. in verſic. cauſa autem
cognita, licet enim ſatiſdatio de qua ſupr.
non ſit præſtita, ſed ſola cautio, Prætor ta-
men ex cauſa deminutionem, vel diſtra-
ctionem concedere poteſt, cùm ſola ſcili-
cet, & nuda cautione de iudicio ſiſti l. am-
plius infr. rem rat. hab. nuda nempè à da-
tione fideiuſſorum, vel pignorum, non à
13 ſolēnitate promiſsionis, † quia debet pro-
mittere per ſolemnem ſtipulationem, ſed
ſatiſdandum eſt cum fideiuſſoribus, vt per
Caſtr. hic num. 2.

Tertiò fallit quando deminutio ex hę-
14 reditate ſit facienda funeris gratia, † fune-
ris enim impenſa adeò priuilegiata eſt, ut
omne dębitum præcedat l. impenſa fune-
ris inf. de relig. & ſumpt. fun. quod puto e-
15 go intelligi debere † de impenſa funeris
neceſſaria, quę tendit ad remediũ, & ſola-
tiũ animę defuncti, nõ de impẽſa funeris
quæ fit ad viuorum, & amicorum conſo-
lationem, vt in c. animæ defunctorum, &
in c. qui diuina 13. q. 2. de qua duplici im-
penſa funeris tractat Abb. in ſuis quęſtio-
nib. q. 3. nu. 4.

16 Quartò fallit in eo caſu, † quando de-
minutio ex hæreditate facienda ſit ea ra-
tione, vt æs alienum ſoluatur, quod defun-
ctus habuit, ne res hæreditariæ fortè præ-
tioſiores pignoratæ diſtraherentur, quod
eſſet cùm magna læſione ipſius hæredita-
tis, vt in tex. noſtro, ibi Item ſi futurum
ſit, tradit I. C. in l. Ariſto §. fin. infr. de iur.
deliber.

Fallit quintò propoſita regula tũc quã-
17 do † deminutio hæreditatis ſit facienda
propter alimenta familiæ, vt in textu no-
ſtro ibi, Sed, & propter familiæ ciba-
ria, & in d. l. Ariſto §. fin. inf. de iur. delib.
18 cauſa enim alimentorum fauòrabilis ad-
modum dicitur, & pia l. mela & ibi gloſſ.
Bar. & alij inf. de alim. & cibar. legat. l. ſan
cimus C. de ſacroſ. Eccl. §. Aliud in Auth.
vt cùm de appell. cognoſc. cùm alijs mul-
tis iuribus, de quibus per Surd. in tractat.
de aliment. titul. 8. in priuil. 1. in princip.
& quod fauorabilis dicatur tradit Bald.
in conſ. 50. libro quinto quod autem cau-
ſa pia ſit tradit Afflict. deciſ. 251. nu. 8. Vn-
19 dè † qui alimenta denegat dicitur necare
l. necare inf. deliber. agnoſc.

20 Sextò fallit regula de qua ſuperius, † ni-
ſi res, quæ ex hæreditate ſunt minuendæ
mora perituræ ſint, vel deteriores per mo-
ram ſint euaſuræ, vt in text. noſtro, ibi, &
res tempore perituras, quod etiam vo-
luit tex. in l. non ſolum inf. eod. tit. noſtro,
& hoc ea ratione, quia niſi res iſtæ aliena-
rentur, magnum præiudicium hæreditati
fieret, vt inquit Caſtr. hic num. 3.

Ex hac ergò regula textus noſtri cùm
ſuis limitationibus iam propoſitis colligi-
21 tur, quòd † res litigioſæ poſſunt alienari
ex cauſa, interueniente ſcilicet auctoritate
Prætoris, vel iudicis, & data cautione de
reſtituendo, id quod ſupererit, vt per Ang.
hic, quod quidem dicitur eſſe magna li-
mitatio ad titulum de litigioſis, vt inquit
Caſtr. hic num 4. Colligitur etiam, quod
22 quotieſcunquè aliquid etiam præcisè ſit
prohibitum, intelligitur tamen prohibi-
tum, niſi iuſta cauſa ſubſit in contrarium,
vt per Caſtr. hic nu. 5. ex quo inferebat po-
23 ſtea, † quod licet aliquis habeat priuile-
gium immunitatis, vt nullo modo ad onè
ra communis grauari poſsit, ſubſiſtente
tamen cauſa neceſsitatis, vt putà propter
bellum ſuperueniens poterit grauari, ita
Cin. hic à Caſtr. allegatus, de quo etiam
verecundus eſt Bald. in l. clari iuris C. de fi-
deicom.

24 Lis inchoaretur] lis † dicitur eſſe iur-
gium de re quapiam inter aliquos apud
iudi-

iudicem institutum; Spiegel. tamen vult, quod lis sit grauior, quædam cõtrouersia, & dissensio, quam iurgium, qđ inter bene-
25 uolos quoquè contingit, † lisquè dicta est à limite idest termino, nã primæ inter homines controuersiæ, de limitibus, & amplificãdis rerũ dominijs cęperũt, Vndè illud, Limes erat positus, litem vt decerneret agri. Alciat. in l. causas C. de trãsact. inquit lis est actio siue in rem, siue in personam, quæ in iudicium deducta est, & ꝓpriè post litem contestatam.

Aliquid ex ea distrahere,] & multo magis post litem contestatam, vt in l. Alienationes inf. famil. ercisc. licet autem
26 † verbum distrahere propriè significet diuersè trahere, diuidere, vnde Terent. ait, Quòd si eò meæ fortunæ redeũt abste vt distrahar, & Virgil. lib. 6. Aeneid. inquit Turbatis distractus equis, per trãslationem tamen ponitur pro eo, quod est vendere, aut auctioni exponere, atquè hoc sensu manifestè vsurpat Vlpian. I. C. in l. cum hi §. si vni sup. de trãsact. & ità sumitur in tit. inf. & C. de distract. pign. & in tit. C. de patr. qui fil. distrax.

Vel rerum eius æstimatione] In Pandectis florentinis legitur Vel rerum eius restitutione, quæ melior est lectura, vt tradit Cuiac. hic in recitãt. solemnib. in princip.

27 Satisdare,] & sic † rei hęreditarię alięnatio permittitur data satisdatione, & causa cognita, quod etiam voluit Paul. I. C. lib. 1. sentent. tit. 11. §. 1. dum dixit, Quotiens hæreditas petitur satisdatio iure desideratur, & si satisdatio non detur, in petitorem hæreditas trasfertur, si petitor satisdare noluerit, penes possessorem possessio remenet, ad quod deseruit tex. in l. de bonis §. fin. inf. de Carbon. edict. & in l. ex li-
28 bero in fin. inf. de quæst. † in pari enim causa potior est possessor l. in pari, & l. cùm
29 par. inf. de reg. iur. † satisdare aũt ꝓpriè est cùm fideiussore l. 1. sup. qui satisd. cog. diximus nos in l. 2. §. omnes num. 29. & in l. de eo num. 11. sup. de iudic.

Causa autem cognita] hoc est examinata iustitia causę, in qua causæ cogni
30 tione vertitur, † quòd si possessor est persona diues, & careat suspicione, caueat cautione, aliàs satisdabit l. fideiussor in fin. C.
31 qui satisd. cog. Istud. autem † verbum causa quandoquè litem significat, vt ꝑ Paul. lib. 1. sentẽt. tit. 10. quod & Iustinianus in §. si quis agens Institut. de act. expressit, sic sumitur in l. 1. C. de reb. credit. causam tamen à lite separasse, distinxissequè videtur Imperat. in l. causas C. de trãsact. & Sum. Põtif. in c. forus extr. de verb. signific. qua-
32 rè Prateius putauit † causam à lite ità distingui, vt causa sit generale verbum, quo & capitalia, & ciuilia iudicia contineãtur, litis verò appellatio ciuiles tantum actiones comprehendat, ad quod deseruit tex. in l. litis inf. de verb. significat. Spiegel. verò inquit, quòd causa est verbum generale, quod comprehendit principium negotij, cùm ꝓponitur, & cùm quis deliberat, & proponit, vt litiget, cùm verò discutitur, iudiciũ est, at vbi iudicatum fuerit dicitur facta iustitia, quia tùm ius vnicuiquè est
33 redditum, † Causæ autem cognitio est de liberatio iudicis ex assertione, & contradictione aduersarij solemniter facta ad inuestigandam causarum veritatem, in quibus ius est dispositum, l. 3. sup. de in integr. restit. iunct. l. si ex plagis §. In cliuo inf. ad l. Aquil.

Sed sola cautio] quia scilicet promiserit sub hypotheca rerum suarum de reb.
34 restituendis, † cautionis autem appellatione nuda repromissio significatur l. maritus inf. sol. matrim. l. Titia §. idem respõdit inf. de verb. oblig. & l. 3. C. de verb. significat. & hæc cautio, quæ Græcis ἀσφάλεια dicitur, vulgo securitas appellatur, quo sensu accipitur apud I. C. in l. plus cautionis inf. de regur. iur.

Prætor edixit] in certis casibus scilicet, qui infrà ponuntur, apud veteres autẽ
35 Romanos † Magistratus maiores Prætores

res vocabantur, appellatione illis ex eo in-
36 dita, † quod cœteris omnibus præirent, & præponerentur, permissa scilicet eis tam rei Bellicæ administratione, quam legum
37 præscriptione, vndè, & † ea loca in quibus publicè Magistratus solebant, vel ius reddere, vel habitare Prætoria appellabantur, quarè Prætor vt inquit Varro dictus
38 est, qui præiret iure, & exercitu. † Prætoris autem origo indè emanauit, quia Cõsules cum bellis finitimis auocarentur, nequè esset, qui in ciuitate ius reddere posset, fa-
39 ctum est vt Prætor quoq; crearetur, † qui Vrbanus appellatus fuit, quod in vrbe ius diceret. Liui⁹ verò lib. 6. & 7. scribit, quòd anno ab vrbe condito CCCLXXXVIII. concessum fuit à Plebe nobilitati de Pretore vno, qui ius in vrbe diceret ex patritijs creando, subditque eum sibi honorem patritios quæsiuisse pro concesso Plebi altero consulatu, quod etiam sensit Fenestella cap. 34. de Roman. magistrat. Alij postea Prætores plures creati fuere, de quibus lat. per Vltram. in descript. Magistr. Roman. in verb. Prætor post comment. de verb. iur.

Ne in totũ deminutio impedita] nedum in totum deminutio impedita ex-
40 plicat Io. Cruceus hic, † nec legendum est diminutio, vt in multis locis in libris Digestorum legitur, sed deminutio, vt notat Ludouic. Bolognin. conciuis meus relatus à Nebrissens. in verb. deminuo.

41 Si ad funus] funeris † gratia deminutionem fieri permittit Prætor l. ait Prętor §. ergò inf. de iure deliber. & l. penult. inf.
42 de relig. & sumpt. funer. † funeris autem sumptus pro facultatibus, vel dignitatib. defuncti arbitrantur l. siquis sepulchrum
43 inf. de relig. & sumpt. fun. Vndè pro † funeris impensa accipimus, quidquid corporis causa erogatum est, veluti vnguentum & precium loci, in quo defunctus humatus est, & in summa quidquid corporis causa antequam sepeliatur consumptum est l. funeris infr. cod. tit. de relig. & sumptib. fu-
44 ner. † funus autem generalius est, quàm exequiæ, vt voluit Spiegel. nam funus est tota pompa tàm domestica, quàm extrinseca, exequiæ verò considerantur tantùm
45 in via, dùm funus procedit, † hinc rectè dicitur actio funeraria, quoniam totam sepulturæ rationem complectitur, non exequiarum dumtaxat.

46 Familiæ] familia † olim dicebatur prima hominum societas, in qua nulli alij erant, quàm uir, & uxor, atquè ex his procreati liberi, ut per Connan. lib. 1. comm. iur. ciuil. c. 4. num. 4. hodiè autem familia de seruis dicitur propriè teste Balduin. in tit. Institut. de l. fusi. Canin. toll.

47 Cibaria] cibariorum † appellatione non comprehensa habitatione, nequè calcearijs, aut uestiarijs, solum cibum contineri uult Vlpian. l. C. in l. diarijs infr. de alim. & cibar. legat. quam explicationem quoq; admittit Varro lib. 4. de ling. latin.

Distrahere] ut putà frumentum, uinum, oleum, & similia, ut in argumento probat tex. in l. lex quæ iunct. l. ultim. §. fi. C. de administr. tut.

Ad §. Diuus Hadrianus.

Diuus Hadrianus Trebio Sergiano rescripsit, vt Aelius Asiaticus satisdaret de hæreditate, quæ ab eo petitur: & sic falsum dicat; hoc ideò, quia sustinetur hæreditatis petitionis iudicium, donec falsi causa agatur: Quorum iudiciorum, quę in hæreditatis petitione sunt; ea auctoritas est, vt nihil in præiudicium eius iudicij fieri debeat.

SVMMARIVM.

1 *Possessor hæreditatis pendente iudicio de falso, satisdare debet.*

2 *Possessor hæreditatis ità satisdare debet pendente iudicio super preparatorio petitionis hæreditatis, sicut quando pendet in ipsa petitione hæreditatis.*

Prae

3 *Præiudicium nullum inferri debet iudicio vniuersali.*
4 *Pendente iudicio petitionis hæreditatis, nihil in præiudicium eius fieri debet.*
5 *Petitionis hęreditatis iudicio pendente, non potest agi familia ercisc unda.*
6 *Iudicium petitionis hæreditatis dùm exercetur, non potest agi de tabulis exhibendis.*
7 *Lis iam cœpta cum defuncto non potest peragi ab eo, qui agit petitione hæreditatis.*
8 *Minor causa non debet præiudicium maiori afferre, & num. 10.*
9 *Pendente accusatione de falso supersederi debet in causa petitionis hæreditatis.*
10 *Maior est causa criminalis de falso, quàm ciuilis de petitione hæreditatis.*
11 *Causa criminalis præfertur ciuili, et quando:*
12 *Conciliatur lex nostra cùm l. si testamētum falsum infr. eod. & cùm l. penult. inf. ad l. Cornel. de fals.*
13 *Rescripta Principum quæ dicantur.*
14 *Iureconsulti etiam rescribere dicuntur, dùm respondent.*
15 *Testamentum falsum quando dicatur.*
16 *Falsum vt quid dici possit tria requiruntur, & quæ.*
17 *Falsarij pœna olim, & hodiè quæ sit.*

PRimum priuilegium petitionis hæreditatis propositum fuit in principio l. nostræ ex rescripto Diui Pij, quod scilicet possessor hæreditatis post motam controuersiam nihil ex hæreditate deminuere, aut distrahere possit, nunc aliud priuilegium eiusdē petitionis hæreditatis proponitur ex rescripto Diui Hadriani, quòd
1 scilicet † pendente iudicio seu causa falsi, possessor hæreditatis satisdare debeat, sicut satisdat pendente iudicio petitionis hæreditatis, & ratio est quia licet iudiciū non pendeat hoc casu super hæreditate, pendet tamen super causa præparatoria ad eam, vt per Castr. hic in princip. vndè
2 regula datur, quòd † vbicumquè pendet iudicium super aliquo præparatorio ad petitionem hæreditatis, vt puta super querela inofficiosi, super bonorum possessione contrà tabulas, vel super iure dicendi nullum, perindè satisdandum sit, ac si penderet iudicium super ipsa petitione hæredi-
3 tatis, & hoc † ne aliquod præiudicium fiat huic iudicio vniuersali, vt in l. si quis libertatem inf. eod. Priuilegium namquè hu-
4 ius iudicij alterum est, † vt eo pendente nihil in præiudicium ipsius fieri debeat, vt hic in fin. huius §. cum quo concordat tex. in l. non distinguemus §. si is faciat supr. de recept. arbitr. concordat etiam tex. in l. fin. in princip. C. hoc tit. nostro, & in l. vt
5 debitum C. de hæredit. act. & ideo † si controuersia sit de hæreditate, & iam intentata fuerit petitio hæreditatis, non poterit agi familię ercisc. & hoc ne ex vno iudicio alteri prȩiudicium inferatur l. 1. inf. famil.
6 ercisc. non etiam poterit agi interdicto de tabulis exhibendis l. fin. infr. de tabul. exhib. eadem ratione, ne ex hoc iudicio alij
7 præiudicium inferatur, quinimò † nec etiā lis iam cùm defuncto cœpta ab eo, qui de eius hæreditate est acturus peragi potest d. l. non distinguemus §. si is faciat supr. de recept. arbitr. sed hæc omnia ex mēte Cuiac. hic in recitat. solemn. ad hunc tex. col. 4. differri debent, quoad actum fuerit de
8 hæreditate, vt de re maiori, minus † enim iudicium non debet præiudicium maiori afferre, aut maius antecuertere l. per minorem supr. de iudic.

9 Ex hoc itaquè text. colligamus, † quòd pendente quæstione de falso testamento supersederi debet in causa petitionis hæreditatis, etiam si criminale hoc iudiciū de falso præiudicet ciuili petitionis hæreditatis, vt in themate text. nostri, fingamus enim quòd possessor hæreditatis conueniatur petitione hæreditatis ex testamento, obijciat autem testamentum falsum esse, proposita hac falsi accusatione debet offerre cautionem de non minuenda hæreditate, atquè ita differtur petitio hæreditatis, donec finita sit accusatio falsi, & ra-
10 tio est, quia † maior est causa criminalis de falso, quam ciuilis de petitione hæreditatis, vt per Cuiac. hic in recitat. solemn. col. penult. maiorique causæ per minorem nō debet præiudicari d. l. per minorem supr.

de

11 de iudic. sic aliàs videmus, † quod causa criminalis ciuili præteritur l. si de vi sup. de iudic. l. final. C. de ordin. iudic. & l. adulterij C. ad l. Iul. de adult. quod verum est, si causa petitorij agatur in iudicio nostro, secus vero si causa possessorij, quia illa prius est intentãda l. fin. C. de edict. Diu. Hadr. tollend.

Opponitur autem cõtrà hunc tex. ex l. penult. C. ad l. Cornel. de fals. vbi Imperator vult, quod ciuili quæstione per sententiam determinata, deinde de falso criminaliter agatur, vt si petatur legatum ex testamento, quod falsum dicitur vult, enim Imperator prius discutiendam esse litem de legato, deinde instituendam esse accusationem falsi testamenti, quod etiam videtur velle tex. in l. si testamentum falsum inf. hoc tit. nostro, ergò idem etiam disponi debet in tex. nostro; Pro solutione dicimus lõges in contrarium adductas tunc
12 procedere, † quando crimen falsi obijceretur morandæ, & trahendæ solutionis causa, tunc enim verum est, quod prius lis de legato sit discutienda l. 2. C. eod. tit. ad l. Cornel. de fals. ità soluit Cuiac. vbi supra col. fin.

Trebio Sergiano] aliàs legitur Trebatio Seruiano, aliàs etiam Iulio Seiano, vel Sergiano, vt per Io. Cruceum hic.

13 Rescripsit.] rescripta † enim Principum dicuntur, quibus illi vel ad preces præsentium, vel ad Magistratuum absentium consultationes, quid sibi de ea re fieri placeret, respondebant, vt in l. sed addes §. cùm quidam inf. locat. l. diui fratres inf. de iur. patron. §. sed & quod Principi Instit. de
14 iur. naturali gent. & ciuil. † sic etiam iureconsulti rescribere dicebantur cùm sua responsa consulentibus scripta reddebant vt in l. ex contractu inf. de re iudicat.

Aelius Asiaticus] aliàs legitur Hadriaticus vt per Cruceum hic.

De hæreditate] non alienanda scilicet, vel de ea restituenda.

Falsum dicat] testamentũ videlicet
15 † falsum autem dicitur testamentum, quod verè non est factum vt per Spiegel. vel si sit factum non eo modo, & sic in quo veri-
16 tas est immutata, † ad hoc enim, vt falsum quid dicatur tria riquiruntur, mutatio nẽpe veritatis, dolus, & quod alteri noceatur quorum vnum si deficiat falsitas non est punibilis iuxta notata per Hostiens. Azo. & Tancred. in suis summis, & per tex. in l. quid sit falsum inf. ad l. Cornel. de fals. in l. nec exemplum, & in l. damus C. eod. tit.
17 † falsarij autem falsum committentis pœna hodie est deportatio, & omnium bonorum publicatio vt per Spiegel. in verb. falsi, olim autem variæ pœnæ erant, Lampridius enim ait falsario incisos digitorum neruos Alexãdri decreto fuisse, Suetonius Claudij præcisas manus scribit, Idẽ refert Galbam numulario non ex fide pecunias versanti manus amputasse, mensæque ipsius affixisse, Iustinian. noster in §. coges in Auth. de mand. Princip. exactori non ex legis præscripto apocham conficienti manus abscindendæ ius dari Præsidibus Prouinciarum voluit, de quibus pœnis vid. Cuiac. lib. 7. obseruat. c. 13.

Quorum iudiciorum] id est cuius iudicij petitionis hæreditatis scilicet, ideò autem in plurali dicit, quia nõ solum vult intelligi de iudicio petitionis hæreditatis, sed etiam de præparatorijs, vt suprà, Aliàs nempè in pandectis Florẽtinis legitur, eorum iudiciorum.

Eius iudicij] quod mouetur, vel moueri speratur l. sed & si lege §. item inf. hoc tit. nostro, & l. fin. C. eod.

Ad l. vi. Vlpianus libro lxxv. ad edictum.

Si testamentum falsum esse dicatur, & ex eo legatum petatur: vel præstandum est oblata cautione, vel quærendum, an debeatur: Et si testamentum falsum esse dicatur: ei tamen, qui falsi accusat, si suscepta cognitio est, non est dandum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Actio legati non debet differri propter accusationem falsi factam de testamento, sed cum cautione legatum est praestandum.*

2 *Res inter alios gesta alijs obesse non debet.*

3 *Occasio non debet dari morandae, & trahenda solutionis legatorum.*

4 *Cautio praestanda à legatario, dum petit legatum ex testamento iam de falso accusato similis est illi, quae praestatur propter falcidiam.*

5 *Legatarius accusans testamentum de falso, & postea legatum ex eo petens, non debet audiri, & num. 16.*

6 *Contraria insimul stare non possunt.*

7 *Contraria dicens non est audiendus.*

8 *Non debet quis sentire commodum ex eo, quod impugnauit, & num. 15.*

9 *Testamentum iniustum dicens, & ex eo legatum petens audiri debet.*

10 *Testamentum iniustum dicens, non impugnat iudicium defuncti, sed de iure dicitur disputare.*

11 *Tutor nomine pupilli, vel aduocatus nomine fisci testamentum de falso accusans, potest nihilominus ex eo legatum sibi factum petere.*

12 *Pater nomine filij accusans testamentum de falso, non debet excludi à legato sibi facto.*

13 *Legatarius non excluditur à legato, dum testamentum de falso accusat nomine eius, cui ipse haeres extitit.*

14 *Accusans testamentum de falso, & postea haeres existens legatario, vel haeredi illius testamenti, quod accusauit, non per hoc repelli debet ab haereditate.*

15 *Legatarius accusans de falso codicillos post testamentum factos, non amittit legatum sibi in testamento factum.*

17 *Legatarius testamentum de falso accusans, si sit minor, per principem restituitur in integrum, nec amittit legatum sibi factum.*

18 *Filius legatarius accusans testamentum de falso patre inuito, non praeiudicat ipsi patri.*

19 *Accusans testamentum de falso, si desistat ab accusatione non amittit sibi relictum in ipso testamento.*

20 *Accusans testamentum de falso, si absit, & contrà se pronuncietur, non amittit relictum sibi in eo testamento.*

21 *Absens praesumitur victus potius ex contumacia, quàm ex merito causae.*

22 *Legatarius rogatus legatum alteri restituere licet accuset testamentum de falso, non per hoc amittit, quod sibi in eo testamento relictum est.*

23 *Accusans testamentum de falso, non amittit id, quod aliundè à testatore, quàm ex ipso testamento habuit.*

24 *Agens contrà haeredem, quia dolosè non permiserit testatorem voluntatem mouere, non amittit sibi relictum in eo testamento.*

25 *Legatarius qui dicat vnum ex pluribus haeredibus scriptis falsò adscriptum esse, non amittit quod sibi legatum est ab alijs cohaeredibus.*

26 *Haeres non potest negare legatum legatarijs sub praetextu, quod testamentum de falso fuerit accusatum.*

27 *Cautionis appellatione venit nuda promissio.*

28 *Falsi crimen quod dicatur.*

29 *De falso potest agi ciuiliter, & criminaliter.*

30 *Verbum, cognitio, quid significet.*

Dictum est superius in §. penultimo l. antecedentis, quòd si haereditatis possessor petitione hereditatis conuentus ab eo, qui ex testamento se haeredem dicat, obijciat testamentum falsum esse, differtur petitio haereditatis, donec finita sit accusatio falsi, modò quaeritur, quid si pendente iudicio falsi legatum ex testamento petatur, an sit praestandum.

Duo sunt dicta text. nostri, primum est,
1 quod † si legatum petatur ex testamento

quod falsum dicatur, non differtur actio legatorum, sed statim quæritur an legatum debeatur, idest an testamento scriptum sit, vt explicat Cuiac. hic in recitat. solemnib. columna nona, & si testamento ascriptum sit, tunc illud præstandum est præstita cautione de legato restituendo, si appareat testamentum falsum esse, cùm quo concordat text. in l. si in fraudem, & in l. fin. C. de legat. & text. in l. penult. C. ad l. Cornel. de fals. ratio est, quia hoc iudicium falsi pendet inter hæredem, & possessorem, legati autem præstatio fit inter
2 hæredem, & legatarium, vnde † cùm res sit inter alios gesta obesse non debet alteri iudicio l. 1. & tot. titul. C. res int. alios act. hocquè fit ne legatarij damnum sentiant,
3 & † nè detur occasio morandæ, & trahendæ solutionis ipsorum legatorum iux. tex. in l. 2. C. ad l. Cornel. de fals. ideò autem cautio hæc interponitur, adhoc vt hæredi consultum sit in casu, quo testamentum falsum pronuncietur, & hac cautione oblata non potest hæres legatum negare sub hoc prætextu, quod testamentum tamquam falsum sit accusatum, vt in l. si ha-
4 res infr. si cui plusquàm per l. falcid. † similisque est cautio hæc illi, qua legatarius satisdat hæredi, vt si falcidia locum habeat, tunc hæredi restituet id, quod amplius recepit, quàm ratio legis falcidiæ patiatur, vt per Simon. Schard. in suo lexic. iur. in verb. Cautio qua legatarius.

Alterum dictum textus nostri est, quod
5 ille † qui falsum dixit testamentum, in quo sibi legatum factum est, si id legatum petat, non debet audiri, cùm quo concordat tex. in l. qui falsas C. ad l. Cornel. de fals. in l. 2. in princip. in l. post legatum §. 1. & in §. ei qui tutor inf. de his, quæ vt indign. in l. sed sub conditione §. ei qui infr. de bonor. possess. contr. tab. ratio est, quia eodem instanti duo contraria dicit, vt per gloss. fin. hic, dùm enim accusat testamentum de falso, illud oppugnat, dùm
6 petit legatum, illud approbat, † quæ duo insimul stare nequeunt l. vbi pu-
7 gnantia infr. de regul. iur. vndè † non debet audiri accusans testamentum, & ex eo legatum petens argument. l. primę in fin. Cod. de iur. & hoc verum sit etiam si offeret cautionem de restituendo legato in casu, quo testamentum falsum pronunciaretur, siuè enim obtinuerit in actione falsi, siuè non, semper debet amittere legatum, vt per Cuiacium vbi suprà
8 in dicta columna nona, † fructum enim quis ex eo consequi non debet, quod impugnauit capit. ex eo de regul. iur. libro sexto, l. alia est causa, Cod. de his quib. vt indign.

Huius autem secundi dicti variæ sunt exceptiones, prima est, vt non procedat
9 tunc, † quandò iste iniustum tantùm dixerit testamentum, non autem falsum, vel inofficiosum, vt in l. post legatum §. primo, & in l. si testamentum inf. de his,
10 quæ vt indign. ratio est, † quia isto casu non accusat, aut impugnat iudicium defuncti, sed de iure disputat, vt inquit texr. in d. l. post legatum §. 1. infr. de his quę vt indign.

Secunda sit exceptio, vt non procedat quando testamentum falsum diceret quis
11 non suo, sed alieno nomine, vt putà tutor nomine pupilli, vel aduocatus nomine fisci, vt in l. aduersus §. tutoribus supr. de inofficioso testamento, §. sed si è contratio Institut. eodem titulo de inofficioso testamento, l. post legatum, §. aduocatum, & l. tutorem infr. de his, quæ vt indign. non enim his casibus debet quis ex-
12 cludi à legato petendo, sicut † nec etiam pater excluditur, qui nomine filij accuset testamentum tamquam falsum l. filius §. primo, & §. finali supr. de inofficioso te-
13 stament. sicut † nec etiam excluditur legatarius ille, qui accusat testamentum de falso nomine eius, cui ipse legatarius hæres extitit, vt in dicta l. filius §. multo magis supr. de inofficioso testamento, & ideò
14 si quis † etiam nomine proprio accusaret testamentum de falso, & postea hæres existat legatario, vel hæredi illius testamenti, non debet repelli ab hæreditate, vt in

in l. post legatum §. qui accusauit, & in l. qui Titij testamentum infr. de his quæ vt indign.

15 Tertia exceptio est, † nisi iste legatarius codicillos post testamentum factos de falso accusasset, non ipsum principale testamentum, vt in l. post legatum §. qui principale in fine, & in l. hęredi inf. de his, quæ vt indign. cùm declaratione tamen, quod legatum habuerit ex testamento, non ex ipsis codicillis, quos ipse de falso accusat, vt in d. l. hæredi, tunc enim viget ratio, de qua suprà nu. 6. est dictum; commodum namque non debet reportare ex eo, quod impugnauit d. c. ex eo de regul. iur. lib. 6.

Quarta exceptio est, nisi legatarius sit
16 in ætate minori, quia † licet de iure communi amittat legatum sibi factum in testamento, quod falsum dicat l. 2. C. de his
17 quib. vt indign. † iure tamen speciali per Principem in integrum restituitur, nec amittit quod sibi legatum est in eo testamento l. post legatum §. ætati, & l. tutorem in fin. infr. de his, quæ vt indign.

18 Quinta est exceptio, † quando filius legatarius inuito patre testamentum de falso accusauit, nam tunc patri non debet fieri præiudicium in petendo legato d. l. post legatum §. si filiusfamilias infr. de his, quę vt indign.

19 Sexta exceptio sit in eo casu, † quando ille qui accusauit testamentum tamquam falsum, desisteret ab accusatione, nec eam vsquè ad finem persecutus fuerit, vt in l. Papinianus §. meminisse supr. de inoffic. testament. l. alia causa C. de his quib. vt indign.

Septima limitatio ad illud secundum dictum tex. nostri est, vt non procedat in
20 eo casu, † quando absente ipso accusatore contrà ipsum pronunciatum fuerit, vt in d. l. Papinianus §. meminisse supr. de inof-
21 fic. testament. † potius enim ex sua contumacia, quàm ex merito causæ victus præsumitur, vt supra dictum fuit in d. §. meminisse num. 11.

Octaua fallentia propositi dicti est, vt
22 illo casu locum non habeat, † quando iste qui accusat testamentum grauatus fuerit legatum sibi factum alteri restituere, quia tunc nè præiudicium fiat fideicommisso legatarius non amittit legatum, vt in d. l. Papinianus §. meminisse, & ibi diximus nos numerò 15. supr. de inofficiof. testament. probat text. in l. legatarius infr. de excusat.

Nona accedit exceptio, vt istud dictũ text. nostri procedat tantùm in legato, vel alio, quod habeat quis ex illo testamento, vel illius testamenti occasione, quod fal-
23 sum dicit, secus verò † in eo, quod habeat ex donatione, vel alia causa sibi extrà testamentum proueniente l. etiam si querela supr. de inoffic. testament. & d. l. post legatum §. penultimo infr. de his, quæ vt indign.

Decima est limitatio, vt non procedat in eo casu quando legatarius non falsum
24 dixerit testamentum, † sed contrà hæredẽ egerit, eò quia dolo ipsius factum sit, quominus testator voluntatem mutaret, vt in l. Lucius Titius §. sempronia infr. de leg. 2.

Vltima tandem exceptio est, vt non procedat in eo, qui penitus non dixit falsum testamentum, sed solùm dixit vnum ex pluribus hęredibus testamento per falsum ascriptum esse, & ita hoc modo accu-
25 sauerit, † tunc enim non debet perdere, quod sibi in eo testamento ab alijs cohæredibus legatum est l. 4. infr. de his, quæ vt indign. & hæc sufficiant pro declaratione secundi dicti tex. nostri.

Si testamentum] ex quo scilicet hęreditas petitur.

Petatur] ab alio nempè legatario.

Oblata cautione] videlicet à legata-
26 rijs de legato restituendo, si apparebit testamentum falsum esse, † quibus legatarijs ea de causa hęres legatum negare non potest sub prætextu quæstionis sibi motæ de falso, ad quod deseruit text. in l. si hæres partem int. si cui plus quã per l. falc. sed eis legatum præstare tenetur, oblata tamen ab ipsis cautione, idest nuda promissione

27 facta de eo restituendo in casu falsi † cautionis enim appellatione de nuda promissione intelligendum dixit Imperator in l. sancimus C. de verb. signif.

Falsum esse] alias leguut alij falsum non esse, vt per Dionys. Gothofr. hic in notis, & hoc vt excludatur iste qui falsum dixit testamentum etiam in eo casu, quando non obtinuerit in accusatione, & sic in casu dubio.

Et si testamentum] nunc incipit secundum dictum tex. nostri.

28 Qui falsi] falsi † crimen dicitur propriè, quod vtilitatis priuatæ causa factum
29 est, de quo † ciuiliter, & criminaliter agi potest Connan. lib. 5. comment. iur. ciuil. cap. 7. num. 4.

30 Si suscepta cognitio est] istud † verbum cognitio diuersas significationes habet, passim sumitur pro negotij examine, discussione, & quæstione l. cognitio supr. de offic. eius l. 1. supr de offic. assess. quia tamen generale est verbum istud, plerumquè ad ea iudicia refertur, quæ extrà ordinem habentur, vt per Connan. libro 9. comment. iur. ciuil. capitulo decimo sexto, num. 4.

Ad l. vij. Vlpianus libro xv. ad edictum.

Si quis libertatem ex testamento sibi competisse dicat, non debebit iudex de libertate sententiam dicere, ne præiudicium de testamento cognituro faciat, & ità Senatus censuit. Sed & Diuus Traianus rescripsit, differēdum de libertate iudicium, donec de inofficioso iudicium, aut inducatur, aut finem accipiat. Ità demum autem sustinentur liberalia iudicia, si iam de inofficioso iudicium contestatum est, cæterum si non contestetur, non expectantur liberalia iudicia: & ità diuus Pius rescripsit. Nā cùm quidam Licinianus de statu suo quæstionem patiebatur, & ne maturius pronunciaretur de conditione sua, nolebat ad liberale iudicium ire, dicens suscepturum se de inofficioso testamento iudicium, & petiturum hæreditatem, quia & libertatem, & hæreditatem ex testamento sibi defendebat: Diuus Pius ait, si quidem possessor esset hæreditatis Licinianus, facilius audiendum: quoniam esset hæreditatis nomine iudicium suscepturus: & erat erat in arbitrio eius, qui se dominum esse dicit, agere de inofficioso testamento iudicio. Nunc verò sub obtentu iudicij de inofficioso testamento ab ipso Liciniano non suscepti per quinquennium, non debere moram fieri seruituti. Planè summamatim æstimandum iudici concessit, si bona fide imploretur iudiciū de inofficioso testamento: & si id ipse deprehenderit: præstituendum ei modicum tempus, intrà quod si nō fuerit contestatum, iubeat iudicem libertatis partibus suis fungi. Quoties autem quis patitur controuersiam libertatis, & hæreditatis, sed se nō ex testamento liberum dicit: sed aliàs vel à viuo testatore manumissum: non debere impediri liberalem causam, licet iudicium de inofficioso testamento moueri speretur, diuus Pius rescripsit. Adiecit planè in rescripto, dummodò prædicatur iudici liberalis causæ, ne vllum adminiculum libertatis ex testamento admittat.

SVMMARIVM.

1 Lex nostra difficilis dicitur.
2 Lex ista tres casus differentes proponit.
3 Causa inofficiosi testamenti pendente, sustineri debet causa libertatis, & quando.
4 Querela inofficiosi testamenti intra quinquennium intentari debet.
5 Tertia persona in iudicium transuersa potest incurrere, & impetrare, vt differatur iudicium.
6 Tertia persona in iudicio potest impedire executionem.
7 Seruo hæreditatem possidente, differtur quæstio libertatis, nisi prius agatur de testamento, & libertate.
8 Possessor hæreditatis non potest agere de inofficioso per viam actionis, sed tantum per viam exceptionis.
9 Proponens exceptionem calumniosè in iudicio, non debet audiri.
10 In summaria cognitione dilatio ad agendam datur.
11 In vniuersalibus iudicijs motis, vel statim mouendis, particularia differuntur, ne illis præiudicetur.
12 Iudicium de feudo dum pendet, silere debet rerum particularium lites.
13 Iudicia duo si inuicem sint præiudicialia, tunc particulare differtur.
14 Testis inductus super vno articulo, non debet interrogari super alio.
15 Transactione facta in vna causa, tunc illa non potest amplius in iudicium deduci.
16 Testamenti definitio affertur ex Modestino, & ex Vlpiano.
17 Inducere quid sit.
18 Sustinere quid importet.
19 Liberalia iudicia, & liberales causæ quænam sint.
20 Contestatio quid sit.
21 Contestare quid significet.
22 Verbum conditio, varia significat.
23 Mora modici temporis non habet periculum.
24 Querela inofficiosi non potest intentari à maiore post quinquennium secus verò à minore.
25 Exceptio quæ opponitur in iudicio libertatis, debet esse opposita bona fide.
26 Iudex non debet admittere exceptionem calumniandi animo propositam.
27 Modicum tempus quomodo in iure sumatur.
28 Iudex ordinarius potest iubere iudicem delegatum de libertate iudicare.

1 Lex ista † valdè difficilis reputatur, vt exorditur Odofred. hic, & eius tractatus satis difficilis dicitur, vt per Cuiac. hic in recitat. solem. col. 3. & cùm ea concordat tex. in l. si status controuersiam C. de ordin. cognit. in l. 3. §. ibidem infr. de Carbon. edict.

2 Tota lex hęc † tres casus admodum differentes nobis proponit, in primo seruus prætendit ex testamento sibi libertatem competere, in secundo prætendit & libertatem, & hæreditatem ex eodem testamento sibi competere, in tertio solam hæreditatem ex testamento prætendit, libertatem verò aliundè, vt per Castr. hic sub num. 4. de primo casu tractatur in principio legis vsquè ad versiculum, nam cum quidam, de secundo tractatur à dicto versiculo, nam cum quidam, vsquè ad versiculum, quoties autem, in quo versiculo vsq; in finem tractatur de tertio casu.

Quoad primum casum de quo in l. nostra quæritur, mota controuersia de libertate inter hæredem scriptum, & seruum, qui liber esse iussus est in testamento, an interim debeat silere iudicium de petitione hęreditatis; quod vt intelligatur, casum in hac l. fingamus hoc modo; Seruo in testamento est relicta libertas, in eodemque testamēto exhæredato filio, extraneus est hæres institutus, modò seruus iste contendit libertatem ab extraneo instituto, extraneus autem institutus opponit iudicium à filio exhæredato sibi intendi, filius pariter eamdem oppositionem facit, quæstio est an supersederi debeat in causa libertatis, an verò in iudicio querelæ à filio intentatæ, statuiturque † causam libertatis esse sustinendam, donec inofficiosi causa

3

terminetur, idq; triplici iure, primò ex Senatusconsulto, quod voluit, vt supersedeatur in sententia, ratioquè assignatur, ne præiudicium fiat in iudicio cognitioni de testamento, si enim declaretur ex eo testamento libertatem deberi, erit in consequentiam declarare testamentum officiosum, & validum esse contrà filium exhæredatum, nè ergò hoc præiudicium sequatur Senatus respondit, de libertate sentētiam non esse ferendam; Secūdò idem determinatum fuit ex rescripto Diui Traiani Imperatoris, qui voluit in iudicio de liberali causa supersedendum esse, quousq; vniuersale iudicium sit terminatum; Tertio idē confirmatum fuit ex rescripto Diui Pij, dum nodo tamen lis à filio exheredato sit contestata super querela, vel saltem speretur de proximo moueri, & inchoari debere, aliàs secus, quia tunc liberale iudicium non debet sustineri, quæ omnia vera sunt, vt per Odofr. hic, si simus infrà quinquen-
4 nium, † quo querela inofficiosi intētari potest, aliàs enim si elapsum sit tempus, nec sit spes, quod iudicium vniuersale inchoetur, tunc libertatis causa non debet differri; Ex quo primo casu, cùm filius exhæredatus possit oppositionem facere in iudicio vertente inter seruum, & extraneum
5 institutum, colligamus nos, † quod tertia persona in iudicium transuersa potest incurrere, & impetrare, vt differatur iudicium, facit tex. in l. si suspecta supr. de inof.
6 testam. in l. Titia inf. solut. matrim. † potestquè impedire executionem c. veniens extr. de testib. tradit Costal. in suis aduers. ad Pandect. hic in l. nostra.

Quoad secundum casum, in quo seruus prætendit hęreditatem ex testamento, insimulque & ex eodem libertatem, quęstio est an possit facere silere iudicium libertatis, donec terminetur causa petitionis hæreditatis, & pro huius intellectu ponamus, quod testator seruum suum Licinianum hæredem & liberum scripserit in testamēto, filiumq; propriū exhæredauerit, filius iste exhæredatus cui competit querela inofficiosi testamenti, ex ea nōdum agit, sed Liciniano, qui ex testamento se pro libero gerit, mouet quæstionem status, dicens eū seruum suum esse, sequè ab intestato patris hæredem existere, & ità non agit de rescindendo testamento, sed tantùm Licinianum in seruitutem vendicat, Licinianus autem videns nihil de testamento dici, detrectat suscipere iudicium libertatis, & ait potius litem inofficiosi testamenti agendam esse, quæritur ergò de qua causa prius agendum sit, & cum distinctione ex rescripto Diui Pij responsum habetur, aut enim Licianus hæreditatem possidet, aut verò filius exhæredatus, si Licinianus est in possessione hæreditatis, & sumus infrà quinquennium mouendæ querelæ ab adita hæreditate, lisquè sit contestata, vel
7 speretur moueri, † & in hoc casu differtur quæstio libertatis, de facili enim filius exhæredatus, cùm non possideat poterit introducere quæstionem de testamento, si verò filius exhæredatus sit in possessione hæreditatis, tunc non differtur liberale iu-
8 dicium, quia † cùm possideat non potest agere de inofficioso per viam actionis, sed tātùm per modum exceptionis, vt in l. Papinianus §. si filius supr. de inoffic. testam. vnde Licinianus non potest prætendere, vt supersedeatur in iudicio libertatis, donec terminetur causa testamēti, ad ipsum namquè spectat mouere quæstionem de petitione hæreditatis, quam si nō mouet, sibi imputet; Sed occurrit dubium, quid si Licinianus dicat, se nolle agere petitione hæreditatis nisi post quinquennium filio præstitutum ad instituendam querelam inofficiosi, quia forsan infrà hoc tempus exhæredatus amitteret possessionem, quę ipsi Liciniano hæredi scripto obueniret, quarè interim debet sustineri iudicium libertatis; Cui difficultati occurrit rescriptum Diui Pij nolentis hoc fieri, tempus namq; istud lōgum nimis esset, sed modus est, vt media via seruetur, & sic iudex perquirat, an hæc exceptio à Liciniano calumniosè proponatur, & animo differendi iudicium
9 libertatis, an verò bona fide, † si calumniosè proposita sit, tunc Licinianus nō est audiendus, si verò bona fide, & tunc audiri debet, sed cùm limitatione, quod nempè iu-

iudex breue tempus statuat, quo proponatur petitio hæreditatis, & filius exhæredatus iudicium querelæ suscipiat per modũ contradictionis, intrà quod tempus si proponatur iudicium hæreditatis, tunc sustinebitur particulare iudicium libertatis, donec terminatum sit principale hæreditatis, si verò infrà tempus præfixum non fuerit propositũ, sibi imputet Licinianus, iudex enim iudicij libertatis partibus suis
10 fungetur, & sic colligit Bal. † quod in summaria cognitione dilatio ad agẽdum datur, & hic est secundus casus legis nostræ,
11 In quo illud vlterius colligamus, † quod in vniuersalibus iudicijs, quæ nunc mouentur, vel statim mouebuntur, particularia differuntur, ne illis præiudicium creetur,
12 sic † in iudicio de feudo, aut præbenda accepto, interim silebunt particularium rerum lites, vt per Bart. hic num. 15. & hoc
13 quidem cum ratione factum fuit, † quia vtrumquè iudicium inuicem sibi præiudiciale est, vt hic accidit in textu nostro, libertas enim querelæ inofficiosi præiudicium afferebat, & querela libertati, vndè præfertur querela tamquam maior, sin autem libertas accusationi, aut querelæ præiudicialis esset, non autem accusatio, vel querela libertati, tũc causa libertatis prius est exequenda l. quoniam Alexandrum C. ad l. Iul. de adult. l. lite ordinata C. de liber. cauſ. tradit Bart. hic num. 11.

Tertius, & vltimus casus legis nostræ est talis; Licinianus seruus fuit testatoris defuncti, ab eoq; hæres institutus fuit exhæredato proprio filio, filius autem exhæredatus prætendit huic Liciniano quæstionem mouere de statu, eum suum seruum esse dicens, Licinianus autem è conuersò ait, aliàs se à testatore manumissum esse, posteà verò ab eodem etiam hæredem institutum fuisse, quæritur itaquè numquid hoc casu q̃stio libertatis sustineri debeat donec terminetur quæstio de hæreditate, & Diuus Pius rescripsit non sustineri hoc casu liberale iudicium, quod certè eam rationem haber, quia iudiciũ hoc alteri nullum præiudicium facere potest, cum Licinianus non prætendat libertatem ex testamento, sed aliundè, ideò statim expediri debet quæstio hæc liberalis, cum ea tamen declaratione, de qua in fine text. nostri, quod scilicet seruus iste nullum libertatis adminiculum sumat ex testamento, hoc namq; casu in liberali iudicio silendum esset, donec expedita fuisset quæstio de testamento, & ex hoc vltimò casu tex. nostri infer-
14 tur ad quæstionem de teste, † qui inductus fuerit super vno articulo examinandus, non enim super alio interrogari debet, ut per gloss. hic, infertur etiam ad quæstionẽ
15 de trãsactione facta in vna causa, † si enim alia causa agatur, de prima illa transacta nihil amplius deduci poterit, vt per Bart. hic num. 11.

16 Ex testamento] testamentum † teste Modestino in l. 1. infr. de testam. est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod post mortem nostram fieri volumus, quæ definitio licet varias patiatur difficultates; communiter tamen recipitur, sed Vltramont. in suo comment. de verb. iur. in verb. testamentum, putant meliorem esse definitionem ab Vlpian. in suis Instit. cap. 20. allatam, vt scilicet testamẽtum sit mẽtis nostræ iusta contestatio in id solemniter facta, ut post mortem ualeat.

Ne præiudicium] idest nè ex libertate adiudicata, uel negata cogatur necessariò, & præposterè testamentum, aut officiosum, aut inofficiosum dicere.

De testamento cognituro] Haloãder legit de testamento cognitioni.

Senatus] cuius nomen non habemus, & ubi sit istud Senatusconsultum ignoramus, hoc solum scimus, quod hæc est ejus sententia, ut per Odofr. hic.

Inducatur] idest obliteretur, delea-
17 tur, abrogetur, † est enim inducere propriè ducto per ceras stilo tegere, & interlinire, & memoriam scriptorum obliterare, ut per Bud. in l. fin. supr. de Senat. col. 47. sed malè ut per Cuiac. hic, qui exponit inducatur, idest inferatur, ità etiam ponitur l. si expressim infr. de appellat. in l. 4. C. de ordin. cognit. reo scilicet uel absoluto ab obserua-

seruatione iudicij, & instantia, vel lite finita per sententiam.

18 Sustinentur] idest differuntur, † sustinere enim est differre, reseruare, reijcere l. interdum supr. de iudic. tradunt Vltram. in commen. de verb. iur. in verb. sustinere.

19 Liberalia iudicia] liberalia † iudicia liberales causæ propriè appellãtur, in quibus quæstio de libertate vertitur, vt in Rubric. & in tot. tit. C. de liber. caus. l. non distinguemus §. de liberali supr. de recept. arbitr. l. in insulam §. 1. inf. solut. matrim. l. Pomponius & l. inter pares inf. de re iudic. & ita liberale iudicium dicitur apud Quintil. lib. 6. c. de risu.

Contestatum est] aut cõtestatio eius speratur l. si præteritus inf. de bonor. poss.

20 † contestatio autem est eius rei, de qua controuersia est apud iudicem ex vtraque parte facta narratio testibus præsentibus, vt per Cuiac. lib. 6. obseru. c. 21. in princip.

21 contestari † namque significat testibus adhibitis aliquid declarare, ac profiteri l. 1. infr. quod iussu.

Licinianus] seruus scilicet qui à domino & liber, & hæres factus fuerat.

Patiebatur] à testatoris scilicet filio exhæredato.

Maturius pronunciaretur] quia nempè contrà eius libertatem dicta esset sententia, & posteà actor hæreditate indignus reperiretur.

De conditione sua] hoc est de statu

22 suo † conditio namquè varia significat, est enim idem, quod modus, ratio, lex, pactũ, pactio, fortuna, status, locus, ius, causa, vt per Spiegel. vndè conditio seruitutis dicitur, idest status fortunæ l. vltim. §. fin. infr. de ædilic. edict. Hincquè Connan. lib. 7. commen. iur. ciuil. c. 8. nu. 9. dixit; Pro meliori cõditione haberi debet quidquid ad vtilitatem venditionis pertinet.

Suscepturum] filio scilicet exhæredato mouente querelam inofficiosi, se suscepturum iudicium petitionis hæreditatis, & etiam libertatis sibi datæ in testamento.

Sibi defendebat] idest dicebat prius intentandam esse ab actore petitionem hæreditatis, & querelam inofficiosi, quàm libertatis causam, seque vt hæredem, & liberum vtrumquè iudicium suscepturum.

Nunc verò] idest cùm filius exhæredarus est possessor.

Moram] idest dilationem, vndè dici

23 tur † quod mora idest dilatio modici temporis non habet periculum l. si debitori supr. de iudic.

24 Seruituti] idest liberali iudicio, † quia querela non potest intẽtari, nisi post quinquennium à maiore, sed à minore sic, vt in l. fin. C. in quib. caus. in integr. restit. sit necess.

Planè summatim] quotiescumquè

25 opponitur † exceptio in iudicio libertatis, quod prius sit agendum de testamento, iudex summatim æstimare debet, vtrùm talis exceptio opponatur bona fide, an animo calumniandi, & dif-

26 ferendi causa, † & hoc posteriore casu numquam eam admittet l. hæc autem inf. si cui plus quam per l. falcid. l. 2. C. ad l. Cornel. de fals.

Si bona fide] in Pandectis Florentinis legitur An fortè bona fide imploretur iudicium de testamento, & si id deprehenderit.

Iudicium de inofficioso testamẽto] in Pandectis Florentinis legitur tantum Iudicium de testamento.

27 Modicum tempus] modicum tempus variè sumitur in iure nostro, aliàs modicũ tempus dicitur decem dierum l. promissor inf. de constitut. pecun. aliàs triginta dierum l. 1. §. hoc interdicto inf. de itin. actuquè priuat., nonnunquàm trium, aut quinquè dierum l. & si plures supr. si quis caut. quandoquè quinquennij l. 1. inf. de separat. aliàs duorum mẽsium l. sancimus C. de fideiuss. quandoquè quatuor mensium l. si debitori supr. de iudic. & ità modicum tempus regulatur diuersimodè secundum subiectam materiam, itaut sæpè arbitrio iudicis istud relinquatur, vt in casu

su nostro l. 1. in fin. inf. de iur. delibet. & l. ab hostibus §. sed quod simpliciter sup. ex quib. caus. maior. in integr. restit.

Iubeat iudicem] delegatum scilicet,
28 † quia hunc iudex ordinarius iubere po-
29 test de libertate iudicare, & sic † simplex causa libertatis delegari potest, vt per Gothofr. hic in not.

Moueri speratur,] & meritò quia non ex eadem causa libertas defenditur, ex qua petitur hæreditas, hæc enim ex testamento, illa verò ab actu inter viuos emanat.

Prædicatur] aliàs prædicetur, vt per Gothofr. hic in not.

Ad l. viij. Paulus libro xvi. ad edictum.

Legitimam hæreditatem vendicare non prohibetur his, qui cùm ignorabat vires testamẽti iudicium defuncti secutus est.

SVMMARIVM.

1 *Viam incompetentem per errorem eligens, non præiudicat sibi in via cõpetenti, quam sibi competere ignorabat.*
Declara vt id verum sit, dummodo errauerit in facto, non in iure vt num. 9.
Limita quando duæ viæ de directo contrariæ sibi competentes ex eodem actu prouenirent, qui a vna electa ad aliam amplius recurri non potest, vt num. 10.
2 *Non prohibetur hæreditatem petere ab intestato, qui iudicium defuncti secutus est, putans eius testamentum valere.*
3 *Renuntiatio non fit sine voluntate.*
4 *Qui ignorat non habet voluntatem, nec videtur actum facere.*
5 *Legitimam hæreditatem repudiare non videtur, qui eam adijt ex testamento quòd putabat valere.*
6 *Hæreditatem qui adijt ex posteriore testamento inutili, non dicitur repudiare ius sibi competens ex priori testamento vtili.*
7 *Legatum accipiens ex testamento, non potest postea ex eodem testamento velle hæreditatem vendicare.*
8 *Qui legatum agnouit, vel hæreditatem adijt ex testamento, quod falsum ignorabat, non prohibetur postea falsum dicere testamentum.*
11 *Legitima hæreditas dicitur, quæ ab intestato prouenit.*
12 *Hæreditas ab intestato quarè legitima dicatur.*
13 *Ignorare dicimur quod scire debemus.*
14 *Ignorare quis dicatur.*
15 *Ignorantia alia est iuris, alia facti.*
16 *Ignorantia iuris cuiquè nocere potest, facti verò non, & quando.*
17 *Ignorantia iuris duplex est naturalis nempè, & ciuilis.*
18 *Ignorantia facti, & ipsa duplex est.*

PRiuilegium aliud proponitur hic à Paulo I.C. quod habet petitio hæreditatis, & cùm hac l. concordat tex. in l. mater decedẽs supra de inoff. testam. in l. Claudius Clodianus inf. de acquir. hæredit. in l. qui ignorans infr. ad l. Cornel. de fals. & in l. hæreditas matertêræ C. hoc tit. nost.
1 Regula ergo est, quod † qui per errorem viam aliquam incompetẽtem elegit, non præiudicat sibi in via competẽti, quam si-
2 bi competere ignorabat, vndè ille † qui putabat valere testamẽtum, & iudicium defuncti secutus est, non prohibetur posteà hæreditatem petere ab intestato, & ratio est, quia ignorabat testamentum nullum esse, vel esse tale, quod expugnari posset, & sic in consequentiam ignorabat sibi cõpetere ius succedendi ab intestato, huic itaquè iuri non potest dici, quod renunciá-
3 uerit, nam † renunciatio nõn fit sine volun-
4 tate, & ille qui ignorat † non habet voluntatem, & sic non videtur actum agere l. ex maleficijs §. longè minus inf. de action. & oblig. & ideò tex. in l. mater supr. de inoff.
5 testam. inquit, † quòd non videtur legitimam hæreditatẽ repudiare, qui eam adijt ex testamẽto quod putat valere, sic etiam
6 ille, † qui hæreditatem adijt ex posteriore testa-

testamento inutili non dicitur repudiare ius sibi competens ex priori testamẽto vti li d.l. Claudius Clodianus infr. de acquir.
7 hæredit. sic etiam in simili videmus, † qđ licet qui legatum accepit ex testamento non possit posteà hæreditatem illam vendicare ex testamento l. si pars §. fin. sup. de
8 inoff. testam. † si tamen hæreditatem adierit; vel legatum quo quo agnouerit ex testamento, qđ falsum ignorabat, non prohibetur posteà dicere falsum testamẽtum l. 3. inf. ad l. Cornel de fals. hoc tamen verum est, si appareat manifestè eum non calumniari, vt in l. postquam in fin. inf. hoc tit. nostr.

Declaratur regula superius proposita,
9 vt vera sit, † quandò quis erraret in ignorantia facti, vt in l. Paulus respondit (la prima) inf. de bon. libert. secus verò si erraret in iure l. 3. inf. si quid in fraud. patr. tradit. Costal. hic in aduersar. ad Pãdect. ad l. nostram, & Castr. in d. l. mater num. 4. sup. de inoff. testam.

Declaratur etiam regula de qua suprà;
10 vt non procedat, † quandò duo essent remedia cõtraria, quæ ex eodem actu nascerentur, putà vnum directũ, aliud obliquũ, & quis vnum eligat, tunc enim aliud perdit, etiam si ignorabat alterum sibi competere, vt in casu l. fin. C. de cond. insert. colligitur ex dictis Bart. in d. l. Claudius Clodianus inf. de acquir. hæredit. tradit Cast. tùm hic in l. nostra, tùm in d. l. mater nu. 3. sup. de inoff. testam.

11 Legitimam] quæ † scilicet ab intestato prouenit, per eccellentiam enim legitima in vsu iuris dicitur, vt hic & in l. 3. §.
12 de illo inf. pro soc. rectequè † legitima dicitur, quia omni ex parte à lege est, vt per Donell libr. 19. comment. iur. ciuil. c. 12. col. 3. cùm testamentariæ hæreditates sint quidem, & ipsæ à lege, quæ illas cõfirmat, sed ità vt maxima, & præcipua ex parte proficiscantur à iudicio testatoris, qui hæredes instituit l. lege inf. de verb. signific.

Vendicare] ideſt petere, vt in l. si superatus in princip. inf. de pignor.

13 Ignogabat] ignorare † dicimur, qđ scire debemus l. 2. C. p quas person. nob. acquir. l. 2. §. 1. C. de rei vxor. act. vndè
14 † ignorare quis dicitur, cùm de iurè, vel de facto nihil scit, nec inde aliquid suspicatur, vt per Azon. in sua Sum. C. de iur. &
15 fact. ignor. † Ignorantia autem duplex est alia iuris, alia facti l. 1. & l. regula inf. de
16 iur. & fact. ignor. † Ignorantia iuris cuiq; nocet, facti verò nequaquàm vt in d. l. 1.
17 † Ignorantia iuris, & ipsa duplex est, alia scilicet naturalis, alia ciuilis, ignorantia iuris naturalis numquam alicui prodesse potest, nec aliquem vnquã excusat, igno-
18 rantia autem iuris ciuilis excusat, † Ignorantia facti alia est eius facti, quod oportuit aliquem scire, alia est eius facti, quod non oportuit eum scire, prima nõ excusat, secunda sic, vt per Io. Bellon. in suo libr. Ethymolog.

Iudicium defuncti] ideſt testamẽtum, & vltimam eius voluntatem l. 1. C. de Sacros. Eccles.

Ad l. ix. & x. Vlpianus libro xv. ad edictum.

Regulariter definiendum est, eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel ius pro hærede, aut pro possessore possidet, vel rem hæreditariam.

Caius libro vi. ad edictum prouinciale.

Licet minimam. Itaquè qui vel ex asse, vel ex parte hæres est, intendit quidem hæreditatem suam esse totam, vel pro parte: Sed hoc solum ei officio iudicis restituitur, quod aduersarius possidet: aut totum si ex asse hæres est: aut pro parte, ex qua hæres est.

SYM-

SVMMARIVM.

1 *Ille tantum petitione hæreditatis conueniri potest. qui possidet pro hærede, vel pro possessore.*
2 *Tria requiruntur ad hoc vt quis possit conueniri petitione hæreditatis.*
3 *In actionibus in rem possessio desideratur ex parte rei.*
4 *Possidere quis nàm dicatur.*
5 *Qui se gerit pro hærede, nec rem aliquam hæreditariam possidet, dicitur solum ius hæreditatis habere.*
6 *Ius hæreditarium si per se solum spectetur, non est tale, quod possit restitui.*
7 *Petitio hæreditatis non datur contrà titulo possidentem, & num. 19.*
8 *Reus in petitione hæreditatis dicitur, & titulum, & possessionem habere, actor verò solum titulum.*
9 *In pari causa melior est conditio possidentis.*
10 *Reus in petitione hæreditatis proposito libello interrogari debet, quomodo possideat, vt cognoscatur an possideat pro hærede, vel pro possessore.*
11 *Interdictum quorum bonorum datur tantùm contrà possidentem pro hærede, vel pro possessore.*
12 *Interdictum quorum bonorum præparat hæreditatis petitionem.*
13 *Differentia assignatur inter petitionem hæreditatis, & interdictum quorum bonorum.*
14 *Interdictum quorum bonorum datur in eũ qui corpus hæreditarium possideat licet minimum.*
15 *Petitio hæreditatis datur aduersus eum, qui rem licet minimam hæreditatis possideat.*
16 *Hæreditas, vel pars hæreditatis propriè non est in re vna.*
17 *Actor in petitione hæreditatis prætendit se declarari dominum, & hæreditatem ad se spectare pro congruenti portione.*
18 *In petitione hæreditatis reus officio iudicis absoluitur pro ea parte, quam non possidet.*
20 *Possidens titulo hæreditatem, vel rem hæreditariam, vtrum possit petitione hæreditatis cõueniri, si titulum ab eo habuerit, qui hac actione conueniri poterat, cum num. seq.*
21 *Qui in ius alterius successit non debet plus iuris habere, quàm ille in cuius locum successit.*
22 *Titulus pendente lite acquisitus dicitur iniustus.*
23 *Regula est, quæ rem, quæ est breuiter enarrat.*
24 *Definire quid sit.*
25 *Hæreditas est ius vniuersum defuncti.*
26 *Pro hærede possidere quis dicatur.*
27 *Pro possessore possidere quis dicatur.*
28 *Possidens hæreditatem iusto titulo, & bona fide solùm rei vendicatione conueniri potest.*
29 *Verbum (res) multas significationes habet.*
30 *Actor intentionem suam metitur ex iure sibi competenti, non ex iure possessoris.*
31 *Assis appellatione quid veniat.*
32 *As ab ære dicitur.*
33 *Officio iudicis quid contineatur.*

VIsum est hucusquè de personis, quibus competat hæreditatis petitio, quid in ea veniat, & quæ sint huius iudicij priuilegia, nunc modò videndum est, aduersus quos competat iudicium hoc petitionis hæreditatis.

Regula autem siuè principium fusum per totum hunc titulum, & omnibus notũ, vt inquit Cuiac. hic in recitat. solemn.
1 ad l. nostram in princip. est hæc, vt † ille
tantùm teneatur iudicio petitionis hæreditatis, qui pro hærede, vel pro possessore
possidet rem aliquam hæreditariam, vel
2 plures,† ex qua regula colligitur tria desiderari, vt quis hoc iudicio petitionis hæreditatis conueniri possit, de quibus etiam
suprà in Rub nostra num. 40 dictum fuit,
primò scilicet, vt possideat, prout euenit
3 etiam, † & in omnibus in rem actionibus
4 l. actionum inf. de action. & obligat. is † autem possidere dicitur, qui animo, & affectu domini rem tenet, qui itaquè rem alio animo, quàm affectu domini tenet, etiam si iusta causa eã teneat, & apud se habeat pro-

propriè non dicitur possidere, prout euenit in fructuario, colono, inquilino, commodatario, depositario, & similibus §. idem placet, vbi & Theophilus id firmat, Instit. per quas person. nob. acquir. l. sciendum supr. qui satisd. cog. & l. rei commodatæ infr. commod. tradit Donell. lib. 19. comment. iur. ciu. c. 12. col. 4. Secundò ad hoc, vt quis hoc iudicio petitionis hæreditatis conueniri possit exigitur, vt possideat totam hæreditatem, vel rem aliquam hæreditariam, vel res plures ex ipsa hæreditate, vnde non sat est, vt quis gerat se pro hærede, adhoc vt possit conueniri petitione hereditatis, verum desideratur, vt vlterius possideat rem aliquam hæreditariam, dũ
5 enim † se gerit pro hęrede, nec aliquã rem hæreditariam possidet, solum ius hæredi-
6 tatis dicitur habere, † quod si per se solum spectetur, non est eiusmodi, vt restitui possit, vt per Donell. d. c. 12. col. 3. res itaque hæreditarias possidere debet, vel aliquam ipsarum etiam minimam, vt hic. Tertiò illud desideratur, vt possideat pro hærede, vel pro possessore, vndè sequitur quod si quis possideat alio titulo, quàm pro hærede, vel pro possessore, non possit hac petitione hereditatis conueniri, hincquè dici
7 solet † petitionẽ hæreditatis non dari contra titulo possidentem l. hęreditatis C. hoc tit. nostro l. 4. C. in quib. cauf. cesset long. temp. præscript. quænam autem sit ratio, quarè contrà titulo possidentem non detur hæc petitio hæreditatis, multæ à Doctoribus excogitatę sunt rationes maximè in dict. l. hæreditatis, vt scilicet istud eueniat, quia in iudicio petitionis hæreditatis, is tantùm tenetur, qui de hæreditate controuertatur, ergò tantùm qui possidet, vt hæres debet teneri, non qui alio titulo possideat, & quandò quis possidet pro possessore, cùm nullam causam possessionis assignet præsumitur possidere vt hæres, & censetur controuersiam facere hæreditatis, dum enim non vult reddere rationem possessionis suæ, tunc controuersatur de hæreditate, vt inquit Cuiac. in recitat. solemn. ad l. nec vllam §. 1. col. 3. inf. hoc tit. nostro; pręcipua tamen ratio alijs ommis-
8 sis illa videtur, quia † qui conuenitur, non modò titulum, verùm etiam possessionẽ habet, qui verò agit tãtùm titulum habet,
9 possessio enim aliàs erat defuncti, † in pari itaquè causa melior est conditio possidentis l. in pari inf. de reg. iur. c. in pari de reg. iur. lib. 6. nil mirum ergò si contrà possidentem titulo, hæc petitio hæreditatis intentari non possit, & hæc est ratio præcipua, & communis huius rei, quam tenuit Cin. in l. cogi C. hoc tit. nostro, post eum Bart. in d. l. hæreditatis C. eod. quam refert, & sequitur Ias. in §. actionum n. 218.
10 Inst. de act. † quomodò autem cognoscendum sit, an quis pro hærede, vel pro possessore possideat, an verò alio titulo, praxis est, vt proposito libello, antequam lis contestetur possessor interrogetur quomodò possideat, vt supr. in Rub. huius tit. nu. 41. dictum fuit.

Regula itaquè tex. nostri est, eum tantùm teneri petitione hæreditatis, qui pro
11 hærede, vel pro possessore possidet, † quæ regula etiam locum habet, & in interdi-
12 cto quorum bonorum, † quod præparat hæreditatis petitionem l. 2. C. quor. bon.
13 §. adipiscendæ Inst. de interdict. † differẽtia tamen est inter d. interdictum quorum bonorum & hęreditatis petitionem nam petitio hæreditatis datur non tantùm in eum, qui rem hæreditariam possidet, sed etiam in eum, qui ius quasi possidet, veluti in debitorem hæreditarium, vt per Cuiac. in l. nostra in recitat. solemn. secus ue-
14 rò est de interdicto quorum † bonorum, quod datur tantùm in eum, qui possidet corpus hæreditariũ licet minimum l. hoc amplius infr. de furt. d. §. adipiscendæ Instit. de interdict. & sicut hoc interdictum datur in eum, qui corpus licet minimum
15 possideat, ita etiam & † petitio hæreditatis datur in eum qui rem, uel minimam ex hæreditate possideat, vt hic in l. licet minimam, & in l. cùm enim inst. si quis o-
16 miss. caus. testam. licet propriè † hæreditas, uel pars hæreditatis non sit in una re; Hæc actio itaquę formatur ex intentione actoris, quæ intentio est de uniuersitate,
17 actor, † enim nihil aliud prætendit, quam de-

declarari se dominum esse, & hæreditatem ad se spectare secundùm congruentem portionem, vt hic & in l. 1. §. 1. infr. si
18 pars hæredit. pet. officio † autem iudicis reus absoluitur pro ea parte, quam non possidet, vt hic in l. licet minimam; Quarè
19 sequitur ex hoc textu, † quod siquis bona fide, & iusto titulo hæreditatem, vel rem hæreditariam possideat, nequaquàm petitione hæreditatis conueniri possit l. 4. C. in quib. caus. cesset long. temp. præscript.
20 Sed hic nascitur dubium, † an si iste qui hæreditatem, vel rem hæreditariam possidet, titulum consecutus sit ab eo, qui petitione hæreditatis conueniri poterat, vtrum in hoc casu conueniri possit petitione hæreditatis, & licet aliqui velint hoc iudicio istum conueniri posse, prout Bart. in l. cogi C. hoc tit. nostr. & in l. Neratius inf. eod. Angel. & Imol. in l. si is qui bonis inf. de acquir. hæredit. Castr. in l. fin. ad fin. C. de edict. Diui Hadrian. toll. & Ias. in l. 1. num. 10. C. hoc titulo nostro, ea ratione
21 moti, quia absurdum esse videtur † eum, qui in alterius ius succedit plus iuris habere quàm auctorem suum, vt in l. si mulier §. primo infr. ad Velleian. I. C. Quidquid tamen dicant isti, mihi magis placet, vt cum Fachin. libro primo controuers. iur. cap. 4. distinguamus, quòd aut iste possidens titulo hæreditatem, vel rem aliquam hæreditariam, titulum acquisiuit ab eo qui petitione hæreditatis conueniri poterat antè motam litem, aut verò lite pendente, si antè litem motam acquisiuit, nō debet posse conueniri, quia rem non possidet neque pro hærede, neque pro possessore d. l. 4. C. in quib. caus. cesset long. tēp. præscript. Si verò lite pendente acquisiuit, & tunc affirmatiuè est respondendum,
22 quia † talis titulus lite pendente acquisitus iniustus esse videtur l. Diuus Pius supr. hoc tit. l. Alienationes infr. famil. ercisc. tradit Bart. in l. 3. §. opus infr. de alienat. iudic. mutand. caus. fact. ità Alex. ad d. l. fin. versus fi. C. de edict. Diu. Hadrian. tollend. Ias. in d. §. actionum num. 220. Inst. de act.

Regularitèr definiendum] quasi di-
23 cat sub regula tradendū est, † regula enim est, quæ rem, quę est breuiter enarrat l. 1. inf. de reg. iur. Vndè regularitèr dicitur, & quod pro regula, & quod secundum regu-
24 lam † est, definire verò in iure ciuili est generaliter, & summatim quid statuere l. ius quoq; §. puto infr. de hæred. instit. l. si sponsus §. concessa inf. de donat. inter vir. & vxor.

Vel ius] idest hæreditatem, vel quotā
25 ipsius, † hæreditas enim est ius vniuersum defuncti l. hæreditas infr. de reg. iur. l. bonorum inf. de verb. signific.

Pro hærede] ille dicitur pro hærede
26 possidere, † qui cùm verè hæres non sit, iustam tamē & probabilem causam habuit existimandi se hæredem esse, si modò testamenti factionem habuerit l. pro hærede infr. hoc tit. nostr. l. non solum §. 1. infr. de vsurpat. l. 1. & passim in tot. tit. infr. pro hæred. vel pro possess. & l. 1. cum tot. titul. C. eod.

27 Pro possessore] vt † prædo scilicet, qui cùm sciret hæreditatem ad se non pertinere, inuasit tamen bona hæreditaria, nullam possidendi causam habēs, vt in d. l. pro hærede in fin. l. nec vllam in princip. & l. sed & si lege §. quod ait Senatus infr. eod. tit. nostr. & l. qui hominem §. si prędo infr. de solut. prout etiam & is qui vim intulit l. extat in fin. supr. quod met. caus.

Possidet] modo non possideat titulo
28 iusto, & bona fide; nam † tunc solùm rei vendicatione conueniri potest l. 2. C. de rei vendicat. tradit Dec. in l. hæreditas n. 3. & 4. infr. de reg. iur.

Rem hæreditariam] idest partem aliquam ex bonis hæreditarijs, istud au-
29 tem † verbum (res) multas, & varias significationes in iure nostro habet, quas referre nimis longum esset, de eis consolendus est Brech. in l. rei appellatio, & in l. rei appellatione infr. de verb. signif.

Itaque, qui vel] † regula alia hic poni-
30 tur, quę suam rationem habet, quia tacitè intentionem suam meritur ex iure, quod

sibi competit non ex iustè possessoris l. 1. §. 1. infr. si pars hæsedit. petat.

31 Vel ex asse] id est ex toto, † veteres enim volentes aliquid inæquales partes diuidere prout hęreditatem, & quiduis simile, id assem appellauerunt, partes verò vncias dixerunt, vndè ex asse hæres dicitur, qui solus est hęres, & ex asse auferri hæreditas dicitur, quæ tota auferrur l. 2.

32 C. de his quæ vt indign. † Assem autem Varro libro primo de lingu. Latin. ab ære dictum esse putat, As enim, & libra, & pōdo idem significant, vt Accurs. rectè admonuit.

Hæres est] & agit petitione hæreditatis.

Esse totam] si ex asse nempè hæres sit.

Vel pro parte] si pro parte scilicet hęres fuerit.

33 Officio iudicis] officio † iudicis contineri dicitur, quod ei tacitè pro suo iure permissum est, quamuis Prætor in formula nullam eius mentionem fecerit §. fin. Institut. de perpet. & tempor. act. Vndè si antè rem iudicatam is cùm quo actum est satisfaciat actori, officio iudicis conuenit eum absoluere inquit Pompon. in l. ei qui infr. de furt. similia exempla habemus in l. qui per collusionem §. primo infr. de action. empt. in l. planè infr. de rei vendicat. in l. quæri infr. locat. in l. seruos infr. de alim. & cibar. legat. in l. deducta, & in l. Imperator infr. ad Trebell. Senat. Consult.

Aduersarius possidet] pro hærede scilicet, vel pro possessore.

Ad l. xi. xij. & xiij. in principio.

Vlpianus lib. xv. ad edictum.

Pro hærede possidet, qui putat se hæredem esse. Sed an is qui scit se hęredem non esse pro hærede possideat, quæritur? & Arrianus lib. secundo de interdictis, putat teneri: quo iure nos vti Proculus scribit. Sed enim, & bonorum possessor pro hęrede videtur possidere.

Pro possessore verò possidet prædo.

Idem lib. lxvij. ad edictum.

Qui interrogatus cur possideat, responsurus sit, quia possideo: nec contendit se hæredem, vel per mendacium.

Idem lib. xv. ad edictum.

Nec vllam causam possessionis potest dicere: & ideò fur, & raptor petitione hæreditatis tenentur.

SVMMARIVM.

1 *Pro hærede quis potest possidere dupliciter, & num. 23.*

2 *Hæres verus duplici modo dici potest pro hærede possidere.*

3 *Hæreditas a vero hærede non vendicatur nisi ex causa inofficiosi testamenti.*

4 *Hæres verus nullo modo tenetur petitione hæreditatis.*

5 *Hęres possidens rem aliquam non hæreditariam tamquàm hęreditariam dicitur in ea habere titulum pro hęrede.*

6 *Titulus pro hęrede est habilis ad acquirendam vsucapionem.*

7 *Hæres verus, dum possidet bona fide rem non hęreditariam potest conueniri petitione hęreditatis.*

8 *Qui per mendacium se hæredem dicit, prę-*

prædo appellari potest.
9 *Qui per errorem, vel per mendacium se hæredem dicit non potest vsucapere.*
10 *Titulum iustum non habens non potest vsucapere nisi per possessionem longissimi temporis.*
11 *Bonorum possessor dicitur possidere pro hærede.*
12 *Bonorum possessor propriè non est hæres, & num. 30.*
13 *Bonorum possessor de iure Prætorio pro hærede habetur.*
14 *Bonorum possessor vtili petitione hæreditatis conueniri potest, non directa.*
15 *Pro possessore quis possidere dicatur, & num. seq.*
16 *Prædo dicitur ille, qui scit bona ad se non pertinere, ea tamen inuasit, & numero 28.*
17 *Ratio, quæ eadem sit cum dicto, nihil concludit.*
18 *Dictum testis non valet qui interrogatus quarè sciat, respondet quia scio.*
19 *Testis debet reddere rationem dicti sui.*
20 *Id quod probat debet esse clarius eo, quod probatur.*
21 *Fur, & raptor petitione hæreditatis tenentur.*
22 *Qui per vim deiecit tenetur petitione hæreditatis.*
24 *Arrianus I.C. quo tempore floruerit, & eius laudes.*
25 *Proculus I.C. quo tempore floruerit.*
26 *Proculi qui nam dicantur.*
27 *Proculi I.C. laudes & gesta.*
28 *Qui habetur loco hæredis dicitur possidere pro possessore.*
29 *Verbum (videtur) denotat improprietatem.*
31 *Pro possessore dupliciter quis possidere potest.*
32 *Prædo quis dicatur.*
33 *Bonæ fidei possessor post petitam hæreditatem prædo dici potest.*
34 *Post motam controuersiam quilibet incipit malæ fidei possessor esse.*
35 *Interrogatio quid sit.*
36 *Interrogationes duplicem effectum dicuntur habere.*
37 *Dictio vel exponitur idest saltem.*
38 *Mendacium quid sit.*
39 *Mendacium velut delictum habetur.*
40 *Mendacij multa sunt genera.*
41 *Fur quis nam dicatur.*
42 *Fur dicitur Græco sermone φώρας à ferendo.*
43 *Raptor quis nam dicatur.*
44 *Raptor furti actione tenetur.*

PEtitio hæreditatis cùm detur aduersus eum, qui possidet pro hærede, vel pro possessore, vt supra in l. Regulariter dictum fuit, ideò I. C. nunc declarat quis nam sit ille, qui dicatur pro hærede, & pro possessore possidere.
1 Pro hærede † autem possidere quis potest dupliciter, primò quia verè hæres sit, secundò quia verè non sit hæres; Primo modo quando quis verè est hæres, id pa-
2 riter † duobus modis considerari potest, vno modo quatenus scilicet verè hæres est & rem verè hæreditariam possideat, & iste licet verè hæres sit, non tamen dicitur pro hærede possidere in casu legis nostræ, nec contrà cum datur petitio hæreditatis,
3 & ratio est, quia à vero † hærede non vendicatur hæreditas nisi ex causa inofficiosi testamenti, & hac ratione separatus est tractatus de inofficioso testamento à tractatu nostro de petitione hæreditatis, vt per Cuiac. hic in recitat. solemn. ad hanc legem
4 nostram in princip. † verus ergò hæres hoc modo consideratus quatenus rem verè hæreditariam possideat nullo modo tenetur petitione hæreditatis, vt firmat Donell. libro decimo nono commentar. iur. ciuil. capitulo decimo secundo, columna octaua. Altero modo considerari potest, quatenus quis verè hæres sit, possideat tamen rem aliquam non hæreditariam tamquàm hæreditariam, vt puta rem alienam
5 inuentam in bonis defuncti, † quo casu dicitur iste habere verum, & iustum titulum
6 pro hærede, † quo titulo rem istam alienam tamquam hæreditariam rectè vsucapit l. pepulit. & l. fin. inf. pro hæred. & iste cùm in alijs rebus hæreditarijs sit hæres, in hac tamen non hæreditaria non est hæres,

7 sed posſidet pro hærede,† quarè petitione hæreditatis debet potiùs conueniri ab eo, ad cuius hæreditatem res illa pertinet l. nec vllam §. Neratius infr. hoc titulo nostro. Secundò principaliter dicitur pro hærede posſidere is, qui rem hæreditariā posſidet, cum tamen verè hæres non ſit, & id pariter duob. modis accidit, uno modo, quando quis per errorem putat ſe hæredem eſſe, & interrogatus quomodò posſideat, reſpondet quia hæres ſum, vt hic in princip. l. pro hærede, & ideò quia ità reſpondet conuenitur petitione hęreditatis, vt ſupr. eſt dictum in l. regulariter hoc tit. noſtro, altero verò modo, quādò quis non per errorem, quia ità putet, ſed ſcienter ſe non eſſe hæredem, talem tamen ſe per mēdacium dicit, fungiturquè vice hæredis in posſidenda ipſa hæreditate, quarè & iſte dicitur posſidere pro hærede, & aduerſus eum intentatur petitio hæreditatis, licetquè cum Donell. vbi ſupr. colum. 9. dici
8 posſet, iſtum † qui per mendacium ſe hæredem dicit non ſolum malæ fidei posſeſſorem, verum etiam prædonem eſſe, vt in l. ſed & ſi lege §. 1. & §. ſi antè infr. hoc tit. noſtr. vndè potius pro posſeſſore debet dici posſidere quàm pro hærede, hoc tamen verum ſit quoad pœnam, nam iuris interpretatione, qui per mendacium ſe hæredem dicit prædo eſt, & eadem pœna plectitur, non tamen procedit quoad nominationem, nam posſeſſor pro hærede appellari debet, quia talem cauſam habere interrogatus reſpondet, non verò cauſam affert quòd posſideat vt prædo, vt nos inferius mox mox dicemus, & facit tex. in l. qui interrogatus infr. hoc titulo noſtro, & iſti qui ſecundo hoc caſu principali pro hęredibus habentur, ſicuti non habent titu-
9 lum verum, ità nec iuſtum, † & ideò rem aliquam hæreditariam hoc titulo non poterunt vſucapere l. 1. & l. fin. C. pro hæred. nec præſcriptio decem annorum ſufficit,
10 hoc caſu,† ſed tantùm longisſimo tempore posſeſſores tuti ſunt l. hęreditatis C. hoc tit. noſtr. l. hæreditatem C. in quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſcript. tradit hic Coſtal. in ſuis aduerſ. ad Pandect. Vlterius

11 etiam † bonorum posſeſſor pro hærede posſidere dicitur, vt in fin. l. pro hærede ibi Sed enim & bonorum posſeſſor pro hærede videtur posſidere, rectè autem ponitur illud verbum videtur, quia re uera bonorum posſeſſor non posſidet pro
12 hęrede,† bonorum enim posſeſſores etiam ſi re vera tales ſint, tamen hæredes nō ſunt §. quos autem Inſtit. de bonor. posſeſſ. vndè bonorum posſeſſor nō poteſt teneri directa petitione hęreditatis quaſi pro hęrede posſideat, nec etiam quia pro posſeſſore posſideat, quia interrogatus quomodò posſideat, cauſam hāc bonorum posſeſſionis aſſignet, non verò ſimplicem cauſam posſeſſionis, vt mox de eo, qui pro posſeſſore posſidet dicemus, & cū iure ciuili hæ-
13 res non ſit, † iure tamen Prætorio pro hærede habetur l. 1. cùm ſeq. inf. de bon. poſſeſſ. vndè rectè dicitur, quod videtur pro hærede posſidere, cùm pro hærede verè
14 non posſideat, ideò dicendum eſt † iſtum teneri non directa petitione hæreditatis, ſed vtili, vt per Donell. d. c. 12. col. 12.

15 Pro posſeſſore † autem posſidet fur, & Prædo vt in d. l. pro hęrede in fin. ideſt ille,
16 qui † cùm ſciret bona ad ſe non pertinere ea tamen inuaſit l. ſed & ſi lege §. 1. & §. ſi antè infr. hoc tit. noſtr. nec ſimpliciter dicitur, quod prædo ſit, qui pro posſeſſore posſideat, ſed prædo ille dicitur, qui nullam posſeſſionis cauſam, ideſt posſeſſionis auctoritatem, ſiuè titulum afferat, vt in l. nec vllam in princip. infr. eodem, ſed interrogatus cur poſſideat, vertit interrogationem in reſponſionem, & reſpōdet quia posſideo, nec ſe contendit hæredem, vel verè, vel per mendacium, vt hic in l. qui interrogatus, quarè rectè pro posſeſſore posſidere dicitur, quia nullam aliam cauſam posſeſſionis aſsignat, quam ipſam posſeſſionem; & hinc colligitur ſecundum Bart.
17 quod † quando ratio ſit eadem cùm dicto
18 nihil concludit, & ideò † dictum teſtis non valet, ſi interrogatus, quarè ſciat, re-
19 ſpondeat, quia ſcio, nam dicti ſui rationem reddere debet l. ſolam, & ibi gloſſ. & DD. Codice de teſtib. cùm neceſſarium ſit.

20 sit, vt illud † quod probat sit clarius, & manifestius illo, quod probatur, vt per Bart. hic in d. l. qui interrogatus in principio;
21 fur † itaque & raptor hoc iudicio petitionis hæreditatis tenentur, vt hic in l. nec vl-
22 lam in princip. † ille etiam qui per vim deiecit hoc iudicio tenetur l. quod si in diem §. Iulianus in fin. inf. eod.

23 Pro hærede] dupliciter † sumi potest pro hærede possidere, vno modo significat titulum, quales sunt similes tituli pro emptore, pro legato, pro derelicto possidere, & similes; Alio modo non significat titulum, sed tantùm prætextum tituli, atquè ita titulum emẽtitum, qualem habet prædo, raptor, & is quis possidet pro possessore, hoc est qui iustam possessionis suæ causam non habet iuxtà distinctionem gloss. in Rub. C. de vsucap. pro hæred.

Se hæredem esse] & non est, sic etiam sumitur in §. pro hærede Instit. de interdict.

24 Et Arrianus] Arrianus † iste I.C. fuit qui floruit sub Traiano Imperatore tempore Neratij Prisci, & Aristonis Iurisconsultorum, vt constat ex Plin. epistol. lib. 1. epist. 2. & lib. 2. epist. 11. & 12. & ex alijs multis epistolis; Huius Arriani meminit Paul. I.C. in l. si filium infr. de gradib. & in l. Arrianus infr. de act. & obligat. huius quoquè mentionem habet Vlpian. Iurisc. Consult. præter hanc legem nostram in l. ex facto infr. de hæred. institut. & in l. 1. §. quia autem infr. quor. legat. Istumquè Arrianum multis laudum præconijs ornat, ac prosequitur Plin. Epistolarum lib. 3. epistol. 2. alius autem fuit ab Arriano historico Græco, qui de Alexandri rebus à quibusdam creditur scripsisse, cuius meminit Capitolinus in Gordianis in principio; Item alter fuit ab Arriano Poeta Græco, quem in poematibus suis Cæsar Tiberius imitatus est, illiusquè scripta, & imaginem inter veteres, & præcipuos auctores dedicauit, quem Sueton. memorat in illius vita c. 70.

25 Proculus scribit] Proculus † iste de quo hic mentio habetur Neruæ I. C. filius fuit, sub Othone, & Vitellio Imperatoribus floruit, Licinius Proculus appellatus,
26 quo † nomine antiqui vocabant eos, qui patre peregrinante a patria procul nati erant, vel qui parentib. senibus quasi procul ætate progressis orti erant, vt Fest. auctor est de verb. sign. in verb. Proculũ, Pro
27 culus iste Præfectura Prætorij ab Othone ornatus fuit, vt Cornel. Tacit. tùm lib. 1. tùm lib. 2. histor. testatur. Neruæ patris scholam præterea tanta laude excepit, vt ab eo Proculiani dicti sint, sicut à Sabino I. C. Sabiniani appellantur in l. 3. C. de posthum. hæred. instit. & in §. cùm ex aliena Instit. de rer. diuis. ideoquè & Diui fratres non leuem hunc iuris auctorem nominarunt in l. diui fratres infr. de iur. patron. & de eo sæpè in iure nostro mentio habetur, scripsit autem notas in Labeonem & libros octo epistol. vt testatur Eberlin. de orig. iur. cap. 45.

28 Videtur possidere] qui enim † habetur loco hæredis, non dicitur propriè pro hærede possidere, sed dicitur pro possessore possidere l. in omnibus inf. de bon. poss.
29 & ideò vtitur verbo, videtur, † quod impropriètatem importat, vt not. Bart. & cęteri in l. si is q pro emptore infr. de vsucap.
30 qui † bonorum possessor propriè non est hęres, vt suprà est dictum, & aliàs diximus superius in l. Papinianus §. si ex causa nu. 26. de inoffic. testam.

31 Pro possessore] dupliciter † potest qs pro possessore possidere, primò quando iusto titulo, & bona fide possideat, prout est bonorum possessor, qui scilicet vel iustam causam habuit existimandi se bonorum possessorem esse, vel cum re vera bonorũ possessor esset, existimauit res quasdã ex ijs bonis esse, quæ tamen alienæ erant l. non solum §. 1. inf. de vsurpat. Secundò verò pro possessore quis possidere potest, quãdò mala fide possidet, & interrogatus cur possideat, respondet quia possideo, nec vllam causam possessionis afferre potest, vt hic in l. qui interrogatus, & dictum est superius num. 16. tradunt Vltràm. in comm. de verb. iur. in verb. pro possessore.

31 Prædo] prædo † dicitur, qui inuasit rē hæreditariam per vim, item prædo dicitur fur & raptor, dicitur tandem prædo, qui nullam causam possidendi habet vt per Odofr. hic, sed & aliàs quilibet iniustus, & malæ fidei possessor prædo vocatur l. si vrbana prædia inf. de cond. ir. indebit. l. si pi-
33 gnore §. si prædo i inf. de pignorat. act. † vndè etiam bonæ fidei possessor post petitam
34 hæreditatem prędo dici poterit, quia † post motam controuersiam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse l. sed & si lege, § si antè infr. hoc tit. nostro. Prædo etiam dicitur, qui tacitam fidem interposuit, vt nō capienti restitueret hæreditatem l. prędonis infr. eod.

35 Qui interrogatus] interrogatio † est remedium quoddam tollendæ dubitatiónis gratia in iudicijs necessario introductum, ne litigantes ob defectum probatio-
36 nis damnum sentiant, & ideò † interrogationes duplicem dicuntur habere effectū, alterum quia succedunt loco probationū, & ipsis litigatoribus deseruiunt, alterum quia instruunt animum iudicis de qualitate rerum vel personarum, vel temporis sæpè dubitantem, vt non possit dicere sententiam antequàm certior reddatur.

37 Vel per mendacium] idest † saltem per mendacium, ità etiam exponitur in l.
38 multum inf. de hæred. vel act. vend. † Mēdacium autē est aliud dicere, quàm scias, præsertim cùm alicuius detrimentum sequitur, & id criminosissimū erat apud Per-
39 sas, & in iure nostro velut delictum habetur l. si ex parte §. 1. infr. quod cùm eo qui in alien. potest. diciturquè mendaciū falsa significatio vocis cùm intentione fallendi secundum Diuum Augustinum c. Beatus Paulus 22. q. 2. gloss. in l. si de ætate §. si cū
40 esset infr. de interrogat. act. † cuius mendacij multa sunt genera, vt per Diuū Augustinum, qui octo genera mendacij diuersa proponit, de quibus in cap. primum 22. q. 2.

Nec vllam] aliam scilicet.

41 Fur] fur † dicitur ille qui furtum committit, qui etiam quandoquè dicitur, dùm crimen tantùm affectat, licet non perfece-
42 rit, † furquè dicitur græco sermone φώρ ac à ferendo idest auferendo, vt per Cuiac. lib. 6. obseruat. c. 2.

43 Raptor] raptor † dicitur aliàs, qui virginem, vel viduam, vel sanctimonialem rapit, & ei vim infert, vt in tot. titul. C. de rapt. virgin. in terminis autem text. nostri raptor propriè dicitur qui bona, & vires
44 alienas rapit & aufert, vt per Alciat. † furtiquè actione tenebitur l. si vendidero §. cum raptor inf. de furt.

Ad §. omnibus.

Omnibus etiam titulis hic pro possessore hæret, & quasi iniunctus est, deniquè & pro emptore titulo hæret, nam etsi à furioso emero sciens, pro possessore possideo. Itē in titulo pro donato quæritur, an quis pro possessore possideat: vtputà vxor, vel maritus, & placet nobis Iuliani sententia, pro possessore possidere eum: & ideò petitione hæreditatis tenebitur. Item pro dote titulus, recipit pro possessore possessionem, vtputà si à minore duodecim annis nupta mihi quasi dotem sciens accepi, & si legatum mihi solutum est ex falsa causa scienti, vtique pro possessore possidebo.

SVMMARIVM.

1 *Causa iniusta de iure nulla est.*
2 *Titulus pro emptore omnibus titulis iniustis & inutilibus hæret, & num. 8.*
3 *Aduersus titulo possidentem non datur petitio hæreditatis.*
4 *Titulus significat causas possidendi, & numero 17.*
5 *Titulus propriè loquendo dicitur honor, & dignitas.*

Cau-

6 *Causæ possidendi sunt eædem, quæ & iuris acquirendi.*
7 *Titulus dicitur à tuendo idest inspiciendo.*
8 *Possidens titulo iniusto, & inualido dicitur pro possessore possidere, & suprà nu. 1.*
9 *Emens scienter à furioso nihil agit.*
10 *Furiosus nullum negotium gerere potest.*
11 *Emens ignoranter à furioso possidet, & vsucapit pro emptore.*
12 *Emens ignoranter à furioso non potest conueniri petitione hæreditatis.*
13 *Donatio inter virum & uxorem prohibita est, & num. 24.*
14 *Matrimonium cùm impubere nullum est, & num. 30.*
15 *Dos sine matrimonio esse non potest, & n. 31*
16 *Verbum titulus, sumi potest propriè, & impropriè.*
18 *Pro emptore possidere quis dicatur.*
19 *Titulus pro emptore non transfert dominium, sed solum viam aperit ad vsucapiendum.*
20 *Furiosus quis dicatur.*
21 *Furiosorum duo sunt genera.*
22 *Sciens quis dicatur.*
23 *Pro donato quis possidere dicatur.*
24 *Maritus, & vxor dicuntur pro possessore possidere id, quod sibi inuicem donatum est.*
25 *Vir & vxor vnum corpus censentur.*
26 *Coniuges inter se dicuntur domestici, socij vitæ, & Diuini, humaniquè iuris consortes.*
27 *Iuliani I.C. encomia.*
28 *Pro dote possidere quis dicatur.*
29 *Res æstimata in dotem data vsucapitur pro emptore.*
30 *Minor duodecim annis de iure nubere non potest, & suprà num. 14.*
31 *Matrimonium potest esse sine dote, sed non è conuersò.*

CVm dictũ sit superius, illum dici pro possessore possidere, qui nullã causam possessionis dicat, modò hoc extenditur, vt verum sit, etiam si causam aliquam possessionis diceret, quæ tamen ex ipsa pronunciatione dicẽtis iniusta appareat,
1 iniusta enim † causa, & ipsa de iure nulla, est l. non dubium C. de legib. ideò hoc casu dicitur pro possessore possidere, vnde
2 Vlpian. I.C. hic in §. nostro ait, quod † titulus pro possessore omnibus titulis hæret, & quasi iniunctus est, omnibus scilicet titulis iniustis, & de iure inutilibus, vt ex exemplis inferius ponderãdis apparebit, nam qui iusto titulo rem hæreditariã possidet, non tenetur petitione hæreditatis,
3 cùm aduersus † titulo possidentem nõ detur petitio hæredit. tis l. hæreditatis C. hoc tit. nostro l. hæreditatem C. in quib. caus. cesset long. temp. præscript. dictum fuit superius in l. regulariter num. 7. & 18. hoc
4 cod. titul. † pro titulis autem intelligamus nos causas possidendi, & sic titulum sumamus per translationem, vt inquit Cuiac. hic in recitat. solemn. ad hanc l. nostram in princip. sicut inscriptio libri per translationem dicitur; propriè enim sumendo ti-
5 tulus † dicitur honor, & dignitas, vt per Cuiac. vbi supr. titulosquè possessionis vo
6 camus nos possidendi causas, † quæ quidẽ possidendi causæ eædem sunt, quæ & acquirendi eius, quod nostrum non est, vt pro emptore, pro donato, pro dote, pro legato, pro derelicto, & similes l. 3. §. penultimo infr. de acquir. possess. quæ habentur in l. 1. cum seq. inf. de public. in rem act. & indicãtur in titul. infr. pro emptor. pro donat. pro derelict. pro dót. pro legat. & simil. dicunturquè causæ isti tituli possessionum, vt in l. 1. inf. pro dot. in l. nullo C. de rei vendic. in l. hæreditatẽ C. in quib. caus. cess. long. temp. præscript. dictiquè sunt ti-
7 tuli † à tuendo, idest intuendõ, & inspiciẽdo, quia scilicet ex causa cuiusquè possessionis, tamquàm ex inscriptione tituli licet intueri, cuius generis sit possessio, de qua controuertitur, ut inquit Donell. lib. 19. commentr. iur. c. 13. col. 10.
8 Qui † itaquè possidens alleget se possidere aliquo titulo inualido, & nullo, dicitur possidere pro possessore, & per consequens tenetur petitione hæreditatis, & sic uera est conclusio Vlpian. I. C. hic, quod titulus pro possessore omnibus titulis (iniustis scilicet, & inualidis) hæret, & quasi iniunctus est, quam conclusionem quatuor excm-

exemplis comprobat, & primò in tit. pro
9 emptore, si enim † quis sciens à furioso emerit, nihil agit, a furioso enim venditore
10 nulla est emptio, † cùm furiosus nullum negotium gerere possit l. in negotijs infr. de reg. iur. hæres ergò si hunc emptorem conueniat pro restitutione rei hæreditariæ poterit contrà illum agere tamquàm contra eum, qui possidet pro possessore, cum titulus pro emptore nullus sit, & sic titulus pro possessore hæret titulo pro emptore, quandò iniustus & inualidus sit, secus verò si titulus pro emptore iustus & validus
11 esset, quia † nempè iste emerit à furioso ignoranter, tunc enim possidet, & vsucapit pro emptore l. 2. §. si à furioso inf. pro em-
12 ptor. † nec hoc casu cùm titulum habeat, quo possidet, conueniri potest petitione hæreditatis d. l. hæreditatis C. hoc titulo nostr. & d. l. hæreditatem C. in quib. caus. cess. long. temp. præscript.

Secundum exêplum tex. nostr. est in tit.
13 pro donato, scitis. n. † quod inter coniuges inf. de donat. inuicē est prohibita donatio l. 1. 2. & 3. int. vir. & vxor. modò si maritus ab vxore qd titulo donationis possideat, poterit ab hæredibus vxoris conueniri petitione hæreditatis, quia cum sit prohibita donatio inter coniuges, iē illam nō potest possidere pro donato, & sic titulus pro donato iniustus est, & inualidus, ideò eam rē dicitur possidere pro possessore.

Tertium exemplum quod assignatur est de titulo pro dote, si quis enim scienter matrimonium cùm impubere contrahat,
14 nihil agit, † quia cùm ea matrimonium non consistit §. 1. Instit. de nupt. Si itaquè ab ea impubere dotem accipiat, illa non
15 potest consistere titulo dotis † cùm dos sine matrimonio esse nequeat l. 3. infr. de iur. dot. fingamus modò hanc impuberem dotem dedisse, & nuptiis nondum perfectis decessisse, iste qui scienter cùm ea cōtraxit dicitur pro possessore possidere, & ideò hæredi ipsius sponsæ impuberis tenetur petitione hæreditatis, quia titulus pro dote est iniustus, & inualidus, secus verò si iustus esset, vt putà quia ignoranter cùm hac impubere contraxerit, eam puberem putans, tunc enim iustè possidebit pro dote, & cum titulum habeat, non poterit cōueniri petitione hæreditatis, vt per Cuiac. hic in recitat. solem. col. 3.

Quartum & vltimū exemplū tex. nostri est in tit. pro legato, si quis enim sciēs legatū indebitè acceperit, non poterit muniri titulo pro legato, quia scientèr indebitum accepit, hæredi itaq; tenetur petitione hæreditatis, cùm illud legatū pro possessore possideat, secus verò dicendū esset, si ignorans huiusmodi legatum acceperit, tunc enim munitur titulo pro legato, & per cōsequens petitione hæreditatis conueniri non potest, vt per Cuiac. vbi supr. d. col. 3.

Hic pro possessore] titulus scilicet,
16 & dictio † ista (titulus) sumitur propriè, & impropriè, propriè titulus est certa causa possidendi, ex qua potest procedere vsucapio, vel præscriptio, vndè quis propriè dicitur possidere titulo pro donato, pro empto, pro legato, & similibus, & sic sumitur in l. Celsus inf. de vsucap. & in tit. infr. Pro emptor. per tot. in tit. inf. pro donat. in
17 tit. pro legat. & similibus † quarè titulus ex mente Bart. in l. per diuersas C. mādat. re ipsa nihil aliud est, quàm causa contractus, & vt alij dicunt initium possidendi, impropriè verò titulus dicitur, cùm quis non habet iustam causam possidendi, ex qua procedere possit vsucapio, vel præscriptio, veluti cum quis possidet pro possessore, vt prædo, fur, raptor, & similes, de quibus est dictum suprà in l. pro hærede hoc tit. num. 15. & ità sumitur in l. si quis C. locat.

Hæret] titulus scilicet pro possessore.

18 Pro emptore] ille dicitur † pro emptore possidere, qui iure, ac nomine emptionis possidet l. 2. infr. pro empt. nec sufficit istum possessorem tantùm in ea opinione esse, vt putet se pro emptore possidere, sed debet etiam subesse causa emptionis, vt volunt Vltram. in commen. de uerb. iur. in verb. pro emptore, ille itaquè pro emptore possidet, qui rem alienam à non domino ignorans emit, pro eo enim habetur,
19 quasi empta esset, † & iste titulus pro em-

ptore non transfert domin um, sed viam dumtaxat, & aditum ad vsucapionem patefacit, vt per Vltram. vbi supra.

20 A furioso] furiosus † secundum Iurisconsultos dicitur ille, qui mētis ad omnia lumine, id est sensu cōmuni caret, vt aliàs superius diximus in l. 2. num. 11. de noss. testam. tradit Bald. in l. furiosi circà medium C. de nupt. & in l. humanitatis in 4. notab. C. de impub. & al. substit. & Ias. in

21 l. furio um, C. qui testam. fac. poss. † Duo autem sunt genera furiosorum in iure nostro, vnum eorum, qui in perpetuo furore sunt, qui vt ait I.C. in l. diuus Marcus supr. de offic. præsid. continua mentis alienatione omni intellectu carent l. cùm Prætor §. 1. supr. de iudic. l. si cum dotem §. si maritus infr. sol. matrim. alterum verò eorum, quorum furor intermissus est, & vt nostri loquuntur dilucida habet interualla, siuè, inducias d. l. si cùm dotē §. si maritus infr. solut. matrim. l. qui testamēto §. nè furiosus infr. qui testam. facer. poss. l. cùm alijs, C. de curat. furios. & l. furiosum C. qui testam. fac. possunt, text. noster intelligi debet de primo genere furiosorum, vel etiā de secundo quandò à furioso tempore dilucidi interualli facta sit emptio.

Sciens] vt etiam in l. 2. C. hoc tit. nostro, secus verò, si ignorans, vt in l. 2. §. si à

22 furioso inf. pro empt. † ille autem sciens dicitur, qui alicuius indicio rem agnoscit l. ait Prætor infr. quæ in fraud. credit. l. 1. §. scienti in int. de tribut. act.

Possideo] & sic ille titulus habetur pro titulo pro possessore, quarè sequitur, quod teneat petitione hæreditatis directa.

23 Pro donato] is † dicitur possidere pro donato, cui re vera donationis causa res tradita est, nec sufficit opinari, sed verè donatum esse oportet l. 1. infr. pro donat. l. 1. & 2. C. eodem.

24 Vel maritus] quod † vxor viro, vel maritus vxori donauerit pro possessore possidetur l. quod vxor inf. de acquir. poss. inter istos enim est prohibita donatio d. l. 1. cū seq. inf. de donat. int. vir. & vxor.

25 insimul † namquè vnum corpus censentur

26 l. 1. §. seruum mariti infr. de quæst. † vndè inter se domestici vocantur, & socij uitæ, Diuinique atquè humani iuris cōsortes dicuntur l. 1. infr. ad Syllaia. S. C. l. 1. inf. de rit. nupt. l. aduersus C. de crim. expil. hæredit.

27 Iuliani sententia] Iulianus † I.C. magni nominis fuit Saluius Iulianus dictus, Mediolanensis erat, & Didij Iuliani, qui post Pertinacem Imperium adeptus est, proauus extitit, de quo Spartianus ait, cū bis Consulem, Præfectum vrbi, & Iuriscōsultum fuisse, quod magis eum nobile fecit; Fuit Iauoleni auditor, & discipulus, ut ipsemet testatur in l. an apud se infr. de manum. vindi. idē Spartianus in Hadriano scribit Iulianū hūc semper ab Hadriano Imperatore in consilio adhibitū fuisse, cùm res iudicaret. Eutropius autem lib. 9. hūc ipsum sub eodem Imperatore Hadriano perpetuum edictum composuisse scribit, quod posteà Iustinianus confirmauit in l. 2. C. de uet. iur. enucl. ubi Iulianum hunc legum, & edicti perpetui sublimissimum conditorem appellat, itemquè in l. penult. C. de condict. indeb. Iulianum sublimissum testem, summæquè auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorem scribit, & in l. antequàm C. de usufruct. hunc summum iuris scientiæ auctorem nominat.

28 Pro dote] Ille † pro dote, possidet, cui res aliena inæstimata dotis nomine post iustas nuptias tradita est l. 1. & passim in tot. tit. infr. pro dot. ideò autem dictum est

29 inæstimata, † nam res æstimata pro emptore usucapitur l. plerumquè §. antè & l. quoties infr. de iure dot. & l. 1. C. pro dot.

30 Nupta] de facto scilicet, quia † minor duodecim annis nubere de iure nō potest §. 1. Instit. de nupt. quarè aliqui loco illius uerbi (nupta) legunt nuptura.

Quasi dotem] quia si non est matri-

31 monium ergò non est dos, † licet enim matrimonium possit esse sine dote, è conuersò tamen dos sine matrimonio esse nō potest l. 3. infr. de iur. dot. l. penult. C. de donat. propt. nupt.

Ad §. Is autem.

Is autem, qui restituit hæreditatem, teneri hæreditatis petitione non potest: nisi dolo fecerit, idest si sciens restituit. Nam & dolus præteritus venit in hæreditatis petitionem: qua si dolo desierit possidere.

SVMMARIVM.

1 *Petitione hæreditatis non conuenitur, qui hæreditatem rogatus restituit.*
2 *Restituens hæreditatem fideicommissario mala fide, vtili petitione hæreditatis tenetur.*
3 *Possidere videtur, qui dolo desijt possidere.*
4 *Dolus præteritus venit in petitione hæreditatis.*
5 *Dolus præteritus venit in actione speciali in rem.*
6 *Qui dolo desijt possidere hæreditatẽ ad æstimationem hæreditatis tenetur.*
7 *Grauatus onere fideicommissi tenetur restituere hæreditatem.*
8 *Restituere quid sit, & quid significet.*
9 *Dolus quis dicatur.*
10 *Dolus dupliciter considerari potest.*
11 *Dolus dicitur esse fons omnium criminum.*
12 *Crimen sine dolo non consideratur.*

COontinuat I. C. tractatum de personis contrà quas detur petitio hæreditatis, & quærit hic de eo, qui hæreditatem restituit, an teneatur petitione hæreditatis, cũ hoc §. concordat tex. in l. etiam §. item si quis dolo in l. sed & si lege §. quod ait, §. si antè in fin. & §. perinde inf. hoc eod. tit. & in l. fin. §. penult. inf. de fideicom. hæredit. petit.

1 Qui † hæreditatem quam restituere rogatus erat, restituit, nõ debet posse cõueniri petitione hereditatis, eà ratione, vt inqt Cuiac hic in recitat. solemn. ad hunc text nostrum, quia non possidet hanc hæreditatem, eamquè fideicommissario restituendo, credens se ad id teneri bona fide desijt possidere, vndè non debet posse conueniri petitione hæreditatis, ex quo sequitur,
2 † quòd si mala fide eam desierit possidere, sciens scilicet nullum esse illud fideicommissum, sed testamentum, vel falsum, vel inofficiosum esse, nihilominus tamen hæreditatem restituere voluit, tunc debet teneri petitione hereditatis vtili tamen, non directa, vt explicat Castr. hic per tex. in l. electio §. si is inf. de noxal. act. quæ vtilis succedit loco directæ, cùm verè iste non possideat, & ratio est, quia dolo desijt pos-
3 sidere, † & qui dolo possidere desijt, possidere videtur vt inf. in l. etiam §. item si qs
4 dolo hoc tit. nostr. † Dolus autem præteritus venit in petitione hereditatis, vt hic in tex. nostro, & per Cuiac. hic in recitat. solemn. in fin. huius legis, quemadmodum
5 in simili videmus, † quod etiam dolus præteritus venit in actione speciali in rem l. sin autem §. sed & inf. de rei vendicat. sed
6 dubium nascitur, † ad quid teneatur iste, qui iam restituit, & dolo possidere desijt, ad æstimationẽ autem hereditatis respondet Castr. per tex. in d. l. electio §. si is infr. de noxal. act.

Is autem] qui scilicet institutus fuit in testamento aliàs nullo, uel falso, uel inofficioso.

7 Qui restituit] cum † esset grauatus onere restitutionis, & sic fideicommissi,
8 † Restituere autem est retro statuere ita Bræcheus in l. plus est inf. de uerb. significat. significat enim idem quod ἀποδιδόναι idest reddere, ut per Bræch. in l. uerbum reddendi inf. de uerb. signific.

Nisi dolo,] & sic fraudulenter resti-
9 tuerit, † dolus autem dicitur omnis calliditas, fallacia, macchinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alte-
10 rum adhibita l. 1. infr. de dol. † qui dolus dupliciter considerari potest uerè nempè, & præsumptiuè, uerus dolus est, qui manifestis, & perpetuis iudicijs probatur l. dolus C. de dol. præsumptus est q̃ non apertè probatur, sed præsumitur ex præsumptione iuris, ut per Bart. in l. quod Nerua infr. deposit.

11 deposit. † qui dolus siue verus, siue pręsumptus dicitur esse fons omnium planè criminum, imò † sine dolo nullum crimen
12 censeri solet l. 1. C. ad l. Cornel. de sicar.

Si sciens] testamentum scilicet nullum esse restituit.

Ad l. xiv. & xv.
Idem.

Neratius lib. sexto membranarum scripsit, ab hærede peti posse hæreditatem, etiam si ignoret pro hærede, vel pro possessore defunctum possedisse.

Idem esse lib. vij. ait.

Etiam si putauit hęres eas res ex hac hęreditate esse, quę sibi delata est.

§. Quod si quis hæreditatem emerit, an vtilis in eum petitio hæreditatis debet dari, ne singulis iudicijs vexetur? venditorem enim teneri certum est. Sed finge nō extare venditorem, vel modico vendidisse, & bonæ fidei possessorem fuisse: an porrigi manus ad emptorem debeant? & putat Caius Cassius dandam actionem vtilem. Idem erit dicendum, & si paruo precio iussus vendere hęres Titio hæreditatem vendidit. Nam putat dicendum Papinianus aduersus fideicommissarium dari actionem, Ab hærede enim peti non expedit perexiguum precium habente.

§. Sed & si retenta certa quantitate restituere rogatus sit, idem erit dicendum.

§. Planè si accepta certa quantitate restituere rogatus est, non putat Papinianus ab hærede petendam hæreditatem: quoniam pro hærede, quod conditionis implendæ gratia accepit, non possidet.

§. Sed Sabinus in statu libero contrà, & verius: quia pecunia hæreditaria est.

§ Idem & in eo, qui solos fructus ex hęreditate retinet, dicendum erit, tenetur enim, & is hæreditatis petitione.

SVMMARIVM.

1 *Hæres illius qui pro hærede, vel pro possessore possidebat, licet titulum verum hæredis habeat, potest tamen conueniri petitione hæreditatis.*
2 *Hæres repræsentat personam defuncti.*
3 *Hæres potius conuenitur ex persona defuncti, quàm sua.*
4 *Possidens pro hærede, vel pro possessore, directò petitione hæreditatis conueniri potest.*
5 *Titulus pro hęrede, & titulus pro possessore propriè non sunt tituli in materia petitionis hęreditatis.*
6 *Duæ hæreditates considerantur in casu huius textus.*
7 *Hęres iuris interpręstatione est eadem persona cum defuncto.*
8 *Hęres non debet esse magis priuilegiatus, quàm fuerit defunctus.*
9 *Qui in ius alterius succedit, iure eius vti debet.*
10 *Ad hęredem nihil amplius iure hæreditario pertinere potest, quàm habuerit is cui successit.*
11 *Qui in ius alterius succedit non debet plus iuris habere, quàm ille, cui successerit.*
12 *Quis nō potest esse dominus alicuius rei nisi ex vna causa.*
13 *Eamdem rem quis ex pluribus causis possidere potest.*
14 *Emptor hęreditatis vtili petitione hęreditatis conueniri potest, & quando & nu. 16. 22. & 25.*
15 *Hæres dicitur habere titulum vniuersalem.*

Em-

16 *Emptor hæreditatis habet titulum particularem.*
17 *Agens rei vendicatione debet probare dominium.*
18 *In petitione hæreditatis quid probandum sit.*
19 *Hæres fit aut à testatore ex testamento, aut à lege ab intestato.*
20 *Emptor hæreditatis vices hæredis tenet, & pro hærede habetur, & num. 26.*
21 *Emptori hęreditatis vtiles actiones competunt aduersus debitores hęreditarios.*
23 *Pro possessore habetur, qui dolo possidere desijt.*
24 *Precium succedit loco rei.*
27 *Venditor hęreditatis pro modico precio non tenetur petitione hęreditatis, nisi in quãtum factus est locupletior. & num. 41.*
28 *Fideicommissarius vtili petitione hęreditatis tenetur, & num. 30.*
29 *Fideicommissarius ex Trebelliano S.C. vices hæredis tenet.*
31 *Pecunia accepta per hæredem à fideicommissario pro restitutione hęreditatis non dicitur hæreditaria.*
32 *Hęres petitione hęreditatis conueniri potest in eo, quod à statu libero accepit.*
33 *Neratij I.C. laudes, & gesta.*
34 *Membrana quid sint.*
35 *Notarij debent conficere instrumenta in membranis.*
36 *Emptor malæ fidei habetur pro possessore.*
37 *Emptionis origo.*
38 *Emptio quid sit.*
39 *Actiones vtiles quare ità dicantur.*
40 *Venditor ponitur pro emptore, & è conuersè.*
42 *Caij Cassij I.C. gesta, & encomia.*
43 *Precium quid sit.*
44 *Precium vnde dictum fuerit.*
45 *Fideicommissarius non est hęres defuncti, sed interpositus hęres dicitur.*
46 *Quantitas quid sit, & quomodo à speciebus differat.*
47 *Rogare quid sit.*
48 *Sabini I.C. laudes, & gesta.*
49 *Statu liber quis sit.*

FIrmatum fuit aliàs superius, quod contrà titulo possidentem non datur petitio hæreditatis l. hæreditatis C. hoc tit. nostro, & l. hæreditatem C. in quib. caus. cess. long. temp. præscript. modo I.C. demonstrat, quod etiam quandoquè hæc petitio hæreditatis competit aduersus eum, qui titulo iusto possideat, quòd quidem varijs modis euenit, nàm aliàs directò datur hęc petitio hęreditatis, & de hoc casu tractatur hic in l. Neratius, aliquandò verò vtilitèr datur, & istud pluribus casibus euenit, de quibus tractatur in l. etiam cum textibus sequentibus vsquè ad §. si quis sciens. Hic autem antequàm vlterius pgrediar illud sciatis velim, quod in Pandectis florentinis istæ duæ leges nostrę de per se non habentur, sed continuantur super eadem lege de qua suprà, quæ incipit Nec vllã causam, istæquè leges nostrę pro Paragraphis ponuntur, qui continuant vsquè ad l. sed vtrùm.

1 Primus itaquè casus est quando † quis
verè hæres sit illius, qui dùm viueret quid
alienum pro hærede, vel pro possessore
possidebat, & per consequens conueniri poterat petitione hæreditatis, vt hic
in l. Neratius, cùm qua concordat tex. in l.
2. C. hoc tit. nostro; Et sic directa petitio
hæreditatis contrà eum intentatur, sicut
2 contrà defunctũ si viueret daretur, † cùm
hæres iste licet verè, & iusto titulo possideat, repræsentet personam ipsius defuncti §. 1. in Auth. de iure iur. à mor. præstit.
3 † ex cuius persona potius, quàm ex ppria
conuenitur, poterat enim defunctus hac
4 actione directò conueniri † quia possidebat pro hærede, vel pro possessore, vt supr.
in l. regularitèr hoc tit. nostro; Vndè dicitur, quod hęres iste dupliciter possidet, primò tanquàm hæres defuncti simpliciter, & iste titulus verus est, & validus, & excludit petitionem hæreditatis de rigore iuris, secundò tamquàm hæres illius defuncti, q reputabat se hæredem, & iste titulus non est verus, cùm ille possideret pro hærede,
5 vel pro possessore, † qui proprîè non sunt
tituli in hac materia petitionis hæreditatis, & ideò in eis hæc actio locum habet,

Quare

6 Quare Odofred. hic dicebat, † quod in casu legis nostræ duæ considerari debent hæreditates, vna defuncti, quam hæres vti verus hæres possidet, & de ista non potest conueniri petitione hæreditatis, altera verò est hæredita alienæ quam defunctus pro hærede possidebat, sicut ergò defunctus pro hærede hoc casu conueniri poterat petitione hæreditatis, ità & hæres ex ipsius defuncti persona conueniri potest, siuè credat res illas ex hæreditate defuncti, siuè non, vt hic & in l. seq. §. idem, & ità tenetur etiam si ignoret pro hærede, vel pro possessore defunctum possedisse,
7 cùm † iuris interpretatione sit eadem persona cùm defuncto, vt in princip. in Auth.
8 de iur. iur. à mor. præstit. † nec hæres magis priuiligiatus esse debeat, quàm defun-
9 ctus l. fiscus infr. de iur. fisc. † qui enim in ius alterius succedit, iure eius vti debet l. qui in ius infr. de regulis iuris, vndè dici-
10 tur quòd † ad hæredem nihil amplius iure hæreditario pertinere potest, quàm habuerit is, cui successit l. hæreditas, & l. qui in ius infr. de regulis iuris, & absurdum
11 esset, † eum qui in ius alterius succedit plus iuris habere, quàm auctorem suum l. si mulier (l'vltima) §. primo infr. ad Velleian. S. C. firmat Facchin. libro primo controuersiarum iuris capitulo quarto, Et sic notemus, quòd directa petitio hæreditatis hoc casu datur, sicut daretur contrà defunctum si viueret, cùm hæres eius persona fungatur, licet possideat vero, & valido titulo, & ità ex mente Odofred.
12 hic colligamus, quod licet † quis non possit nisi ex vna causa alicuius rei dominus
13 esse l. ex pluribus infr. de reg. iur. † potest tamen ex plurimis causis possidere l. possidere §. si ex pluribus infr. de acquir. poss. quod apertè colligitur hic ex l. etiam, dùm in verbis dicit; Etiam si putauit hæres eas res ex hac hæreditate esse, quæ sibi delata est, dum enim dicit sibi delatam hæreditatem, innuit se verum hæredem esse, & ex ea causa se possidere, dùm verò inquit, Si putauit eas res ex hæreditate esse significat eas possessas esse tamquàm hæreditarias, cùm ex ea hæreditate non sint, & sic cùm ex aliena hæreitate sint, apertè dicere videtur, eas pro hærede possideri, vt doctissimè considerat Donell. libro decimonono commentariorum iuris capitulo 12. col. 9.

Secundus casus in quo qui titulum verum habet, nihilominus petitione hæreditatis conueniri potest ponitur hic in §. quod si quis hæreditatem, cùm quo concordat tex. in l. item veniunt §. præter hæc infr. hoc titulo nostro, & est casus de eo, qui habet titulum particularē in tota hæ-
14 reditate, de qua controuersia sit, † potest enim vtili petitione hæreditatis conueniri, & hæc est differentia inter primum casum superius propositum, & casum §. nostri, nam in casu superiori ille qui conuenitur habet titulum vniuersalem,
15 † cùm hæres sit, & conuenitur directa petitione hæreditatis, in casu autem §.
16 nostri habet titulum particularem, † quia emit hæreditatem; & conuenitur non directa, sed vtili petitione hæreditatis, siuè bona fide possideat iste, qui conuenitur, siuè mala fide, vt hic in §. §. sequentib. loquitur I. C. Qui itaquè emit hæreditatem ab eo qui res alienas pro hærede, vel pro possessore possidebat potest conueniri petitione hæreditatis, & ratio est commodum tum agentis, tùm ipsius possidentis, actoris commodum est ex mente Castr. hic, nè agere volens cogatur recurrere ad rei vendicationem in
17 singulis rebus, & † sic necesse habeat probare dominium, quod quidem difficile est, nec in petitione hæreditatis pro-
18 batur, sed tantùm probare sufficit, † quod defunctus mortis suæ tempore tenebat, & possidebat, vel quod res, quæ petuntur fuerunt in hæreditate repertæ, vt in l. & non tantùm infr. hoc titulo nostro, quod de facili probari potest, commodum est etiàm possidentis, vt in tex.

nostro, ne singulis iudicijs rei uendicationis uexetur, & ita lites deminuantur, ut in l. quidam infr. si cert. petat. Hoc tamen debet declarari, vt verum sit non de directa petitione hæreditatis, sed de vtili, vt hic in tex. nostro, directa namque conueniri non potest, quia non possidet nec pro possessore, nec pro hærede iux. l. regulariter supr. hoc titulo nostr. pro possessore non possidet, quia iustam causam suæ possessionis allegat emptionem nempè, Pro hærede nec etiam possidet, quia
19 se emptorem dicit non hæredē, † & hæres solum quis fieri potest à testatore ex testamento, & à lege ab intestato, non autem ex conuentione §. fin. Institut. per quas person. nob. acquirit. l. hæreditas C. de pact. conuent. vtili itaque petitione hæ-
20 reditatis cōueniri potest, † quia vicem hæredis tenet l. 2. §. penult. infr. de hæredit. vel act. vendit. emptorq; hæreditatis quodammodò hæres habetur, vt per Gothofr.
21 hic in not. † vndè ei utiles actiones aduersus debitores hæreditarios competunt l. emptor C. de hæredit. vel act. vendit.

Limitatur autem hæc conclusio huius secundi casus, vt non procedat in eo casu,
22 † quando petitori, & agenti res salua esse possit à venditore, non enim potest agere contrà emptorem, venditor enim regulariter tenetur, vt in tex. nostro, & quidem directa petitione hæreditatis, siue malæ fidei possessor fuerit, siue bonæ fidei, nam si malæ fidei sit, quia sciat hæreditatem ad se non pertinere, & eam vendat, desi-
23 nit dolo possidere, † quarè perpetuò pro possessore habetur, vt infr. in hac eadem l. §. Item si quis dolo l. sed & si lege §. primo infr. eod. & ideò semper conueniri poterit, vt dictum fuit supr. in l. nec vllam §. is qui restituit numero tertio hoc titulo nostro, si autem bonæ fidei sit, quia putabat hæreditatem ad se pertinere, & eam vendidit, adhuc tamē debet teneri hac petitiōne hæreditatis, siue precium iam con-
24 secutus sit, † quod succedit loco rei l. si & rem infr. hoc titulo, siue habeat actionem ad id consequendum l. quod si in diem §. Idem Iulianus infr. eod. vtrumquè enim istorum venit in petitione hæreditatis, vt per Donell. d. libro 19. comment. iur. ciuil. capitulo decimoseptimo, col. 13. quia tamen euenire potest, vt non expediat actori agere contrà venditorem, vt quia venditor absit, nec certum ast, quando reuertatur, vel præsens sit, non tamen sit soluendo, vel modico precio distraxerit, & bonæ fidei possessor fuerit, his ergò casibus ommisso venditore manus porriguntur inquit tex. noster ad emptorem hæreditatis, qui vtili petitione hæreditatis tenetur.

Tertius casus in quo petitio hæreditatis datur contrà titulo possidentem est in
25 emptore hæreditatis, † cui hæres in testamēto iussus fuit hæreditatem modico precio uendere, iste enim emptor hæreditatis hoc casu petitione hæreditatis conueneniri potest, ut hic in d. §. quod si quis hæreditatem in uersic. idem erit dicendum, & hoc eadem ratione maioris commodi tùm agentis, tùm etiam ipsius possidentis, ut superius mox mox dictum fuit numero decimosexto, & id intelligamus utilitèr non directò, cum ipse non possideat pro possessore, titulum enim emptionis habet, nec etiam possideat pro hære-
26 de, quia emit, cùm † tamen uices hæredis teneat l. secunda, §. penult. infr. de hæredit. uel act. uendit. ideò utili petitione hæreditatis conueniri potest, non autem hoc casu contrà uenditorem agi debet, cum actori istud non expediat propter modicitatem precij, quo uendidit ipsam
27 hæreditatem, ex quo † non debet teneri, nisi in quantum est factus locupletior, ut per Odofr. hic.

Quartus casus est de fideicommissario, cui hæres in testamento iussus fuit hæreditatem restituere retenta sibi certa
28 portione, iste namquè † fideicommissarius ad instar emptoris hæreditatis de quo supra utili petitione hæreditatis conueniri potest, ut hic in §. sed & si retenta, non autem directa

directa conueniri potest, cum pro pos-
sessore non possideat, honestam namquè
suæ possessionis causam assignat, nec e-
tiam possidet pro hærede, quia ex restitu
tione precedente non hæres, sed fideicom
29 missarius est, † sed quia ex Trebelliano
S.C. uices hæredis tenet §. restituta Instit.
de fideicomm. hæredit. ideò uidetur pro
hærede possidere, ut per Donell. d. lib. 19.
comment. iur. c. 12. col. 13. & per conse-
quẽs utili petitione hæreditatis debet pos
se conueniri.

Quintus casus paritèr est de fideicom-
30 missario, † cui ex iussu testatoris hæredi-
tas est restituenda, soluta tamen certa
quantitate hæredi, iste namquè fidei-
commissarius debet teneri vtili petitio-
ne hæreditatis eadem ratione de qua su-
prà in casu antecedenti, quià uices hære-
dis tenet, & uidetur pro hærede possidere,
hæres autem qui restituit non debet tene-
31 ri, quia † pecunia ab eo accepta nõ est hæ-
reditaria, nec quidquam ex hæreditate
ipse habet ut per Odofr. hic, quòd non est
in alio casu sequenti.

Sextus itaquè succedit casus hic propo
32 situs, † si enim hæres qui institutus fuit
aliquid capiat à statu libero, à seruo nem-
pè, qui iussus fuerit liber esse, si certũ quid
hæredi dederit, tunc enim hæres utili peti
tione hæreditatis, quamuis titulũ habeat,
poterit conueniri in eo, quòd à statulibe-
ro accepit gratia cõditionis implendæ, di-
citur enim hæreditarium, vt per Odofr.
hic.

Septimus & vltimus casus est de eo, qui
retentis fructibus rogatus fit hæreditatem
restituere, licet enim titulum iustum ha-
beat, conueniri tamen potest vtili petitio-
ne hæreditatis, sicut & ille cui hæreditas
est restituta, vt per gloss. hic.

33 Neratius] Priscus † Neratius à Pom-
ponio inter Iuris consultos numeratur, flo
ruit sub Traiano Imperatore, traditurquè
Pegasianam sectam cum Iulio Celso filio
tenuisse, & cùm eo Consulatum gessisse,
de hoc Neratio Spartianus in Andriano
sic scribit; Frequens sanè opinio fuit
Traiano id animi fuisse, vt Neratiũ
Priscum, non Hadrianum successo-
rem relinqueret multis amicis in
hoc consentientibus, vsquè eo, vt
Prisco aliquandò dixerit, Commen-
do tibi prouinciam, si quid fatale
mihi contigerit, & paulò post idẽ sub-
dit, Cum Hadrianus iudicaret in
consilio, habuit non amicos suos,
aut comites solùm, sed Iuris consul-
tos, & præcipuè Iulium Celsum,
Neratium Priscum, aliosquè quos
tamen Senatus omnis probasset, quod
etiam dixit Politianus libro 4. epist. epist.
9. Consul fuit, vt in l. is qui inf. ad l. Cor-
nel. de fic. & inter multa commentaria,
quæ relliquit de quibus sparsim in iure no-
stro mentio fit, librum de nuptijs compo-
suisse testatur Gellius libro quarto noct.
Attic. capitulo quarto, vbi etiam de consu-
latu mentionem habet.

34 Membranarum] membranæ † di-
cuntur cartæ ædinæ, quæ à membris ani-
malium ità nuncupantur, vt per Odofr.
hic, Membrana autem est tenuior anima-
lium pellis, corium verò crassior, soletquè
35 † Notarijs, ac tabularijs in ipso Sacramen
to iniungi secundùm Specul. vt instrumen
ta in membranis conficiant, si tamen in
Papyro sint conscripta, non per hoc læ-
duntur iura partium teste Viglio in §. ni-
hil autem interest Institut. de testamen.
ordin. quamquam hoc proficiat ad me-
moriæ custodiam, quæ materia est du-
rabilior.

Ab hærede] eius scilicet, qui pro
emptore, vel pro possessore possidebat,
siuè sciat, siuè ignoret mentem defun-
cti l. 2. C. hoc tit. nostr.

Delata est] nón ex hæreditate quam
defunctus possidebat pro hærede vel pro
possessore.

Hæreditatem] alienam scilicet.

36 Emerit] nēpè bona fide, † nam si mala fide habetur pro possessore, vt inf. in §. si quis sciens, emptio autem est contractus 37 notissimus, tritissimusquè † cuius origo à permutationib. fluxit, olim enim non aderat nec pecuniæ vsus, neque alliud preciū, aliud merx vocabatur, sed vnus quisquè secundum necessitatum temporum vtilibus inutilia permutabat, cùm vt plerumq; eueniret, id quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper nec facilè istud eueniebat, vt cùm tu haberes quod ego desiderarem è conuerso ego haberem, quod tu accipere veles, electa est materia, quæ difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis suppleret, & hæc materia forma puplica excussa vsum rerum necessariarum præbet, quarè factum est, vt precium dicatur, cùm alia merx sit l. 1. infr. de contrah. empt. & hæc fuit origo comptio- 38 nis, † quæ emptio nihil aliud est, quàm contractus iuris gentium nominatus, quiquè consensu perficitur, quo res aliena nobis certo precio datur.

An vtilis] vtilis ideo dicitur, quia (sicut etiam, & reliquæ vtiles actiones) cōtrà iūris stricti rationem vtilitatis, idest 39 æquitatis causa conceditur, indèquè † vtiles actiones nomen inuenerunt.

40 Venditorem enim] vēditor † quādoquè ponitur pro emptore, & vice versa l. veteres infr. de act. empt. l. sed hoc nomine infr. de euict. l. vnic. C. si seru. exter. se em. mendau. notat. Alberic. Accursium secutus, dicens, quod olim doctissimi legislatores confuderint significationem emptoris, & venditoris, in tantùm quòd Gaius in l. veteres infr. de act. empt. dixerit, quòd veteres in emptione, venditionequè appellationibus promiscuè vtebantur, quod quemadmodùm sit accipiendum docet Alciat. libro tertio parerg. capitulo 12.

Vel Modico vendidisse] quo casu iusta causa est, vt contrà venditorem 41 non agatur, † non enim debet teneri, nisi in quantùm locupletior factus sit, vt per Odofr. hic.

42 Caius Cassius] iste † Caius Cassius Longinus, qui sub C. Caligula floruit à Pomponio in l. 2. supr. de orig. iur. inter Iurisconsultos enumeratur, traditurquè eum Massurio Sabino successisse, sicut & Neruæ Proculus successit, apud quos secta tandem recessit, & Proculianorum, Cassianorumq; nomine appellari cæpit, vt tradit Eberlin. de orig. iur. c. 44. n. 1. Vndè Plin. epist. libro 7. epist. 24. in fin. hunc Cassianæ scholæ principem dicit, cumquè natū ex filia Tuberonis traditur, quæ Seruij Sulpitij neptis fuit, & ideò iste Seruiū Sulpitium proauum suum appellat, Hunc Aggenus Vrbicus ad Iulium Frontinum, virum prudentissimum nominat. Consul fuit cum Marco Vincio Quartino temporib. Tiberij Imperatoris anno scilicet vrbis DCCLXXXIII. & ità anno post quo Cristus Saluator noster Cruci ꝑpter scelera nostra affixus fuit Tertulliano auctore, quemadmodū annales Consulum ostendunt: plurimum autem auctoritatis in vrbe habuit iste Caius Cassius, donec à Cæsare ab ea expulsus fuit, & in Sardiniā deportatus, Cornel. Tacit. lib. 12. scribit hūc Imperante Claudio post Vitellium Syriæ præfuisse, quod tradit Ioseph. libro 15. antiquit. Iudic. cap. 14. & subdit Tacit. hunc ea tempestate cœteris peritia legum præcelluisse; Idem libro 16. refert Neronem missa ad Senatum oratione, remouēdum à Republica Cassium disseruisse, obiecisseque Cassio, quòd inter imagines maiorū etiam Caij Cassij percussoris Cæsaris effigiem coluisset ità inscriptā DVCI PARTIVM, quod idē Sueton. in Nerone scriptum reliquit, adijcitquè eumdem Cassiū tunc lumininibus orbatum fuisse, tumq; Senatus consulto ei exilia decernuntur, & in Insulam Sardiniam deportatur, reuocatus tamē à Vespasiano statim diem suum obijt; Et iste Caius Cassius alter fuit ab eo C. Cassio Longino, qui hunc præcessit ultrà centum, & quinquaginta annos, & Consul cum C. Sextio Caluino fuit annó vrbis DCXXIX. de quo Paterculus meminit libro 1. pag. 21. item alter fuit ab eo qui cùm P. Licinio Crasso consul fuit,

cuius meminit Plin. lib. 7. cap. 4. vt tradit Euerdin. de orig. iur. d. capitulo 44. nu. 2. in fin.

Idem erit dicendum] & hic est tertius casus in quo petitio hæreditatis datur contrà titulo possidentem.

43 Et si paruo precio] precium † autē est, quod pro re empta datur, & æstimationis, emptionisquè causa constituitur,
44 † dictumq; fuit precium, vt voluit Varro à solis peritis, siquidem hi dumtaxat id facere rectè posfūt, vt inquit Iacob. Reuard. in l. imaginaria venditio infr. de reg. iur. Alij vero volunt precium dictum esse ab antiquo verbo procire, quod petere significat, Grammatici verò pretium dici quasi preitium sentiunt, & illud denotanr per litteram t. sed malè secundum Alciat. qa per litteram c. scribit debet.

Iussus vendere] ut puta in testamēto inofficioso, ut explicat Odofr. hic.

Fideicommissarium] eum scilicet, qui de manu hæredis hæreditatem acce-
45 pit, † qui quidem non est hæres defuncti, nec defuncto continuatione successionis iungitur, sed est interpositus hæres, & ab hærede directo, aut legitimo relictum sibi fideicommissum capit Connan. lib. 9. comment. iur. ciuil. capitulo sexto, num. octauo.

Sed & si retenta] quartus hic ponitur casus, quo datur petitio hæreditatis contrà titulo possidentem.

Certa quantitate] pecuniæ nempè
46 vel alterius rei, † quantitates autem appellantur, quæ pondere, numero, & mensura constant, quæ longè à speciebus differunt, nam quantitates singulæ propriam speciem non habent, sed communi specie continentur l. cùm stichus infr. de sólut.

Rogatus sit] & ità grauatus sit one-
47 re fideicommissi, † Rogare autem intelligitur testator fideicommissum inducens, dùm nequè hunc, nequè illum rogat, sed quid omninò fieri velit, ostendit, itaquè omnes rogare videtur l. cam quam C. de fideicom. tradit Anton. Goucan. lib. 1. var. lect. cap. 1.

Planè si accepta] eccę quintus casus, quo petitio hæreditatis contrà eum intentatur, qui titulo possideat.

Sed sabinus] nunc sextus casus vt
48 suprà incipit; † De hoc autem Malurio Sabino I. C. meminit Pomponius, inquitquè eum Atteio Capitoni si ecessisse, ac in equestrem ordinem à Tiberio Cæsare, (cuius temporibus floruit) iam natu grandiorem, ac prope quinquagenarium receptum fuisse, & publicè primum de iure respondendo scripsisse, Cui nec amplæ facultates erant, sed plurimùm à suis auditoribus sustentatus fuit; Eius libri citantur, à Gellio, & Macrob. multis in locis.

In statu libero] idest iusso libero,
49 † statu liber est, qui testamento certa conditione proposita liber esse iubetur l. 1. infr. de stat. liber. & si per hæredem stat quominus statu liber præstare possit, quod præstare debet, nihilominus liber esse videtur, vt per Connam. libro secūdo, comment. iur. ciuil. capitulo quarto, numero 19.

Pecunia hæreditaria est] colligamus differentiam inter pecuniam acceptam per hæredem à fideicommissario, & à statu libero, hæc enim hæreditaria est, illa verò non, vt per Odofr. hic.

Idem & in eo] ecce vltimus casus quo qui titulo possidet conueniri potest.

Hæreditatis petitione] vtili scilicet.

Ad §. si quis sciens, cum duob. sequentib.

§. Si quis sciens alienam emerit hæreditatem: quasi pro possessore possidet: Et sic peti ab eo hæreditatem quidam putant. Quam sen-

sententiam non puto veram. nemo enim prædo est, qui precium numerauerit: sed vt emptor vniuersitatis vtili tenetur.

§. Item si quis à fisco hæreditatem quasi vacantem emerit: æquissimum erit, vtilem aduersus eum dari.

§. Apud Marcellum libro quarto Digestorum relatum est: si mulier hæreditatem in dotem dedit, maritum pro dote quidem possidere hæreditatem: sed petitione hæreditatis vtili teneri: sed ipsam mulierem directa teneri, Marcellus scribit, maximè si iam factum diuortium est.

SVMMARIVM.

1 *Emens alienam hæreditatem mala fide, indistinctè vtili petitione hæreditatis conueniri potest cùm num. seq.*
2 *Differentia assignatur inter §. quod si quis hæreditatem huius legis, & §. nostram.*
3 *Mala fides alicui prodisse non debet.*
4 *Emptor vniuersitatis bonorum vicem hæredis tenet.*
5 *Malæ fidei possessores in numero prædonum habentur.*
6 *Prædo non est qui preciū numerauit, & rem habuit à venditore.*
7 *Prædo est, qui numerato precio rem propria auctoritate occupat.*
8 *Emens hæreditatem à fisco tamquam vacantem, quæ tamen non erat vacans, vtili petitione hæreditatis conueniri potest.*
9 *Emens rem particularem à fisco statim securus est.*
10 *Maritus qui ab vxore alienam hæreditatem in dotem accepit tenetur petitione hæreditatis.*
11 *Matrimonio durante maritus est dominus dotis.*
12 *Aliena negotia dicuntur, quorum exitus commodum, aut incommodum alijs affert.*
13 *Dictio (quasi) exponitur idest tamquam.*
14 *Precium esse non potest nisi pro aliqua re sit constitutum.*
15 *Precium quomodò à re discernatur.*
16 *Emptor quomodò à venditore cognoscatur.*
17 *Vniuersitas ponitur pro vniuersitate bonorum, prout hæreditate, & castrensi peculio.*
18 *Fiscus quid sit remissiue.*
19 *Vacans hęreditas, quę dicatur.*
20 *Bona vacantia ex l. Iulia ad fiscum deferuntur.*
21 *Vacantia bona quomodo dicantur.*
22 *Marcelli I.C. laudes, & encomia.*
23 *Verbum, mulier, exponitur idest vxor.*
24 *Mulier vndè dicatur.*
25 *Maritus propriè dicitur quis post contractas nuptias, antè verò sponsus appellatur.*
26 *Maritus ab vxore nobilitatem recipit, & radijs vxoris dicitur corruscare.*
27 *Diuortium quid sit.*
28 *Diuortium quarè ità dictum fuerit.*

IN istis tribus Paragraphis ponit I. C. tres alios casus, in quibus qui titulo possidet, nihilominus conueniri potest petitione hæreditatis.

Primus casus de quo habetur hic in §. si quis sciens, cùm quo concordat tex. l. ne
1 mò prędo est inf. de reg. iur. est de eo, † qui mala fide alienam emit hæreditatē, cùm scilicet sciret illam alienam esse, quamuis enim titulum emptionis habeat, petitione tamen hæreditatis debet posse conueniri eadem ratione de qua suprà dictum est in §. quod si quis hæreditatem, propter commodum scilicet tum agentis, tum pos
2 sidentis, differētia † autem est inter illum §. & tex. nostrum, quia tex. ille loquitur de eo, qui bona fide emit, qui quidem vtilī petitione hæreditatis conueniri pōt, quando agenti res salua à venditore esse non possit, tex. verò noster loquitur de eo, qui mala fide emit, qui quidē indistinctè vtili petitione hæreditatis conueniri potest, vt per Odofr. hic, & per Castr. in d. §. quod si
3 quis hæreditatem, ratio autem est, † ne mala fides ei prosit contrà tex. in c. intelle

ximus

ximus extr. de iud. & in l. Cùm hi §. si quis supr. de transact. ideò indistinctè poterit conueniri vtili petitione hæreditatis tamquàm scilicet emptor vniuersitatis, vt hic
4 in fin. tex. nostri, † qui nempè vicem hæredis tenet l. 2. §. penult. infr. de hæredit. vel act. vendit. Directa autem petitione hæreditatis conueniri non potest, quamuis videatur, quod Prædo sit, quia malæ fidei
5 emptor est, † omnes enim malæ fidei possessores in numero prædonum habentur l. sed & si lege §. si autē infr. hoc tit. nostr. non potest tamen dici pro possessore possidere, & sic prædonem esse, cum precium numerauerit, & ideò directa petitione hæ
6 reditatis non potest conueniri, † non enim prædo est qui precium numerauit, vt hic & in l. nemo prædo infr. de reg. iur. remq; habuit à venditore, secus verò si quis precium numerauerit, & re non tradita eam
7 propria auctoritate occupauerit, † tunc enim prædo est l. si ex stipulatione infr. de acquir. possess.
8 Secundus est casus de eo, † qui hæreditatem à fisco tanquàm vacantem emit, quæ tamen non erat vacans, nec ad fiscū pertinebat, vtili enim petitione hæreditata ut conueniri posse æquam est, vt hic in §. item si quis à fisco, cum quo concordat text. in l. eum qui infr. de iur. fisc. & ratio est eadem, de qua suprà in §. quod si quis hæreditatem dictum fuit, istudquè procedit cum eadem limitatione de qua ibi, nisi scilicet actori hæreditas salua esse possit à fisco venditore; & declaremus hoc verum esse in hæreditate empta, secus autem in
9 re particulari, † nam si quis à fisco rem singularē, qui eam vt suam vēdidit, emat statim securus est l. benè à Zenone C. de quadrien. præscript.
10 Tertius & vltimus casus est de eo, † qui ab vxore alienam hæreditatem in dotem accepit, debet enim teneri vtili petitione hæreditatis, vt hic in §. apud Marcellum, directa namq; teneri non potest, cùm non possideat pro possessore, quia titulum dotis habet, non etiam possidet pro hærede, quia se maritum non hæredem dicit, sed tamen cùm se gerat pro vxore, quæ pro hærede habetur, ideò vtili saltem petitione hæreditatis debet posse cōueniri: vxor autem directa conueniri potest, maximè
11 si diuortium sit secutum, † durante enim matrimonio maritus est dominus dotis, vt in princip. Instit. quib. alien. lic. vel nō, nec expedit in mulierem agere, quæ dotem non habet l. dote Ancillam C. de rei vendic. & inquit Gothofr. hic in not.

Alienam] quæ scilicet ad alios spectat,
12 & alijs cōmodum afferre debet, sic † aliena negotia dicuntur, quorum exitus cōmodum, aut incommodum alijs affert Connan. lib. 7. comment. iur. ciuil. c. 10. num. 4.

Quasi pro possessore] idest tamquā pro possessore sic enim exponitur dictio
13 (quasi) † idest tamquàm passim in iure nostro vt in l. adoptionis sup. de adopt. in l. vt ità in fin. infr. de donat. caus. mot. in l. item eorum in princip. inf. quod cuiusquè vniuers. nom. in l. 3. in princip. inf. de condict. caus. dat. tradit Coras. in §. sed istæ Instit. de act.

Quidam putant] sed malè, vt infrà.

14 Qui precium] preciū † uerè esse nō potest, nisi pro aliqua re constitutum sit,
15 † preciumquè à re discernitur ità, quod illud sit in numerata pecunia, res verò in a-
16 lia specie, & hac eadē facilitate † emptor à uenditione distinguetur, quod hic rem præstet, ille uerò precium, ut per Connan. dicto libro 7. comment. iur. ciuil. cap. 5. numero 2.

Vt emptor vniuersitatis] idest hæ-
17 reditatis, † uniuersitas enim ponitur pro uniuersitate bonorum, ut hæreditate, & Castrensi peculio l. item ueniunt §. non solum infr. hoc tit. nostro l. 1. infr. de rei uendicat. l. 1. infr. quor. bonor. & l. 1. §. quæ sunt alicuius inf. de interd. & §. uideamus Instit. per quas person. nobis. acquir. facit tex. in princ. Instit. de acquisit. per arrog. tradit Gaius lib. 2. Instit.

Vtili tenetur] nempè petitione hæreditatis.

18 A fisco] fiscus † quis sit aliàs superius

est

est dictum in l. Papinianus §. meminisse nu. 22. supr. de inoffic. testam.

Quasi vacantem] idest tamquam
19 vacantem vt suprà num. 13. † Vacantem autem hereditatem dicimus bona eorum,
20 qui sine hærede decedunt, quæ † bona lege Iulia ad fiscum deferuntur. l. quidam testamento §. 1. & l. filius familias §. qui intestato inf. de leg. 1. l. qd diuo Marco infr. de manum. testam. l. 1. §. diuus, & l. cum q. infr. de iur. fisc. l. 1. C. de Quadrien. præscript. & l. 1. C. de donat. int. vir. & vxor.
21 Straboque lib. 17. † hæc bona vacantia ἀδέσποτα vocat, quod dominum idest hæredem non habeant, hæreditasque, & bona vacare dicuntur in l. 2. in fin. infr. ad Tertull. S. C. & in l. fiscus infr. de iur. fisc. cùm neque hæres, neque possessor extat, ab eo, quod domino vacua iacent.

22 Apud Marcellum] sub † Antonino Pio Vlpianus Marcellus fuit, illius enim opera Antoninum vsum fuisse tradit Capitolinus in illius vita, peruenit usque ad tempora Marci Antonini, ut apparet ex l. de illo §. idem quærit inf. pro Soc. ac uidetur potest is fuisse, quem Brittaniam domasse tradit Ioannes Zonaras in Commodo Marci Antonini filio tom. 2. annal. vbi eũ virum, & continentis, & militaris vitæ abstinentissimum, nec tàm natura, quàm ex sobrietate vigilantissimũ appellat, addens eum, ne vltra aliquid ederet, quam summa necessitas postularet, ac per hoc ne pane satiaretur, eo non recenti, sed antè multos dies cocto vesci solitum esse, quòd ipsum è Dione Xyphilinus quoquè refert in Cõmodi vita adijciens, quòd duodecim tabulas, quales ex tilia fieri solent quotidie vespe i perscripserit, vniquè ex suis mãdauerit, vt alias alijs atquè alijs horis perferret ad diuersos milites, quo Imperatorem suum vigilare semper rati, ipsi minus dormirent, vt refert Eberlin. de orig. iur. cap. 49. num. 2.

23 Si mulier] vxor † scilicet sic etiam in l. Lucius Titius §. 1. inf. de leg. 3. de Græcis fontibus deriuata locutio vt voluere Vltramont. in comment. de verb. iur. in
24 verb. mulier, † diciturquè mulier à mollitie, veluti mollier detracta, mutataquè littera, vt voluit Lactant. Firmian. in lib. de opificio Dei, & sequitur Varro in libr. de lingu. latin.

25 Maritum] Maritus † propriè dicitur post contractas nuptias, licet quandoquè etiam pro sponso ponatur, vt in l. non sinè
26 C. de bon. quæ liber. Maritus † què hominum opinione fit augustior ex vxoris nobilitate, corruscat enim inquit Bald. radijs vxoris l. 1. C. de præposit. lab. lib. 12. Alciat. in l. 1. C. de in ius vocand.

27 Diuortium est] quod † diuortium est inter virum, & mulierem legitimè facta separatio, vt tradunt Gofred. & Ho-
28 stiens. in sua sum. §. 1. de diuort. † dictumquè est diuortium ex eo, quod inter diuersas eant qui discedũt, ut placuit Paul. l. C. in l. inter diuortium infr. de uerb. signific. uel diuersitate mentium ut uoluit Gaius in l. 2. infr. de diuort. uel ut alij dicunt à diuertendo.

Ad §. hæredem.

§. Hæredem autem etiam earum rerũ nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hæreditatis petitione teneri constat: quasi pro hęrede possideat: quamuis & earum rerum nomine, quas pro hærede, vel pro possessore defunctus possedit: vtiquè teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Duos casus, & quidem mirabiles continet iste tex.*
2 *Possidens pro emptore non potest conueniri petitione hæreditatis.*
3 *Hæres illius qui possidet pro emptore potest conueniri petitione hæreditatis.*
4 *Possidens pro hærede, vel pro possessore petitione hæreditatis conueniri potest.*
5 *Conditio hæredis debet esse eadem, quæ & defuncti.*

Hæres

6 *Hæres, & defunctus vna, & eadem persona censentur.*
7 *Glossa tribus modis explicat hunc textum.*
8 *Opinio hæredis non excludit opinionem defuncti.*
9 *Emptor rerum singularum non tenetur neque directa, neque vtili petitione hæreditatis.*
10 *Dictio (etiam) est dictio ampliatiua, & affirmationem importat.*
11 *Hæres emptoris hæreditatis pro hærede possidet ipsam hæreditatem.*
12 *Verbum (constat) quid importet.*

TExt. huius §. fortis dicitur à Bar. hic,
1 † duos enim casus diuersos propo-
nit, & q mirabiles videtur, vt inquit Odo-
fr. hic. Primus est de hærede illius, qui res
2 possidebat pro emptore, † & per consequẽs
non poterat conueniri petitione hæredita
tis, cùm titulum haberet l. hæreditatis C.
hoc tit. nostro, & l. hereditatem C. in quib.
3 cau. cess. long. tempot. præscript. † potest
enim hæres iste conueniri petitione hære-
ditatis; Alter & secundus casus est de hæ-
rede illius, qui res alienas possidebat pro
4 hærede vel pro possessore, † & in conse-
quentiam petitione hæreditatis conueni-
ri poterat l. regularitèr sup. hoc tit. nost.
teneri enim debet, & ipse hæres; Circa pri-
mum casum inquit tex. noster. hæredem te
neri cõstat id est certum est, sed qua ratio-
ne id eueniat non constat inter iuris aucto
res, videtur enim, quod sicut defunctus nõ
5 poterat conueniri, ità nec & hæres, † cuius
eadẽ conditio esse debet, cùm dicatur esse
6 vna, & eadem persona cùm defuncto §. 1.
in Auth. de iur. iur. à mor. præstit. si nõ po-
tuit à defuncto hæreditas peti, vel potue-
rint res singulæ, proptereà, quòd eas de-
functus pro emptore possidebat, idem &
in hærede eius cõstitui debeat, & ex diuer-
sò l. 2. C. hoc tit. nostro, & l. Neratius supr.
eod. Quarè varij admodùm fuerunt inter
pretes nostri, & vario modo explicatunt
7 hunc textum, vt per gloss. hic, † quæ tribus
modis explicat. Hugolinus itaque conci-
uis meus glossator antiquus sic interpreta-
batur, vt si quod Titius defunctus possedit
pro ẽptore, id hæres eius putauerit defun-
ctum possedisse pro hærede., atquè ità id
possederit quasi hæres eius, cuius hæredi-
tas petitur, cùm sit hæredis eius putà Titij,
hæres tùm conueniatur petitione hæredi-
tatis etiam earum rerũ nomine, quas de-
functus pro emptore possedit, quę quidem
interpretatio reijcitur, nàm vt opinio hæ-
redis non facit, quominus teneatur peti-
tione hereditatis d. l. Neratius sup. hoc tit.
nostro, ità quo magis, teneatur non debet
8 efficere, † opinio enim hæredis defuncti
opinionem non excludit l. cùm hæres inf.
de diuers. & tempor. præscript. Alij sic acci
piunt ℣. nostrum, vt earum rerum nomine
quas Titius pro emptore possidet, hæres
eius teneatur ex eo, quod possideat eas ꝓ
hærede, id est quasi hæres Titij, quæ expli-
catio inepta dicitur, ad hoc enim, vt quis
iure conueniatur petitione hæreditatis, ne
cesse est vt possideat quasi hæres illius, de
cuius hæreditate agitur, & in casu nostro
certum est eas possideri ꝓ emptore l. 3. §.
ex plurimis infr. de acquir. possess. quæ pos
sessionis causa potius est consideranda
quàm alia quælibet, quia cõgruit opinio-
ni defuncti; Bart. hic volebat tex. nostrũ
intelligi de vtili petitione hæreditatis, sed
malè certè, quia Vlpian. I. C. noster non
loquitur de emptore vniuersitatis, sed de
9 emptore rerũ singularũ, † qui neq; directa,
neq; vtili petitione hæred. tenetur, ergò
nec hæres eius teneri debet; Quarè placet
vt sequamur Cuiac. in suis obseruat. libro
10. cap. 25. qui putabat tex. nostrũ intelli-
gi debere in eo casu, quando controuersia
sit inter hæredem testamentarium, & hæ-
redem legitimũ Titij, legitimus enim hæ-
res quasi rupto testamento hæreditatem
petit à testamentario, quo casu in hac pe-
titione hæreditatis veniunt non tantùm
res propriæ ipsius Titij, verùm etiã & alie-
næ, quas pro emptore possidebat, & hic est
primus casus tex. nostri, veniunt etiam, &
illæ quas pro hærede, vel pro possessore
possidebat, & hic est secundus casus, Vndè
licet in primo casu defunctus non posset
cõueniri petitione hereditatis quoad illas
res alienas, quas pro emptore possidebat,
hæres

hæres tamen ipsius, quia pro hærede possi det, debet posse cōueniri, & ita hoc modò non poterit considerari diuersitas conditionis inter defunctum, & hæredem: Quarè Cuiac. vult verba secundi casus tex. nostri, dum dicunt Quamuis & earum rerum, &c. hunc habere sensum, quod omninò hæres istę teneatur earum rerum nomine, quas defunctus pro hærede, vel pro possessore possidebat.

10 Etiam] hæc † dictio est ampliatiua l. extraneum C. de hæred. instit. & quandoque affirmationem importat l. 1. infra de verb. oblig.

Pro emptore possedit] & hic est primus casus tex. nostri.

Hæreditatis petitione teneri] Vnde

11 † hæres emptoris hæreditatis pro hærede possidet emptam hæreditatem, vt per Dionys. Gothof. hic in not.

12 Constat] id est † manifestum est, vel nomine in speciem admonente, quādo enim Iurisconsulti dicunt constat, tunc semper habent aliquam regulam naturę præ oculis, hoc ergo verbo ius certum significatur, Vnde Cicero pro Flacco ait Retulis ad Iurisconsultos, cōstabat inter oēs, &c.

Quamuis & earum rerum] & hic est secundus casus text. nostri.

Vtiquè teneatur] verus hęres scilicet, vt supra in principio huius l. nostræ.

Ad §. si quis absentis.

§. Si quis absentis nomine possideat hęreditatem, cùm sit incertum an ille ratum habeat: puto absentis nomine petendam hæreditatem, ipsius verò nequaquàm: quia non videtur pro hærede, vel pro possessore possidere, qui cōtemplatione alterius possidet. nisi fortè quis dixerit cùm ratū non habet, iam procuratorem quasi prædonem esse: tunc enim suo nomine teneri posse.

SVMMARIVM.

1 *Possidens pro emptore, vel pro possessore tenetur petitione hæreditatis.*
2 *Possidens alienam hęreditatem absentis nomine, non potest nomine proprio conueniri petitione hæreditatis, sed tantùm nomine absentis.*
Declara id verum dummodò absens ratum habeat, vel incertum sit, an ratum sit habiturus. vt num. 4.
Limita in eo casu quando ille qui possidet, absentis hæres fiat. vt nu. 7.
3 *Possidens alterius contemplatione nudū tantùm ministerium præstat.*
5 *Possidens absentis nomine qui ratum nō habeat, quasi prædo tenetur.*
6 *Qui nomine alterius aliquid facit, si non sequatur ratificatio, nomine proprio tenetur.*
8 *Res peti potest ab omnibus eam tenentibus, & qui facultatem habeant eam restituendi.*
9 *Res vendicatione quis conueniri potest ex sola detentione.*
10 *Absens quis dicatur in casu textus nostri.*
11 *Absens varijs modis pro diuersitate materia quis dici potest.*
12 *Incertum quomodo dicatur in iure nostro.*
13 *Ratum habere quid significet.*
14 *Procurater quis dicatur.*
15 *Procuratorum varia genera.*
16 *Negotiorum gestor propriè dicitur, qui aliena negotia absquè mandato gerit.*

1 QVia regulariter † qui possidet pro emptore, vel pro possessore tenetur petitione hæreditatis, vt in l. Regulariter supra hoc tit. ideò nunc quæritur an qui nomine alterius possideat possit cōueniri hac petitione hæreditatis, & conclusio firma-
2 tur in tex. nostro, quod † qui absentis nomine possidet alienam hæreditatem, ex propria persona conueniri non potest petitione hæreditatis, sed tantùm nomine absentis conueniri potest, Ratioq; in tex. est assignata, quia iste nequè pro hærede, nequè pro possessore possidet, contemplatione
3 namquè alterius possidet, & † dicitur tantùm

tùm præstare nudum ministerium l. quod meo nomine infr. de acquir. possess. nomine ergo absentis conueniri debet, non proprio.

Declaratur hæc conclusio, vt vera sit
4 quatenus ille absens, cuius nomine possidetur ratam habeat possessionem, vel incertum sit, an ratam sit habiturus, secus verò si certum sit, eum ratam non esse habiturum, vt ex verbis claris tex. nostri appa-
5 ret, tunc enim †qui absentis nomine se possidere dicit, suo nomine quasi prædo tenetur, vt hic in fin. §. nostri, & facit text. in l. pro hærede in fin. supr. hoc titul. nostro, sic
6 in simili videmus, quòd †qui nomine alterius quid facit, si non sequatur ratificatio, nomine proprio tenetur l. 4. C. si cer. pet. l. cum quæritur in fin. inf. de administr. tut.

Limitatur hæc conclusio, vt non vera
7 sit in eo casu, †quando iste, qui nomine alterius absentis possideat, eius posteà heres fiat, tunc enim nomine proprio conueniri potest, & tenetur l. cum multi, & l. fin. in fin. infr. si pars hæredit. petat.

Opponitur contra hunc tex. quia videtur, quòd iste, qui nomine absentis possidet etiam nomine proprio côueniri possit,
8 †res namquè peti potest ab omnibus, qui eam tenent, & facultatem habent restituẽdi, vt in l. officium, infr. de rei vendica. Pro solut. dicamus id procedere in rei vendica
9 tione, †in qua quis potest ex sola detentione conueniri, secus verò in petitione hæreditatis, in qua ad hoc vt quis côueniri possit, desideratur, vt possideat pro hærede, vel pro possessore, vt supra in l. regulariter hoc tit. est dictum.

10 Absentis nomine] eius †scilicet, qui non sit in loco in quo petitur l. absentem
11 infr. de verb. signific. †Absens autem quis pro diuersitate subiectæ materiæ, & tractationis varijs modis accipi potest, vt p glo. in l. præsens supr. de procurat. absens enim quandoquè dicitur, qui in iure non est l. 4 §. Pretor inf. de damn. infect. item ille qui a tribunali abest l. nõ tantum §. absens infr. de fideicomm. libertat. absens aliàs dicitur, qui est extrà territorium ius dicẽtis l. hætes absens, & ibi gloss. supr. de iud. absens quandoquè dicitur, qui non est in eadem prouincia l. fin. C. de long. temp. præscript. vel qui est extra prouinciam l. fin. §. vltim. C. de bon. aucto. iud. possid. item dicitur absens, qui est extrà ciuitatem d. l. absentem infr. de verb. significat. Absens aliquando etiam dicitur, qui nõ est in domo l. de pupillo §. si quis infr. de nou. ope. nunciat. Absens quoquè dicitur, qui non facilè potest inueniri, quemadmodum præses ille dicitur, qui de facili inueniri potest Authent. præsente C. de fideicomm. & sic diuersimodè secũdùm subiectam materiam quis absens dici potest.

Cum sit incertum] hoc est cum non
12 appareat, †incertum autem in iure nostro dicitur, cũ non apparet, quid, quale, quantum sit l. vbi autem infr. de verb. oblig.

13 Ratum habeat] idest approbet, ratũ n. habere ponit pro approbare, & cõfirmare iuxtà illud. Ratum habemus frustrà, quod nostro nomine gestum non est Bart. in l. 1. §. sed & si quis infr. de vi, & vi arma.

Petendam hæreditatem] intentandam scilicet petitionem hereditatis.

14 Iam procuratorem] procurator fautem ille dicitur, qui aliena negotia domini mandato administrat l. 1. in fin. supr. de
15 procurat. diuersa †autem sunt genera procuratorum, nam quidam ad lites dantur, l. hoc iure infr. de solut. & istos ad actionẽ procuratores factos vocat Paul. I. C. in l. sed si tantùm supr. de pac. quidam verò ad negotia dãtur, suntquè isti quibus vel certa res, vel generaliter vniuersa negotia administranda demandantur l. nã & nocere supr. de pact. & totorum, seu vniuersorum negotiorum, procuratores dicuntur l. procurator supr. de procurat. quidam alij absquè mandato alicuius negotia gerunt, &
16 †isti licet propriè negotiorum gestores dicantur, aliquãdo tamen etiam procuratores appellantur l. qui hominem §. si gener & l. si quis absentis in prin. infr. de solu. l. si sine iudice §. quod si procurator, & l. fina. §. vlt. infr. rem rat. hab.

Teneri potest] petitione nempè hereditatis, quasi possideat pro possessore.

Ad

Ad §. non solùm autem, cum §. seq.

§. Non solùm autem ab eo hæreditas peti potest, qui corpus hæreditarium possidet: sed & si nihil. Et videndum, si non possideat, obtulerit tamen se petitioni, an teneatur. Et Celsus lib. quarto Digestorũ scribit, ex dolo eum teneri. dolo enim facere eum, qui se petitioni offerat. Quam sententiam Marcellus generaliter apud Iulianum probat: omnem qui se offerat petitioni, quasi possidentem teneri.

§. Item si quis dolo fecerit, quominus possideat: hæreditatis petitione tenebitur. Sed si alius nactus possessionem, quam ego dolo malo amiseram, paratus sit iudicium pati: Marcellus libro quarto Digestorum tractat, num forte euanescat aduersus eum, qui desijt litis æstimatio, & magis euanescere ait; nisi petentis interest. Certè, inquit, si rem paratus sit restituere: indubitatum erit euanescere. Sed si is quis dolo desijt antè conueniatur: eum qui possidet, non liberabit.

SVMMARIVM.

1 *Qui se lite offert, quamuis nõ possideat rem hæreditariam, petitione tamen hæreditatis tenetur.*
Declara id verum, si ex hoc sequatur deceptiò actoris, vt num. 5.
2 *Dolus pro possessione habetur, & num. 23.*
3 *Qui se liti offert specialibus in rem actionibus conueniri potest.*
4 *Offerre se liti quis dicatur. & num. 20.*
6 *Actor si sciat, eum qui se liti obtulit mendaciam dicere, & nihilominus contra eum agat à se ipso dicitur deceptus.*
7 *Qui dolo desijt possidere hæreditatem alienam, quam possidebat pro hærede, vel pro possessore, debet teneri petitione hæreditatis.*
8 *Paria sunt possidere, & dolo desijsse possidere.*
9 *Qui dolo possidere desijt pro possessore habetur.*
10 *Petitione hæreditatis tenentur, & ille qui dolo possidere desijt, & ille qui posteà occupauit.*
11 *Vno ex duob. reis satisfaciente, an & quando alter liberetur, & num. 14.*
12 *Actio æstimatur ex iure petitoris non ex persona possessoris.*
13 *Bona fides non patitur, vt bis idem exigatur.*
14 *Solutio vnius ex pluribus reis an alios liberet, & quando cum num. seq.*
15 *Solutio æstimationis tunc liberat possidentem si dolus non arguatur.*
16 *In delictis, & pœna omnes rei æqualiter tenentur, nec vno soluente cæteri liberantur.*
17 *Dictio (autem) quid importet.*
18 *Hæreditas est quid separatum à rebus hæreditarijs.*
19 *Hæres quis esse potest eius etiam, qui nihil in bonis habet.*
21 *Celsi duo fuere Iuris cõsulti pater, & filius, eorumquè gesta referuntur.*
22 *Offerens se liti tenetur in tantum, quanti actoris interfuit non decipi.*
24 *Litis æstimatio quid sit.*
25 *Litis æstimationis duæ sunt partes.*
26 *Pro eo quod interest in litem iuratur.*

Alias superius firmatum est sæpius petitionem hæreditatis dari aduersus eum, qui possidet pro hærede, vel pro possessore, vt in l. regulariter supr. hoc tit. nostro, nunc modò I.C. duos casus proponit in §. nostro, & sequenti, in quibus etiã qui non possidet tenetur petitione hæreditatis nempè si dolum commiserit.

1 Primus casus est de eo, † qui se liti offert, quamuis enim non possideat rem hæreditariam, adhuc tamen petitione hæreditatis tenetur, vt hic in §. non solum cum quo

quo concordat tex. in l. qui se liti obtulit init. hoc titulo nostro, & in l. qui se obtulit infr. de rei vendicat. & in l. final. infr. si vsusfr. pet. qui ergò cùm non possideat offert se sponte liti quasi possideat, & iudicium suscipit, debet teneri petitione hæreditatis, ratio in textu est assignata, quia
2 dolo id facere videtur, † dolusquè pro possessione habetur l. qui dolo infr. de regulis iuris, vndè non solùm tenetur petitione hæreditatis tamquàm possessor, sed &
3 † omnibus alijs in rem actionibus specialibus conueniri potest, vt per Donell. libro decimonono commentariorum iuris
4 capitulo duodecimo col. quinta, † Ille autem dicitur se liti obtulisse, qui cum non possideret, vltrò se possidere apud petitorem professus est, & hoc nomine se obtulit liti, & defensioni suscipiendæ d. l. is qui se, & l. sin autem infr. de rei vendicat.

Declaratur proposita conclusio huius
5 primi casus, vt vera sit tunc tantùm † quādo iste, qui non possidet, & se liti obtulit quasi possideat, hoc mendatio actorem decepit, quia scilicet actor ignorabat istum non possidere, & tamen voluit ipse iudicium accipere, vt in d. l. qui se liti infr. eod. & in d. l. is qui se obtulit infr. de rei vendicat. cœterùm si non decepit actorem, quia actor ab initio sciebat istum non possidere, sed per mendacium se obtulisse iudicio petitionis hæreditatis, eum tamen tamquàm possessorem sequi voluit, tunc iste mendax in iudicio nostro condemna-
6 ri non potest, & ratio est, quia † cùm actor id sciuerit, non ab alio, sed à se ipso decipitur, quare reus absoluendus est l. nam si actor infr. de rei vendicat.

7 Secundus est casus de eo, † qui dolo desijt possidere hæreditatem alienam, quam pro possessore, vel pro hærede possidebat, teneri namquè debet petitione hæreditatis, vt hic in §. item si quis dolo, cùm quo concordat tex. in §. is autem supr. hac ead. l. in l. sed & si lege §. perindè infr. eodem in l. Sticchum aut Pamphilum §. dolo versiculo cœterum infr. de solutionibus, & ratio est ob dolum, qui
8 interuenit in eo, qui possidere desijt, † par enim est causa illius, qui possidet, & qui dolo possidere desijt l. parem infr. de re-
9 gulis iuris, † Vndè qui dolo possidere desijt pro possessore damnatur l. qui dolo infr. eodem titulo de regulis iuris. Quarè
10 ex hoc sequitur, quòd quando † quis dolo fecit, quominus possideret, alter verò possessionem occupauerit, tunc ambo debeant teneri, prior scilicet, quia dolo desijt possidere, posterior verò, quia verè possidet, l. sed & si lege §. perindè infr. hoc titulo nostro, Hinc quæritur postea an ambo isti teneantur ità, vt petitor ab vtroquè possit exigere, nempè à possessore rem, ab eo verò qui dolo desijt possidere
11 æstimationem, † an verò vno satisfaciente alter liberetur, & cùm distinctione ressoluitur hæc quæstio in tex. nostro, & clarius in d. l. Sticchum §. dolo infr. de solutionib. aut enim prius est actum cùm eo, qui verè possidet hereditatem, aut cùm eo qui dolo possidere desijt, si prius cùm possessore actum est, & is petitam hæreditatem, aut pro petita hæreditate litis æstimationem restituit, tunc liberatur ille, qui dolo possidere desijt, quia actoris amplius in aliquo non interest, consecutus est enim id, quod prætēdebat, & sua intererat consequi, vndè amplius non poterit agere aduersus eum, qui dolo possidere desijt d. l. Sticchū, aut Panphilū §. Iulianus inf. de solut. & ità actione sublata nihil habet, quo experiatur cùm eo, qui dolo desie-
12 rat possidere, † actio enim æstimatur semper ex iure petitoris, non ex persona possessoris l. 1. §. 1. infr. si pars hæredit. petat. aut verò prius est actum cùm eo, qui dolo desijt possidere, & tunc nihilominus qui possidet teneri debet, vt sic petitor à priore litis æstimationem consequatur, à possessore verò rem, vel aliam litis æstimationem, & ratio est, quia actor hoc casu assecutus est pœnam delicti illius, qui dolo possidere desijt, non tamen est consecutus quod sua intererat habere, hæreditatem nempè, quæ apud possessorem

est l. si quis id quod in fin. & l. seq. supr. de iurisd. om. iud. eadem enim res, quã actor consequi intendit, adhuc penes possessorum remanet, ideò actio non deficit ad eã consequendam.

Opponitur autem huic distinctioni ex
13 regula illa, quæ vult, quod † bona fides non patitur, vt bis idem exigarur l. bona fides infr. de regulis iuris, vndè videtur, quòd postquàm actum sit cùm illo, qui dolo desijt possidere, statim possessor debeat liberari. Pro solut. dicamus hanc regulam nihil obstare, qui enim prius consecutus est litis æstimationem ab eo, qui dolo possidere desijt, si rem posteà à possessore petat, apparet tamen non idem petere, quod prius erat consecutus, sed aliud, nam dùm ab eo litis æstimationem consecutus est, eam non est consecutus pro re possessa, sed propter dolum aduersarij; & eam tamquàm pœnam huius doli consecutus fuit.

Ad hunc autem tex. rectè accommoda-
14 tur quæstio, † an vnius solutio alios liberet, in quo quæsito per distinctionem procedendum est ex mẽte Petr. Costal. in suis aduers. ad Pandect. hic in §. Itẽ si quis dolo, aut enim loquimur in debitis ciuilibus, cùm plures sunt debitores etiam in solidùm, & tunc vnius solutio alijs liberationem affert, cùm iam amplius non intersit creditoris aliquid prætẽdere l. si plures supr. de dol. mal. & l. de illo in fin. infr. de noxal. act. & hoc casu intrat regula de qua superius, quod bona fides non patitur, vt bis idem exigatur l. Lucius §. Impuberem infr. de leg. 2. l. bona fides infr. de reg. iur. & hoc verum sit si res debita soluta sit l. si quis dolo infr. de re iudic. secus verò si æstimatio ab vno solura sit, quia hæc solutio hoc casu non prodest possessori ad liberationem per hunc tex. nostrum, & d. l. stichum §. dolo infr. de solut. nisi tamen possessor esset habiturus regressum, & auctoritatem contrà eum qui soluit l. quoties §. planè infr. si famil. furt. fecisse dicet. l. sed & si lege §. certè infr. eod. item & nisi non
15 argueretur dolus, † quia tunc solutio æstimationis possidentem liberat l. illicitè infr. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt. Aut verò loquimur in delictis, & pœna, & tunc
16 omnes æqualiter tenentur l. item mela §. si plures infr. ad l. Aquil. nec vno soluente cœteri dimittuntur l. adcò supr. de iurisd. omn. iudic. etiam si is solidum solueret, & totum damnum præstare paratus esset, diceretquè suo nomine delictum gestum esse, ità Costal. in aduersar. ad Pandect. in d. l. item mela §. si plures infr. ad l. aquil.

17 Non solum autem] hæc † dictio autem ponitur pro etiam, & sic iungit l. secunda §. hoc etiam versic. litem vlterius C de iureiur. propt. calumn. dand. diciturquè particula subiecta, quæ & elegantiam, & ornamentum habet l. cogi §. & generalitèr infr. ad trebell. S.C. & l. si quis §. tutelæ versic. & hoc autem infr. de act. & oblig. & hæc dictio præter notissimam significationem quandoquè ponitur pro enim, vt in l. intrà §. quadriennium versiculo quatuor autem infr. de diuers. & tempor. præscript. alias aliquando ponitur pro igitur l. legatis §. pecoribus infr. de suis, & legitimis hæredibus, & est coniunctio discretiua licèt aliquandò accipiatur pro sed, de ea videatur Valla libro secundo elegant.

Corpus hæreditarium] hæreditarias res pro ipsa hæreditate ponit Tullius,
18 at Iurisconsulti nostri † hæreditatem separant à rebus hæreditarijs, eamquè vo-
19 lunt iuris nomen esse, ità vt † quis etiam possit esse hæres illius, qui nihil in bonis habeat, vt per Connan. libro decimo comment. iuris ciuilis capitulo quinto, numero primo, & ideò videmus, quod in §. nostro dicitur, hæreditarem peti posse non solùm ab eo, qui corpus hæreditarium possidet, sed & ab eo, qui nihil possidet.

Possidet] nempè sinè titulo.

Obtulerit tamen se petitioni] idest liti tamquàm possessor, cùm nõ possideat,
20 vt explicat Odofr. hic, † offerre autẽ se liti

is dicitur, qui sine mandato pro reo comparet, & litigat, & sic ille dicitur se liti obtulisse, qui in iudicio pro domino se obtulit, id est pro eo iudicium subibit, in sequè recipiet, vt per Zas. in l. si se non obtulit inf. de re iudic.

21 Et Celsus] Celsi † duo Iurisconsulti fuere, pater nempè & filius, qui à Pōponio inter Iurisconsultos numerantur in l. 2. supr. de origin. iur. Pegasianamq́; sectam secuti tradūtur; Celsus pater sub Traiano Imperatore floruit, à quo tanto in honore habitus est, vt statuā illi posuerit, prout auctor est Xyphilinus ex Dione in Traiano, Verùm sub Hadriano, cui insidi.s in venatione struxisse dicebatur, Senatu iubēte, ēt inuito Hadriano Baijs occisus est, vt idē Xyphilinus in Hadriano attestatur, qđ etiam tradit Spartianus in Hadrianū in principio, qui vlterius eodem loco de hoc Celso verba faciens his verbis scribit, Cum iudicaret in consilio habuit non amicos suos, aut comites solū, sed Iurisconsultos, ac præcipuè Iuliū Celsum, Neratium Priscum, & alios, quos tn̄ Senatus oīs probasset; Huic Celso Patri Celsus filius successit, qui Hadriani temporib. floruit, & modò Iubentius Celsus dicitur, vt in l. plenū §. 1. inf. de vsu, & habitat, in l. Domitius labeo infr. qui testam. fac. poss. modò Celsus adolescens vocatur, vt in l. si sciuū §. sequitur inf. de verb. oblig. aliquādò Celsus filius dicitur, vt in l. sive certò §. fin. & in l. is, qui cōmodatū §. si libero inf. cōmod. quādoq; tandē simpliciter Celsus appellatur, vt in l. 1. in princip. sup. de iust. & iur. in l. adoptiuū §. fin. sup. de in ius vocād. hic in l. nostra, & alibi multis in locis; Celsus iste filius bis Consul fuit, vt Pōponius testatur in d. l. 2. sup. de orig. iu. eiusq́; respōsum extat in l. pater inf. de leg. 2. vbi patrē suū (à quo in cognitione iuris ciuilis diligēter imbutus fuit) in cōsilio Diui Veri Cōsulis, qui de fideicōmissis ius dicebat, fuisse testatur; Hunc quoq; Prætorē fuisse ostendit Plin. Epist. lib. 6. Epist. 5. Celsum autem ex Græco κέλης equitem dici tradit Sextus Festus de verb. signific.

22 Petitioni offerat] vt † teneatur scilicet in tantùm, quāti intersit actoris nō decipi l. si te Titio sup. de dol. mal.

Marcellus] de quo dictū est superius in hac ead. l. in §. si quis sciens.

Apud Iulianum] de quo Iuliano latè diximus superius in l. nec vllam §. omnibus num. 27. hoc titulo nostro.

Offerat petitioni] .i. opponat actioni.

Teneri] ex interpretatione. s. ratione doli l. is qui se obtulit inf. de rei vendicat.

Hæreditatis petitione tenebitur]
23 quia † dolus pro possessione habetur d. l. parem infr. de reg. iur.

Iudicium pati] id est iudicium suscipere, vt dictum est in l. qui non cogitur nu. 9. sup. de iudic.

Num fortè] in Pandectis florentinis legitur ne fortè.

Qui desijt] dolo scilicet possidere.

24 Litis æstimatio] hæc autē † litis æstimatio est rei, quæ in controuersiam deducta est, vnà cùm eo, quòd propter eā actoris interfuit in certam pecuniæ summam redactio, vndè litis æstimationē soluere est tantùm soluere, quanti cōtrouersa res est;
25 † Huius autem litis æstimationis duæ sunt partes, æstimatur enim primum quanti res est, deindè quāti actoris interest l. fin. inf. de condit. tritic.

26 Nisi petentis interest] quo † nomine in litem iuratur.

Ad §. fin. cum tribus legib. sequent.

§. Item à debitore hæreditario quasi à iuris possessore. Nā & à iuris possessoribus posse hæreditatē peti cōstat.

Ad l. xvi. Paulus lib. xx. ad edictum.

Sed vtrū ex delicto, an ex contractu debitor sit: nihil refert. Debitor autem hæreditarius intelligitur is quoq; qui seruo hæreditario promisit, vel qui antè aditā hæreditatē dedit damnū.

Ad l. xvij. Caius lib. vi. ad edictum prouinciale.

Vel aliquã rem hæreditariã surripuit.

Ad l. xviij. Vlpianus libro xv. ad edictum.

Quòd si in diem debitor sit, vel sub cõditione, à quo petita est hæreditas: non debere eum damnari, rei planè iudicatæ tempus spectandum esse, secundùm Octaueni sententiam, an dies venerit, apud Pomponium scriptum est, quod & in stipulatione cõditionali erit dicendum. Si autem nõ venerit: cauere officio iudicis debebit de restituendo hoc debito, cùm dies venerit, vel cõditio extiterit. Sed & is, qui precia rerum hęreditariarũ possidet, itèm qui à debitore hæreditario exegit, petitione hęreditatis tenetur. Vndè Iulianus libro sexto Digestorum ait: ab eo qui petijt hæreditatem, & litis æstimationẽ consecutus est hęreditatẽ posse peti. Non solùm autem à debitore defuncti, sed à debitore hæreditario peti hæreditas potest. Denique ab eo qui negotium hæreditariũ gessit, & Celso, & Iuliano videtur, peti hęreditatẽ posse. Sed si hæredis negotium gessit: nequaquam. Ab hęredis enim debitore peti hæreditas non potest.

SVMMARIVM.

1 *Ius possidere, & quasi iuris possessor quis varijs modis dici potest.*
2 *Debitor hereditarius dicitur iuris possessor.*
3 *Debitor hæreditarius petitione hęreditatis conueniri potest.*
4 *Debitor hęreditatis si neget actorem esse hęredem, vel istud in dubiũ reuocet, non põt cõueniri petitione hęreditatis, et nu. 47.*
5 *Debitor defuncti quis dicatur.*
6 *Actiones omnes in personam transeunt à defuncto in heredem, pręter illas, quæ iniuriam persequuntur.*
7 *Hęres succedit in vniuersum ius defuncti.*
8 *Debitor hæreditarius quis dicatur.*
9 *Hęreditas iacens est loco domini, & defuncti locum obtinet.*
10 *Debitor ex cõtractu quomodò quis dicatur.*
11 *Debitor ex quasi contractu qualiter quis constituatur.*
12 *Seruum hęreditarium corrumpens tenetur actione de seruo corrupto, & etiam petitione hęreditatis.*
13 *Actio legis Aquilię datur in eum, qui nondum aditam hęreditatem damnum dederit in re hęreditaria.*
14 *Actio expilatæ hęreditatis datur in eũ, qui aliquam rem hęreditariam surripuerit.*
15 *Debitor in diem, & sub conditione conuentus petitione hęreditatis statim damnari potest ad debitum soluendum, vel ad cauendum de eo soluendo adueniente die, vel conditione.*
16 *Cautio de soluendo adueniente die, vel conditione interponitur in omnibus bonę fidei iudicijs.*
17 *In petitione hęreditatis speciale est, vt debitor antè diem, vel conditionem conueniri possit.*
18 *In actionibus specialibus in personam, non potest agi antè diem, vel conditionem.*
19 *In actionibus specialibus in personam agitur cùm debitore tamquàm obligato.*
20 *Debitor in diem, antè diem propriè non dicitur debitor.*
21 *Pecunia debita non potest à debitore peti diem, vel antè conditionem purificatam.*
22 *Iudicium non potest esse de ijs rebus, quę nondùm debita posteà in obligationem sunt aduenturę.*
23 *Vendens res hęreditarias, & precium earum habens dicitur iuris possessor.*
24 *Vendens res hereditarias, si precium consecutus est, potest conueniri petitione hæreditatis.*
25 *Precium succedit loco rei, & num. 84.*

Exigens

86 *Verbum (tenetur) exponitur id est obligatur.*
87 *Litis æstimatio quid sit remissiuè.*
88 *Verba non solum, quid importent.*
89 *Dictio, denique cuius valoris sit.*
90 *Negotiorum gestio, quæ dicatur.*
91 *Actio negotiorum gestorum quando nascatur.*
92 *Actio negotiorum gestorum vtilitèr fuit inuenta.*
93 *Negotium quid sit, & vndè dicatur.*
94 *Dictio (nequaquam) negationem importat, & ponitur pro non.*

Dictum fuit superius in l. regularitèr hoc titulo nostro, quòd ille tenetur petitione hæreditatis, qui aut ius possidet pro hærede vel pro possessore, aut qui rem hæreditariam possidet, hucusquè est tractatum de ijs, qui rem hæreditariam, & ità corpora hęreditaria possident, nunc de ijs, qui ius possideant agit hic I. C. in §. nostro cùm tribus legibus sequentibus, cùm quibus concordat tex. in d. l. regularitèr supr. hoc tit. in l. quod si in diem §. non solum, & §. fin. in l. item videndum in fin. infr. si pars hæredit. pet.

1 Ius † autem possidere, & ità quasi iuris possessor varijs modis quis dicitur, primò
2 autem exemplificari potest † in debitore
3 hæreditario, de quo agitur hic, Vndè † qui debitor sit hæreditatis, & soluere recuset petitione hæreditatis conueniri potest, siuè id faciat, quia se hæredem prætendat, vel quia nullam causam assignet, ex qua soluere nolit, primo enim casu pro hærede, secundo verò pro possessore conueniri
4 poterit, secus verò † si debitor iste negaret actorem hæredem esse, vel dubitaret an ille qui hæreditatem petit sit hæres nec nè, his namquè casibus petitione hæreditatis conueniri non potest l. si debitor infr. hoc tit. nostro, & ratio est, quia tunc non possidet debitum istud neque pro hærede, nequè pro possessore, sed solùm iustam hanc causam non soluendi affert, quod dicit se nescire, an is qui agat sit hæres, paratus alioquin soluere, si id probetur, vndè certò constat istum nec pro hærede, nec pro possessore possidere, & in consequentiam sequitur, vt nec teneatur petitione hæreditatis.

Declaratur primò hæc conclusio, vt vera sit, siuè iste fuerit debitor defuncti, siuè
5 fuerit debitor hæreditarius, † debitor autē defuncti dicitur ille, qui aliquid ipsi defuncto adhuc viuenti debebat, eo enim mortuo statim actio exigendi transit ad hære-
6 dem, † cùm omnes in personam actiones, pręter illas, quę iniuriam defuncto factam persequuntur ad hæredes transeant §. 1.
7 Instit. de perpet. & tēpor. act. † hęres namquè succedit in vniuersum ius defuncti l.
8 hæreditas infr. de reg. iuris † debitor verò hæreditarius ille dicitur, qui post mortem defuncti antè aditionem hæreditatis ipsi hæreditati aliquid incipit deberi, vt hic in l. sed vtrùm versiculo debitor autem, cùm
9 † hæreditas iacens sit loco domini, & defuncti locum obtineat l. non minùs infr. de hæredib. instit. vndè actio hoc modo hæreditati acquisita statim hæreditaria dicitur, vt per Donell. in comment. iur. ciuil. lib. 19. cap. 13. col. 6. & per consequens ad hæredem, ad quem transit omne ius hęreditarium, pertinere debet.

Declaratur secundò, vt procedat siuè iste debitor sit ex contractu, siuè ex quasi contractu, siuè ex maleficio, vt hic in l. sed
10 vtrum, ex contractu, † vt putà, vel quia fuerit debitor defuncti ex aliquo contractu cùm eo adhuc viuo gesto, vel quia seruo hæreditario quid stipulanti promiserit, vt in princip. Institut. de stipul. seruor. ex qua
11 si contractu verò, † quia negotia vel defuncti, vel posteà hæreditatis iacentis gesserit, ex qua re vel defuncto, vel hæreditati nata fuerit negotiorum gestorum actio l. nam & seruius §. 1. supr. de negot. gestis Ex maleficio tandem, quia scilicet seruum
12 hęreditarium corruperit, † quo casu datur actio de seruo corrupto, & etiam petitio hæreditatis l. hæc actio, & l. vt tantùm infr. de seru. corrup. vel quia damnum aliqđ in re hæreditaria antè aditam hæreditatem dederit, vt hic in l. sed vtrùm in fin.
13 † ex quo nascitur actio legis Aquiliæ l. huic scripturæ infr. ad l. Aquil. vel aliquid

ex ipsa hæreditate surripuerit, vt hic in l.
14 vel aliquem, † quo casu nascitur actio expilatæ hæreditatis l. 1. inf. de crimin. expilat. hæredit. tradit Donell. d. capitulo 13. col. 6.

Declaratur tertiò proposita conclusio, vt vera sit siuè debitor sit in diem, siuè sub conditione, vt hic in principio l. quod si in diem, cùm qua concordat tex. in l. in omni-
15 bus supr. de iudic. † siuè ergò debitor hæreditarius sit debitor purè, siuè in diem, siuè sub conditione, adhuc tamen conueniri pôt iudicio petitionis hæreditatis, itaut si dies extiterit, vel conditio sit purificata antè rem iudicatam omninò condemnari debeat, si verò dies nondùm venerit, vel conditio non sit adimpleta hactenus tamē damnari debeat, itaut caueat se debitum restiturum, cùm dies venerit, vel conditio
16 extiterit, † quæ cautio etiam interponitur in omnibus bonæ fidei iudicijs l. in omnib. supr. de iudic. hocquè est peculiare in peti-
17 tione hæreditatis, † in qua debitor antè diem, vel conditionem potest conueniri, secus verò in alijs specialibus in personam
18 actionibus, † in quibus agi non potest, antequàm dies venerit, vel conditio extiterit §. omnis Institut. de verbor. obligat. l. cedere diem infr. de verb. significat. ratio au-
19 tem diuersitatis est, quia † cùm agitur speciali in personam actione cùm debitore, agitur cù m eo tamquàm cùm debitore, & obligato l. actionum infr. de act. & oblig.
20 † at qui aliquid in diem debet, propriè an-
21 tè diem non dicitur debitor, vndè † ab eo pecunia antè diem peti non potest l. eum qui Kalendis §. fin. infr. de verb. signific. quando verò agitur petitione hæreditatis aduersus debitorem hæreditarium, non agitur cùm eo tamquàm cùm debitore, & obligato, sed tamquàm cùm iuris, & debiti possessore, vt in l. etiam §. fin. supr. hoc tit. nostro, siuè ergò debitor sit purè, siuè in diem, siuè sub conditione, semper verum est, eum possidere ius illud, & debitum, qđ præstare negat, quare rectè ab eo petitur, vt tantùm de eo debito restituat, quãtùm sine iniuria potest, vndè cautio interponitur, qua actor certus fiat forè, vt die adueniente, aut conditione existente, id debitum tamquàm hæreditarium consequatur.

Opponitur autem aduersus hanc declarationem ex l. non quemadmodū suprà de
22 iudic. vbi † negatur iudicium esse posse de ijs rebus, quæ nondùm debitæ posteà in obligationem sunt aduenturæ, videtur ergò quòd contrà debitorem hæreditarium in diem, vel sub conditione agi non possit. Pro solutione dicamus, vt suprà mox mox est dictum, quòd quando agitur petitione hæreditatis contrà debitorem hæreditarium non agitur de debiti obligatione, sed de debiti qualicunq; possessione, vndè verum erit, quod obligatio antè conditionē existentem est nulla, & sic rectè dicitur eā in iudicium venire non posse, at possessio debiti semper est penes debitorem, itaut de ea conueniri possit, vt illam vel re, vel cautione possit restituere, nil mirùm ergò si aduersus debitorem hæreditarium etiā in diem, & sub conditione agi possit.

Iuris possessor secundo loco exemplifi-
23 catur in eo † qui res hæreditarias vendidit, & precia rerum hæreditariarū habuit, iste namquè dicitur quasi ius hæreditariū possidere, vt hic in l. quod si in diem, versiculo sed & is qui precia rerum, cùm qua cōcordat tex. in l. etiam §. quod si quis hereditatem versic. venditorem suprà hoc titulo nostro, concordat etiam tex. in §. Iulianus versic. Idem Iulianus infr. hac ead. l. in l. item veniūt §. præter hæc, & in l. sed
24 & si lege §. petitio infr. hoc eod. tit. † Ille itaq; qui res hæredirarias vendidit, & precium consecutus est petitione hæreditatis conueniri potest, vt etiam dictum est superius in d. l. etiam §. quod si quis numer. 24.
25 † cùm preciū succedat loco rei l. si & rem infr. eod. vndè licet non possideat corpus rei hæreditariæ, adhuc tamen teneri debet, cùm loco ipsius corporis precium habuerit, & ità quasi ius dictę hęreditatis possideat, quod declarari debet, vt verum sit, etiam si nondùm precium consecutus sit, actionē tamen habeat ad illud consequendum, dicitur enim hoc casu possidere ius illud exigendi debitum, & idcò pro eo cōueniri

42 Vtrùm] istud † regulariter est aduerbium interrogandi, significās idem, quod Num, & frequentèr ferè semper habet particulam an, licet etiam sine ea particula interroget, vt in §. sed si ex testamento Instit. de satisd. tut. in §. feræ igitur, & in §. cùm ex aliena materia Instit. de rer. diuis. l. si stipulatus fuero inf. verb. oblig. in tex.
43 nostro dubitationē importat, † hanc enim dubitantis vocem esse annotauit Alberic. in l. si is, qui ducenta §. vtrùm infr. de reb. dub. quomodo reperitur apud Plautum, Terentium, & Ciceronem.

44 Ex delicto] delictum † quid sit diximus nos in l. non aliàs §. legati numer. 13. supr. de iudic.

45 An ex contractu] cōtractus † autem à contrahendo dicitur, Græcis significantius συνάλλαγμα vocatur, continetq; omne pactū, qua voce vsus est Aristot. Ethic. lib. 5. contrahere ergò dicitur, quasi cōtrà, vicissim, mutuò aliquid agere ad obligationem, quò respiciens labeo l. C. asserit
46 † contractum esse, vltrò citroquè obligationem in l. labeo infr. de verb. significat.

Nihil refert] quando scilicet debitor contendat solum de debito, tunc enim nō refert, an sit debitor ex contractu, vel qua-
47 si, aut ex delicto, † sed si contenderet eum, qui agit petitione hæreditatis non esse heredem, tunc refert an sit debitor, ex contractu, vel quasi, an ex delicto, vel quasi, nam si sit debitor ex contractu, vel quasi, non tenetur petitione hæreditatis, vt in l. si debitor inf. hoc tit. nostro, si verò sit debitor ex
48 maleficio, vel quasi, quia † pro possessore habetur tenetur petitione hereditatis l. penult. & fin. infr. si pars hæredit. pet.

49 Is quoquè] hæc † dictio (quoquè) ponitur quandoquè pro etiam Bar. in l. fin. inf. de eo quod cert. loc. quandoquè stat implicatiuè, idem Bart. in l. labeo in princip. supr. de pact. aliàs similitudinem importat vt in tex. nostro, de ea videatur Alber. in suo dictionar. iur. in verb. quoquè.

Promisit] per stipulationem scilicet argumento tex. in l. sciendum inf. de verb.
50 oblig. † promissio enim est etiam stipulatio l. 1. C. de vsur. notat Alciat. in l. sponsio num. 8. inf. de verb. signific.

51 Antè] hæc † dictio id tēpus quod præcedit actum denotat, & dictio, post, significat id tempus, quod subsequitur actum, vt concludunt DD. quod intelligatur in actu momentaneo, vel etiam in actu tractū habēte, vt per Alciat. in l. 2. inf. si cert. pet. & istæ dictiones, antè, & post, certam ferè temporis formam non recipiunt, habentquè eamdem vim, & naturam, sequè mutuò recipiunt, vt latè docuit Tiraq. in repet. l. si vnquàm in verb. & postea nu. 14. C. de reuoc. donat.

52 Aditam hæreditatem] aditi † autē hæreditas dicitur, tunc cùm quis hæreditatem amplectitur, & ad ipsam accedit, & ità ille dicitur adire, qui verbis, vel facto aliquo bona se mortui apprehendere, hæreditatemq; admittere testatur, & vt Græ-
53 ci dicunt προσιλθεῖν τῇ κληρονομίᾳ, † propriè autem adire dicuntur extranei, qui aliàs hæredes non sint §. extraneis, & §. fin. Instit. de hæred. qualit. & different. sui uerò se immiscere dicuntur, ideò hæc duo separantur in l. ait Prætor §. sed & si hæreditatem supr. de minor. & in l. apud Iulianum §. fin. cum l. seq. infr. quib. ex caus. in possess. eat. aliàs etiam dicimus nos subire hæreditatem, vt in l. si nemo inf. teg. iur.

54 Dedit damnum] damnum † autem tribus modis dari potest primò à personis nostris, secūdò ab animalibus seruis vè nostris, tertiò à rebus inanimatis; Cùm à per-
55 sonis nostris damnum datur, † tunc actio legis Aquiliæ locū habet, vt in tot. tit. infr.
56 ad l. Aquil. si † damnum detur ab animalibus, aut seruis nostris, tunc datur vel noxalis, actio si à seruis datū sit, vt in tot. tit. infr.
57 de noxal. act. † vel actio de pauperie si ab animalibus sit datum damnum, vt in tot. tit. inf. si quadrup. pauper. feciss. dicat. si verò tandem damnū à rebus inanimatis da-
58 tum sit, † regulariter istud non venit in iudicium l. sed & si quemcunquè §. & ideò, & l. quemadmodum §. si nauis infr. ad l. aquil. & l. euenit infr. de damn. infect. nisi

cautio

cautio de damno infecto interuenerit, licet enim culpa aliqua esse videatur nō reficere res illas, quæ alteri nocere possunt, si vicinus tamen non postulet, eius periculo non tenemur vltrò occurrere, ità Francisc.
59 Balduin. in Catechesi iur. ciuil. cap. 5. † Damnum autem dicitur ab ademptione, & quasi deminutione patrimonij l. 3. infr. de damn. infect. Vndè Quintil. in declam.
60 329. † Damnum definit amissionem bonorum, quæ habuerimus.

61 Vel] hæc † dictio est coligatio disiunctiua earum rerum, quæ natura disiunctæ sunt, vt ait Festus libro 19. quæ tamen particula non semper disiungit, sed interdùm determinat teste Zas. in l. si familia in fin. supr. de iurisd. omn. iud. varias alias significationes habet, de quibus latè per
62 Prat. in suo lexic. iur. & † quando disiungat, an nō, indicat Alberic. & discutit Bar. in l. suprà iter §. officium infr. di aqu. pluu. arcend. & in l. generali C. de Sacrosf. Eccl.

63 Surripuit] licet † enim rei hæreditariæ furtum regularitèr committi non pos-
64 sit l. hæreditariæ inf. de furt. † rem tamen hæreditariam surripiens ex delicto obligatur, & debitor euadit, vt hic.

65 Si in diem debitor sit] vt putà † in
66 Kalendis proximis, quo casu † debitum statim debetur, non tamen prius peti pōt, quàm dies venerit §. omnis Instit. de verb. oblig.

67 Vel sub conditione] quia † scilicet in aliquem casum incertū sit dillata obligatio, vt si aliquid factum, vel non factum fuerit §. sub conditione Instit. eod. tit. de verb. oblig.

Damnari] si scilicet non venerit dies, vel conditio purificata fuerit tempore sententiæ.

Rei planè iudicatæ tempus] quod
68 † tempus rei iudicatæ multoties etiā consideratur in iure nostro, vt in l. si à domino. §. quo tēpore infr. hoc tit. nostro, in l. quæsitum in principio infr. de pecul. & passim in alijs multis legibus.

Octaueni] I. C. nempè, de quo Octa-
69 uenio, † quo tempore floueriq; nihil certi habemus, vt tradit Eberlin. de orig. iur. cap. 54. §. 3. de eo mentio habetur in l. si familia supr. de iurisd. omn. iud. in l. non distinguemus §. si seruus supr. de recept. arbitr. hic in l. nostra, in l. item videndum inf. hoc titulo nostro, & passim in multis alijs legib.

Apud Pomponium] Pomponius
70 † I. C. aliorum Iurisconsultorum, qui vsq; ad illum floruere successionē mirificè ex-
71 posuit in l. 2. supr. de orig. iur. † Hadriani Imperatoris temporibus floruit, discendiquè cupiditatem solam viuendi rationem optimam in octauum, & septuagesimum Annum ætatis duxit adhuc scribēs l. apud Iulianum infr. de fideicom. libert. hunc Lampidius in Alexandrum in fine legum peritissimum nominat, frequentissimèquè à Iurisconsultis celebratur, vt in l. fin. supr. de offic. Prçt. in l. 3. supr. quod quisquè iur. in l. 2. inf. ad Trebell. S. C. hic in l. nostra, & passim multis in locis, multosq; libros, & commentaria edidit, vt per Eberlin. de orig. inr. cap. 48. num. 12. cum sequentib.

In stipulatione conditionali] nem-
72 pè sub conditione concepta, † stipulatio autem est firma verborum conceptio, qua quis aliquid se facturum, daturum vè alteri promittit super hoc ipsum interroganti l. stipulationum aliæ §. stipulatio autem
73 inf. de verb. oblig. † cuius stipulationis introducendæ ratio fuit valdè necessaria, ne homines ex nudis pronuntiationibus sæpè incauti vinculo obligationis illaquearentur, per interrogationem enim excitatur animus ad deliberationē quamdam, num sit promittendum, per responsionem verò talis deliberatio certo cōsensu decla-
74 ratur, † Hæc autem stipulatio olim certis verbis sic cōcipiebatur, vt eodem quis verbo respondere cogeretur, quo interrogatus esset, siuè p se, siuè p alio vellet promittere, quæ tñ solemnitates verborum sublatæ fuere, nec refert hodiè, quib. verbis fiat stipulatio §. in hac re Instit. de verb. oblig.
75 † Et hæc stipulatio vocatur, quasi confirmatio, seu astrictio à stipulo, quod veteres firmum

firmum appellabant fortè à stipite, vt inquit Imperator Iustianus in princip. Inst. de verb. oblig. Alciat. verò libro 1. parerg. cap. 39. inquit, quid commune habet stipes seu truncus cùm contractu? quare putat stipulationem dictã ἀπὸ τοῦ συντῶ quia stringat à verbo σύφω Varro in libr. de lingu. latin. stipulationẽ deducit à stipe idest à pecunia: Festus autem Põpeius vnà cùm Triboniano I.C. à stipite stipulationẽ tra-
76 hit, † stipes autem est, vt inquit ipse fustis humi defixus, probat tex. in l. granaria inf. de act. empt. & quidem hæc deriuatio tenenda est, cùm ratione verisimili, stipes enim truncus erat, qui olim defigebatur in agrorum confinio ad firmandam finium tutelam, qui stipes in tantùm securus putabatur, vt indè nata sit fabula de Termino Deo, qui Ioui noluit concedere, de qua per Gell. lib. 12. Noct. Attic. cap. 6. tradit Forcat. in sua Necyomant. iur. dial. 72. num. 4.

77 Cauere] hoc † verbum iuris ciuilis est,
78 qđ varijs modis sumi potest, magis † propriè tamẽ cauere est nudè promittere absque alia fideiussione l. 3. C. de verb. signific.

79 Officio iudicis] quod † officium iu-
80 dicis in latiore significatione est actio, † & appellatur iudicium extraordinarium in
81 l. 1. C. de libert. & eor. liber. & † iudicium istud extraordinarium dicitur actio in l. li-
82 berti C. eod. tit. de libert. & cor. liber. † officio autem iudicis cõtineri dicitur, quod ei tacitè pro suo iure permissum est quamuis de eo Prætor nullam mentionem fecerit §. fin. Institut. de perpet. & temporal. action.

Cùm dies venerit] vt in l. is qui cõmodatum inf. de pignorat. act. & in l. quesitum infr. de pecul.

Vel conditio extiterit] vt in l. in omnibus supr. de iudic.

83 Sed & is] dictio † sed iuncta copulæ &, aduersatur in facto, sed indentitatem iuris denotat l. sed & si lege infr. hoc tit. nostro, & ibi Bart. vid. idem Bart. in l. pupilli supr. de negot. gest. & in l. patris infr. de vulg. & pupill. Connan. lib. 6. comment. iur. ciuil. capit. 1. num. 6.

84 Possidet] cùm † precium succedat loco rei l. si & rem infr. hoc tit. nostro.

85 Exegit] verbùm † exigere variè accipi dixere Alciat. & Rebuff. in l. verbũ exactæ infr. de verb. signif. propriè tamen exegisse dicitur, qui id recepit, quod instituta actione petebat, vndè exigere ab inuito accipitur, diciturquè ab ex, & ago pro eijcere, expellere l. 2. §. quoad magistratus supr. de orig. iur.

86 Tenetur] idest † obligatur. Vndè teneri lege, aut interdicto quis dicitur, cùm per legem, vel Prætoris edictum, interdictum ve obstrictus est ad aliquid faciendùm, vel non faciẽdum, sic teneri aliquem promisso pro obligatum esse accipimus, facit tex. in l. illud quæsitum in fin. infr. ad leg. Aquil.

Vndè Iulianus] de quo superius diximus in l. nec vllam §. omnibus num. 27. hoc tit. nostro.

87 Litis æstimationem] litis † æstimatio quid sit dictum est in l. etiam §. item si quis dolo num. 24. supr. hoc tit. veram autem litis æstimationem nihil aliud esse, quàm illati damni æstimationẽ tradit Alciat. in l. si quis in conscribendo num. 31. C. de pact.

88 Non solùm] hæ † duæ dictiones insimul iunctæ semper æqualia repetunt l. nõ solùm infr. de vsu & habitat. l. non solùm infr. de iniur. tradit Forcat. in Necyomãt. iur. dialog. 50. num. 4.

89 Deniquè] dictio † hæc (vt inquit Donatus) ad finem dictorum ponitur postremò, sic in tex. nostro, & in l. filius familias infr. si cert. pet. cùm similibus.

Negotium hæreditarium gessit [
90 negotiorum † gestio dicitur, cùm quis negotia absentis gesserit, quo casu vltrò citroq; inter eos nascitur actio negotiorum gestorum absquè vllo cõtractu inter istos
91 celebrato, † ità enim nascitur hæc actio, si sine mandato quis alienis negotijs se obtulerit, & tunc is cuius negotia gesta sunt etiam

92 etiam ignorans obligatur; † quod vtilitatis causa introductum est, nè absentis negotia deserantur §.igitur Istitut. de oblig.
93 quæ ex quas. contract. nascunt. † Negotiū autē dicitur quid quid nos occupatos habet, & propria significatione mercaturis tantùm accommodatur, vt per Connanū lib.7.comment.iur.ciuil.cap. 2.num.1.diciturquè negotium idest sine ocio vt per Io.Bellon.in suo libr.Etymolog.

Nequaquàm] idest non potest hæreditas peti,
94 † hęc enim dictio (nequaquàm) negationem inducit, & ponitur pro nō l.3.versic.partes autem infr.de duob.reis.

Ad §. Iulianus scribit, vsquè in finem legis.

Iulianus scribit: si is, qui pro hærede possidebat, vi fuerit deiectus: peti ab eo hæreditatem posse, quasi à iuris possessore: quia habet interdictum vndè vi, quo victus cedere debet Sed & eum, qui vi deiecit, petitione hæreditatis teneri, quia hæreditarias res pro possessore possidet. Idem Iulianus ait, siuè quis possidens, siuè nō rem vendiderit: petitione hæreditatis eum teneri, (siuè iam precium receperit, siuè petere possit,) vt & hic actionib. cedat. Idē scribit, patronū hęreditatem petere non posse ab eo, cui libertus in fraudē alienauit, quia Caluisiana actione ei tenetur, patroni enim iste debitor est, nō hæreditarius, Ergo nec ab eo cui mortis causa donatū est, peti hæreditas potest. Idem Iulianus scribit: si quis ex causa fideicommissi restituerit hæreditatem, vel singulas res præstiterit: peti ab eo hæreditatem posse: quia habet condictionem eorum, quæ ex ea causa soluta sunt. & velut iuris possessor est, sed & si precia rerum, quas distraxit, ex causa fideicommissi soluit: peti hæreditatē ab eo posse, quia repetere potest. Sed his casibus actiones suas dumtaxat eum præstaturū, cùm & res extant, & potest petitor etiam per in rem actionem eas vindicare.

SVMMARIVM.

1 *Iuris possessor dicitur, qui per vim deiectus est de ijs reb. quas pro hærede possidebat.*
2 *Deiectus de possessione per vim potest petitione hæreditatis conueniri, & quarè.*
3 *Deiectus per vim de possessione habet interdictum vndè vi.*
4 *Deijciens per vim alterum de possessione tenetur petitione hæreditatis, & quarè.*
5 *Vendens hæreditatem siue eam possideret, siue non, iuris possessor dicitur, & nu. 11.*
6 *Precium succedit loco rei.*
7 *Hæreditarium quid non dicitur, nisi prius fuerit hæreditatis.*
8 *Hæreditarium non dicitur quid, nisi fuerit prius in bonis defuncti, aut postea hæreditati antè eius aditionem fuerit acquisitum.*
9 *Actiones pro rebus hęreditarijs competentes dicuntur hæreditaria.*
10 *Pecunia ex vsu rei hæreditariæ percepta dicitur hæreditaria.*
12 *Patronus non potest agere petitione hæreditatis aduersus emptorē hæreditatis, cui libertus in fraudem alienauit.*
13 *Caluisiana actio competit patrono aduersus illum, qui hæreditatem à liberto in fraudem patroni emit.*
14 *Debitor hæredis non potest conueniri petitione hæreditatis.*
15 *Donatarius, cui à liberto mortis causa donatum est in fraudem patroni, non potest conueniri petitione hæreditatis.*
Fallit, quando iste donatarius malæ fidei possessor esset vt num. 17.
16 *Petitio hæreditatis non datur contrà titulo possidentem.*

In

PRosequitur I. C. adhuc proponere exempla, in quibus appareat, quomodo quis iuris possessor dicatur, itaut petitione hæreditatis conueniri possit, & pri-
1 mò exemplificat in eo, † qui per vim deiectus sit de possessione rerum hæreditariarum, dùm ipsas pro hærede possideret, iste namquè iuris possessor dicitur, vt hic in principio §. nostri, cùm quo concordat textus in l. illud §. actiones infr. hoc titulo nostro.

2 Ideo autem iste, † qui per vim deiectus est, debet posse conueniri petitione hæreditatis, quia res ipsas hæreditarias pro hærede possidebat, & qui pro hærede possidet, petitione hæreditatis conuenitur l. regulariter supr. hoc titulo nostr. licetquè amplius res hæreditarias non possideat, cùm per vim ab ipsis
3 deiectus sit, † quia tamen sibi competit interdictum vndè vi, vt restituatur eo, vndè deiectus fuit, & sic ex istis rebus hæreditarijs sibi quæsita est actio hæc, ideo petitione hæreditatis conueniri potest, vt hanc actionem hæredi cedat, idest tamquàm hæreditariam restituat, Nec solum iste qui per vim deiectus est petitione hæ-

4 reditatis conueniri potest, sed & ille, † qui eum deiecit hac actione poterit ab hærede conueniri, dicitur enim pro possessore possidere, cùm vim intulerit l. extat supr. quod met. caus. vndè petitione hæreditatis tenetur d. l. regulariter supr. hoc titu. nostr.

Secundò I.C. in hoc tex. exemplum de
5 iuris possessore ponit in eo, † qui hæreditatem vendidit, siuè eam possideret, siuè non, semper enim iuris possessor dicitur, vt hic in versiculo. Idem Iulianus ait, cùm quo concordat textus in l. etiam §. quod si quis hæreditatem supra hoc eodem titulo, & in l. item veniunt §. præter hæc infr. eodem, qui ergo hæreditatem vendidit iuris possessor dicitur, & petitione hæreditatis conueniri potest, siuè precium hæreditatis venditæ consecutus fuerit, siuè non, nam si precium iam
6 consecutus sit, † id succedit loco rei l. si & rem, & precium infr. de titulo nostr. diximus nos superius in d. l. etiam §. quod si quis hæreditatem numero 24. & in princip. l. nostræ numero 25. Si verò precium nondum consecutus sit, tunc quia actionem habet ad precium consequendum, ideo petitione hæreditatis conueniri potest, vt hanc actionem tamquam hæreditariam cedat, In his itaquè duobus exemplis datur petitio hæreditatis pro cessione istarum actionum tamquam hæredirariarum, quod etiam euenit in l. quod debetur infr. de pecul. in l. Papinianus infr. mandat. & in l. secunda §. peruenisse infr. de hæreditate, vel actione vendit.

Donell. libro decimonono commentariorum iuris ciuil. capitulo decimotertio col. 9. inquit duas res esse, quæ ostendunt actiones istas non esse hæreditarias, & per consequens pro eis non posse competere petitionem hæreditatis, & primò
7 † quia nihil est hæreditarium, nisi quod prius fuerit hæredıtatis, & per hæreditatem inconsequentiam postea ipsius hæredis, at hæ actiones fatendum est, quod ipsi possessori sint quæsitæ, vndè & cùm illo ità agitur, vt eas tamquam suas cedat hæredi, & hoc nulla alia ratione, nisi quia prius hæres eas non habuit, hæ ergo actiones ideo ceduntur, quia numquam hæreditatis, aut hæredis fuerunt, & sic non videtur, quod possint dici hæreditariæ. Secundò id pariter suaderi vi-
8 detur, † quia nihil est hæreditarium, quod non prius aut fuerit in bonis defuncti, aut posteà primum hæreditati sit quæsitum antè eius aditionem, argumento eorum quæ diximus superius in l. etiam §. fin. numero septimo, & octauo hoc titulo nostr. at hæ actiones nulli dubium est, quod non defuncto, nec hæreditati, nec etiam ipsi hæredi, sed extraneo possessori primum quæsitæ fuerunt, ideo non videtur, quod possint dici hęreditariæ, & per consequens non videtur verum, quod pro eis competere possit petitio hæreditatis; Pro horum contrariorum solutione inquit Donell. subtilitate iuris attenta fatendum esse has actiones non esse hæreditarias, cùm enim in personam sint, sic ex contractu dicuntur tribui contrahenti personæ, & sic ex maleficio ei tribui dicuntur, qui ex maleficio læsus est, vt præcipuè eius personæ cohæreant, nec ad alios transeant, attenta tamen origine, & causa acquirendi, cùm iudicium istud sit bonæ fidei, ideo il-
9 lius æquitas suadet, † vt actiones istæ debeant esse hæreditariæ, cùm sint ad instar fructuum natæ ex re hæreditaria, Vide-
10 mus enim in simili, quod † pecunia, quæ ex vsu solo rei hæreditariæ percepta est, vt sunt mercedes, & pensiones rerum locatarum in fructu hæreditatis habetur, atquè hinc dicitur pecunia hæc fieri hæreditaria l. mercedes infr. hoc tit. nostr. Vndè cùm subtilitas iuris id faciat, vt actiones istæ possessoris personæ acquirantur, ideò prohibet eas hæreditarias dici, de eis tamen sic petitione hæreditatis agitur, non vt directò restituantur hæredi, cùm nondum propriæ eius fuerint, Sed vt ei cedantur, cuius ex æquo, & bono esse

no esse debuerant, quod nihil aliud est, quàm vt ipsi hæredi obliqua uia idest per cessionem restituantur; Remanet ergo
11 firma conclusio ex hoc tex. quòd † qui hæreditatem alienauit, siuè eam possideret, siuè non pro iuris possessore habetur, & per consequens petitione hæreditatis ex Iuliani sententia coueniri potest, siuè iam precium habuerit, siuè actionem habeat ad id consequendum, dicitur enim quasi actionem hæreditariam possidere.

Sed nascitur difficultas, q̃d si libertus in fraudem patroni hæreditatem alienauerit, numquid patronus, cui actio Caluisiana competit pro reuocatione hæreditatis l. prima §. si pluribus, & passim in tot. tit. infr. si quid in fraud. patron. possit agere petitione hereditatis aduersus hunc
12 emptorem hæreditatis, † & textus noster hic in uersiculo idem scribit determinat, quòd non, & quidem duplici ratione;
13 primò † quia Caluisiana actione iste emptor tenetur ipsi patrono, quæ prima ratio non est bona, ut inquit gloss. hic, & ut inquit Odofr. non valet festucam; quia pari ratione dicendum videretur, quod ubicunque alicui defertur hæreditas, non deberet dari petitio hæreditatis, quia sibi competit rei uendicatio, & publiciana pro singulis rebus l. secunda C. hoc titulo nostro, cùm itaquè hæc non sit bona ratio, altera, & secunda succedit, quia scilicet emptor iste hæreditatis non erat debitor hæreditatis, vel defuncti, sed patro-
14 ni, & sic hæredis, † quo casu petitione hæreditatis conueniri non potest, ut supr. in fin. princip. l. nostræ, & ibi diximus nos sub numero 31. cùm seq. & probat textus in l. & non tantùm §. quod si pro emptore infr. eodem.

Id autem quod dictum est de emptore hæreditatis à liberto, quòd non teneatur patrono petitione hæreditatis, extendi-
15 tur, ut etiam procedat † in eo, cui à liberto mortis causa donatum sit, non enim conueniri potest petitione hæreditatis, ut hic in uersiculo ergo nec ab eo, cùm quo concordant dicta in l. regulariter supra hoc titulo nostr. & in l. quarta C. in quib.
16 caus. cess. long. temp. præscript. † petitio enim hæreditatis non datur contra titulo possidentem l. hæreditatis C. hoc tit. nostr. diximus nos superius in d. l. regulariter num. 7. & 8. & in l. nec ullam §. omnibus num. 3. supr. hoc tit. nostr. at iste cui mortis causa donatum est tit. donationis possidet, undè petitione hæreditatis non poterit conueniri, uel ratio sit eadem de qua suprà, quia ubi alienat libertus in fraudẽ patroni, ille in quem alienatum est, dicitur debitor patroni, & sic hæredis, non hæreditatis, aut defuncti, quarè non potest hoc casu dari petitio hereditatis, quod
17 tamen non procedit eo casu, † quando iste cui mortis causa donatum est, malæ fidei possessor esset, ut in d. l. nec ullam §. omnibus, & ibi diximus nos sub num. 13. & re-
18 gula est, † quod in alienatis in ultima uoluntate non consideratur an fraudulentèr sit facta alienatio, sed inspicitur euentus l. 1. §. 1. infr. si quid in fraud. patr.

Tertio I. C. in tex. nostro exemplũ pro-
19 ponit iuris possessoris de eo † qui ex causa fideicommissi hereditatem restituerit, uel singulas res præstiterit, cùm tamen testamentum falsum esset, potest enim petitione hæreditatis conueniri quasi iuris possessor, ut hic uersic. Idem Iulianus, cùm quo concordat tex. suprà in princip. §. nostri, &
20 in uersic. Idem Iulianus; † Si enim bona fide ignorans testamentum falsum esse hereditatem, uel rem hæreditariam restituerit, condictionem indebiti habet ad repetendas res restitutas l. 2. infr. de condict. indebit. ideò cùm sibi competat hęc actio, tamquàm iuris possessor censetur, & sic petitione hæreditatis conueniri potest, ut hanc actionem tamquam hæreditariam petitori cedat, ut suprà est dictum sub nu.
21 6. † Sin uerò mala fide sciens testamẽtum falsum esse uoluit tñ restituere, tunc quia dolo possidere desijt, possidere uidetur l. nec ullã §. item si quis dolo supr. hoc eod. tit. diximus nos in d. l. nec ullam §. is autẽ supr. eod. & per cõsequens petitione heredi-tatis absolutè conueniri potest, qd ue-

rũ est non solũ si hæreditatẽ restituerit, vel
22 rem hæreditariam, verum et † si precia rerum hæreditariarum ex causa fideicommissi alicui soluerit, quia enim precia hæc certi condictione repetere potest, ideò petitione hæreditatis conueniri potest, & his casibus dum conuenitur, solum peti po-
23 test, vt actiones sibi cõpetẽtes cedat, † cùm res ipsas hæreditarias petitor ab eis vindicare possit, qui eas detinent l. si post mortem in fin. C. hoc tit. nostr. & l. etiam §. qđ Si quis hæreditatem sup. eod. benè verùm
24 est, † quod si petitor iam habuerit preciũ ab hoc venditore, tunc res ipsas hæreditarias non poterit ab eo petere, qui eas detinet, nec è cõuersò si res ipsas habuerit debet posse precia ab hoc venditore conse-
25 qui, † cùm quis non debeat eodem instanti & rem, & precium habere l. 1. C. si seru. exter. se em. mandau.

Huic autẽ textui obstare videtur tex. in d. l. nec vllã §. is aũt supr. hoc tit. nostr. qui de directo contrariari videtur textui nostro; ibi enim vult I. C. quòd qui restituit hæreditatem, non possit conueniri petitione hæreditatis, hic vult ab eo hereditatem
26 peti posse; Pro solutione dicamus † tex. illum loqui in eo casu, quandò quis iam restituit hæreditatem, vel rem hæreditariã, & sic nihil amplius possidet, qui. n. nõ possidet, non potest hac actione conueniri, vt per Bar. ibi, tex. verò noster loquitur tunc, quando huic restituenti competat condictio indebiti, quo casu licet non possideat hereditatem, vel rem hereditariam, quam restituit, possidet tamen hanc condictionem indebiti tamquam actionem hæreditariam, ideò conueniri potest, vt eam cedat, vt inquit gloss. in d. §. is autẽ in verb. non potest.

Iulianus] ille scilicet, de quo superius diximus in l. nec vllam §. omnibus hoc tit. nostro numero 27.

27 Scribit] hoc † verbum multas significationes habet, quandoquè enim scribere est scripto promittere, vndè Scæuola I. C. in l. fin. infr. de dol. mal. & met. except. ait homo rusticanus genero scripsit quasi vsuras præteritas, quo sensu sumi potest id, quod Vlpian. dixit in l. quoties §. non tantùm infr. de administrat. tut. dùm dixit tutorem sibi pecuniam creditam scribere posse; Scribere etiam est testamento dare, & reliquere, Vndè Vlpianus in l. si seruum infr. de acquir. hæredit. inquit, nam cùm scribit ei libertatem; & Quintil. declamat. 380. ait, Aeger à seruo cui libertatem scripserat, venenum petit, nolenti dare, crucem scripsit; Sic etiam dicitur scribere tutorem idest tutorem dare in l. qui testamento infr. Qui testam. fac. possunt; Et Cicero pro Cluent. dixit, Nemo ex tàm multis cognatis, & affinibus tutorem vnquam liberis suis scripsit; Scribere vlterius est hæredem aliquem declarare, vel etiam exheredem facere, vt in l. 1. §. Pomponius infr. de Carbon. edict. & in l. si quis ex his infr. Vnd. lib. Aliàs scribere est notam inurere, vt in l. si quis in metallum C. de poen. indè inscriptos vultus dixit Plin. libro 18. capitulo 3. quandoquè scribere est proponere, vndè Prætor scribere dicitur actionem, qui in edicto, & albo proponit l. prima inf. de eo qui pro tut. negot.
28 gess. † propriè tamen verbum scribere munus Iurisconsultorum importat, quo sensu sumitur in §. nostro in l. Neratius supr. hoc eodem titulo, & passim, Vndè Pompon. I. C. in l. secunda supr. de orig. iuris versus fin. versic. & vt obiter sciamus de Iurisconsultis loquens ait, Sed plerunquè iudicibus ipsi scribebant.

Vi fuerit deiectus] per violentiam
29 scilicet, † Vis autem dicitur quidquid nullo iure fit contrà liberam alicuius voluntatem, vndè vis dicitur esse maioris rei impetus, cui resisti non potest l. secun-
30 da supr. quod met. caus. † quæ vis iuri opponitur in l. extat supr. eod. titulo Quod
31 met. caus. † & multiplex dicitur vis, vt per gloss. in d. l. extat. supr. quod met. caus. prima est vis expulsiua, quæ propriè cadit in rebus soli, seu immobilibus, quandò scilicet quis ex possessione fundi, vel ædium vi deijcitur, de qua loquitur tex.

noster,

noster, & pro hac violentia datur interdictum Vndè vi ad recuperandam possessionem, de quo in §. Item recuperandæ Inst. interdict. in l. si quis in tantam C. vnd. Vi, in c. redintegranda 3. quæst. 1. & in c. sæpè extr. de restitut. spoliat. Secunda est vis ablatiua, quæ circà res mobiles committitur, quando per vim eiusmodi res auferuntur, & rapiuntur, de qua tractatur in tit. C. & infr. de vi bon. rapt. Tertia est vis turbatiua, quæ tunc committitur, quando duo plures vè prætendunt se possessores eiusdē rei, & vnus alium turbat, quæ violentia si cadit in rebus immobilibus, tunc locum habet interdictum vti possidetis, si verò in rebus mobilibus, tūc interdictum vtrobi locum habet d. §. retinendæ Instit. de interdict. Quarta est vis inquietatiua, quādo aliquis qui non sit possessor, nec etiam prætendat se possessorem, vi aut clam inquietat, nec sinit alterum re sua quietè vti, quo casu interdictum quod vi aut clam competit, vt in tot. tit. infr. quod vi aut clā. Vltima tandem est vis compulsiua, quando quis per vim, aut metum cadentem in constantem virum compellitur ad aliquid dandum, vel faciendum, & tunc competit actio quod metus causa, de qua in tot. tit. supr. quod met. caus.

32 Interdictum Vndè vi] hoc † interdictum vndè vi locum habet, cùm quis possessionem soli per vim amisit, & datur directè contrà eùm, qui deiecit, vel mandauit, aut suasit fraudulenter, vel ratam habuit deiectionem, vt in tot. titulo infr.
33 quod vi aut clam; † interdictum autem est decretum Prætoris ad tempus, hoc est interea dùm principalis causa disceptatur interpositum, diciturquè interdictum esse actio in factum Prætoria, Idest à Prætore
34 inuenta, & ideò † interdictum actionis verbo contineri inquit Vlpian. in l. actionis infr. de act. & oblig. & hinc videmus, quod illud quod interdictum dicitur, paulò post actio, modò iudicium appellatur, vt in l. is qui §. si fundus infr. quod vi aut
35 clam, † differebat autem interdictum ab actione, quia actionum solemnitas à iure ciuili erat introducta, Interdictum autem à iure Prætorio, vel secundum Azon. quia in actione verborum solemnitas non formabatur in singulorum personis, sed erant generalitèr in omnium personis formata solemnitèr verba, In interdictis autem quot erant homines, qui ea proponere volebant, tot. ijs desiderantibus, & petentibus formabantur solemnitates, vel conceptiones, quibus contrà aduersarios in caussis suis vtebantur, quas interdicta vocabant, hodiè autem inter actiones, & interdicta nulla est differentia §. fin. Instit. de interdict.

Cedere debet] idest renuntiare, vt
36 in clem. vnic. de renunciat. † cedere autem vt Nonius Marcellus voluit significat abire superatum, & victori locum dare.

Hæreditarias res] hæreditarias res pro ipsa hæreditate posuit Tullius, quod Galli similiter faciunt, qui res suas immobiles idest fundos, & prædia hæreditagiū
37 vocant; † At Iurisconsulti qui subtilius res ipsas quæ fuerunt hæreditatem separant à
38 rebus hæreditarijs, voluntquè † hæreditatem iuris nomen esse, itaut quis eius qui nihil in bonis habeat hæres esse possit vt inquit Connan. lib. 10. comment. iuris ciuil. cap. 5. num. 1.

Eum teneri] ad precium scilicet vt in l. si & rem infr. hoc eodem titulo.

Actionibus cedat] idest actiones pre-
39 stet, † cedere enim actionibus pro præstare ponitur in l. patri §. primo supr. de minor. in l. quod si seruus §. idem labeo in fi. infr. de in rem. versic.

Patronum] manumissorem nempè,
40 qui ex seruitute seruum manumiserit, † patroni autem variè in iure nostro accipiuntur, inprimis autem patronos vocarunt Romani tutores, & defensores auctore Io. Zonara in Romulo, & Hesichio in verbo πάτρωνες, nam vt lib. 2. Dionys. scribit Romulum ferunt Patricijs plebeios commendasse optione cuiquè è vulgo data, quem vellet patronum eligendi, prout etiam moris apud Athenienses fuit, & hæc pau-

perum tutela patronatus appellata fuit,
istiquè patroni ex lege Romuli clientum
cautis adesse, easquè defendere cogeban-
tur, vndè factum est, vt hodie oratores, &
aduocatos causarum patronos dicamus,
quia causas ipsas tuentur, ità Imperator in
l. rem non nouam §. patroni C. de iudic.
Hoc nomen patroni posteà manumissori-
bus datum est, vndè patronos eos accipi-
mus, qui ex seruitute seruos suos manumi-
serunt, siuè ex necessitate, quoniam rogati
fuerunt manumittere, vel hac lege eme-
runt, vt manumitterent, siuè ex volũtate id
fecerint, de quibus in tot. tit. Institut. de li-
bertin. cùm duobus titulis sequentibus. Pa
troni etiam de iure Canonico illi dicũtur,
qui ius habent Rectores in Ecclesijs insti-
tuendos Episcopo offerendi, & isti trib. de
causis efficiuntur, delatione scilicet, dona-
tione, & cõstructione, Vndè versus; Patro-
num faciunt dos, ędificatio, fundus, quarè
patroni Ecclesiarum dicũtur, de quibus in
tot. tit. extr. de iur. patron. & generaliter
patroni dicuntur quasi patres, vt per Con-
nan. libro secundo commentariorum iu-
ris ciuil. capitulo septimo numero pri-
mo.

Cui libertus] à patrono scilicet manu
41 missus † libertus enim dicitur is, qui ex iu-
sta seruitute manumissus est, vt in princip.
Instit. de libertin. & in l. libertini supr. de
42 stat. domin. † Hocquè nomen libertus à li
bertino eo solum differt, quod libertinus
est nomen adiectiuũ, libertus verò est no-
men substantiuum, vndè libertus dicitur
cùm vel de patrono, vel de iure patronatus
agitur, libertinus verò tũc dicitur, cùm sta
tum hominis significare volumus ad diffe
rentiam scilicet ingenui, vel Serui, & inter
istos præter hanc rellationis nulla est diffe
rentia, vt Vall. libro quarto elegant. exi-
stimat.

43 In fraudem] fraus † variè in iure no-
stro accipitur, in specie autem dicitur dece
ptio illa, quę in damno pecuniario interue
nit in alienationib. manumissionibus vè,
quæ in creditorum, vel patroni fraudẽ fiũt
l. 1. §. & aliàs infr. si quid in fraud. patron.
44 & hoc modo sumitur in tex. nostro, † Vn-
dè fraus dicitur damnum, quod vel mala
fides aduèrsarij, vel ipse euentus rerum af-
fert, ità Cuiac. ad l. iurisgentium §. sed si
fraudandi supr. de pact.

45 Caluisiana actione] Actio † Calui-
siana est quædam actio in factum vt pla-
cuit Rofred. in tractat de ordin. iudic. par.
1. in Rubr. de act. in fact. Caluis. & secun-
dùm aliquos est actio in personã, qua pa-
troni vtuntur ad reuocãda ea quæ in frau-
dem ipsorum liberti alienarũt l. 1. §. si plu-
ribus l. 2. l. 3. §. si intestatus, & l. fin. infr. si
quid in fraud. patr. l. 2. infr. si à parent, quis
manum. sit, & hæc vt quidam dixerunt so-
li patrono competit d. l. fin. C. si in fraud.
patr. Azo verò hanc actionem cõmunem
dixit creditori, & patrono in sua Sum. C. si
in fraud. patr. versic. reuocatur autem alie
natio, & in Sum. C. de reuocand. his, quæ
in fraud credit. alien. sunt versic. est autem
46 sciendum, sed quidquid sit certum est, † qđ
est actio reuocatoria, quæ datur ad re-
uocandum id, quod in fraudem aliena-
tum fuit.

Mortis causa donatum est] quæ
mortis causæ donatio morte donantis cõ-
firmatur l. mortis causa donatio infr. de
mort. caus. donat.

Condictionem eorum] condictio
47 † semper est dicta actio in personã l. actio-
48 num infr. de act. & oblig. † condictio autẽ,
& vendicatio ad rei recuperationem perti
nent, vt inquit Gaius in l. si pignore §. cùm
furti infr. de furt.

49 Velut iuris possessor] dictio † velut
impropriętatis, & fictionis nota est, Vndè
velut hæredes dicuntur bonorum possesso
50 res, & cœteri honorarij successores, † cùm
hæredes sola lex, vel Principis constitutio
facere possit l. prima infr. de possessoria
hæreditatis petit. §. quos autem Institut.
de bonor. possess. ità peculium veluti pa-
trimonium dicitur in l. si ex duobus §. pri-
mo & in l. peculium & ex eo infr. de pe-
51 cul. † quia patrimonium non habent per-
sonæ

sonæ alieno iuri subiectæ, sic in tex. nostro, & in l. item videndum §. si quis cùm infr. eodem velut iuris possessor dicitur,
52 † nam iuris possessio propriè nulla est.
53 Quas distraxit] hoc est † vẽdidit, quo sensu sumitur etiam in l. cùm hi §. si vni supr. de transact. ità etiam sumitur in tot. titulo infr. & C. de distract. pign. & in tot. titulo C. de patr. qui fil. suos distrax.

Quia repetere] idest restituendum petere potest.

54 Dumtaxat] idest † solum, vt in l. cùm plures infr. de administrat. tut. huius autem particulæ vim ostendit Bart. in l. cùm ità infr. de condit. & demonstrat.

Reliquæ leges huius tituli ob superuenientes va cationes consultò dimissæ fuere, & vt totus iste Quintus liber compleri posset, summariè reliqui tituli paratitlorum more, ommissa singularum legum explicatione expediti fuere.

SI PARS HÆREDITATIS PETATVR Titulus IV.

Ad Tit. ff. Si pars hæred. per.

SVMMARIVM.

1 *PEtitio hæreditatis est genus actionis.*
2 *Si pars hæreditatis petatur, dicitur actio quæ est species petitionis hæreditatis.*
3 *Continuatio huius tituli.*
4 *Idem iuris est in parte, quod in toto.*
5 *Actor in petitione hæreditatis ius metitur ex iure sibi competenti, non ex eo quod possessor occupauit.*
6 *In petitione hæreditatis id principaliter agitur, vt actor hæres declaretur.*
7 *Hæredes plures in petitione hæreditatis, vel partis ipsius debent agere contrà plures possessores, nec vnus vnum, alius alium eligere potest.*
8 *Hæredes plures hæreditatem pro indiuiso possidentes inuicem conueniri possunt, & petitione hæreditatis, & actione familiæ erciscundæ.*
9 *Petitio partis hæreditatis non differt à petitione totius hæreditatis specie, sed numero tantùm.*

DE petitione hæreditatis actum fuit,
1 † quæ est genus actionis ad petendas res hæreditarias institutum; sub quo posteà variæ species actionum continẽtur, de quibus sigillatim nunc in tit. nostro, &
2 duobus sequentibus tractatur, † prima autem species est, quæ dicitur Si pars hæredi
3 tatis petatur, † cum enim Iuriscõsulti proposuerint actionem ei competenti, qui ad se solum hereditatem totam spectare contendit, cõsequens modò est, & aliam actionem proponere, quæ ei datur, qui partem hereditatis petit, non enim omnes ex asse, sed alij ex alijs partibus instituuntur, aut ab intestato hæredes fiũt, vndè in hac partis petitione idẽ iuris seruatur, qđ & in totius hæreditatis petitione obseruatũ fuit,
4 † cùm idem iuris sit de parte qđ parte, qđ est de toto quoad totũ l. quę de tota inf. de rei vendicat. in terminis nostris facit tex. in l. hæreditatem C. in quib. cau. cess. lõg. temp. præscrip. tradit Castr. in l. 2. C. de petit. hæredit. In hac autem specie petitionis
5 hęreditatis sciendum est eum, † qui totam hereditatem, vel partẽ ipsius petit ius non metiri ex eo, quod possessor occupauit, sed ex iure quod sibi competit, vt in l. 1. §. qui hæreditatẽ hoc tit. nostro; Et ideò siuè ex asse hęres sit totam hæreditatẽ vindicabit, licet reus vnam tãtùm rem possideat, siuè ex parte tãtùm hæres sit, partẽ solum vindicabit, licet possessor totam hæreditatem possideat, vt in d. l. 1. §. qui hæreditatem; Vndè ex hoc patet, qđ in hac actione non agitur principalitèr, vt bona restituantur, si hoc namquè esset, non liceret à quoquã petere amplius, quam ipse possideret, & restituere posset, sed agitur ad hoc præcipuè,
6 † vt actor hæres declaretur, & in consequẽtiam, vt accessionis vice ei tamquàm hæredi, & domino bona restituãtur, siuè certus sit de parte, quã petit, quo casu attendi debet, an possessor ius habeat, vt putà qa cohæres sit, an non, siuè etiam de parte, quã petit, incertus sit, de quo tractatur in d. l. 1.
7 §. fin. hoc tit. nostro, † & si sint plures hæredes debent agere cõtrà plures possessores, nec vnus vnum, alius alterum eligere põt,
8 † Si plures pariter sint, ad quos hæreditas pro indiuiso pertineat, alter ab altero hac actione conueniri põt, vel actione familiæ Erciscundę, si fateantur se hętedes, vt in d.
9 l. 1. §. quinimò, & §. proindè hoc eod. titulo. † In summa hæc actio à præcedenti non differt specie, sed numero;

DE POSSESSORIA HÆREDITATIS Petitione, Tit. V.

Ad Tit. ff. de possess. hæredit. petit.

SVMMARIVM.

1 *Ontinuatio tituli.*
2 *Bonorum possessio quid sit.*
3 *Possessoria hæreditatis petitio quid sit.*
4 *Possessoria hæreditatis petitio est actio Prætoria.*
5 *Possessoria hæreditatis petitio duplex est.*
6 *Possessoria hæreditatis petitio ab intestato quo ordine deferatur.*
7 *Possessoria hæreditatis petitio extraordinaria defertur ex nouo iure in subsidium, & vaga dicitur.*
8 *Possessoria hæreditatis petitio bonorum possessori datur.*
9 *Prætor non minus tuetur bonorum possessorem, quam faciat ius ciuile hæredem.*
10 *Petitio hæreditatis directa est, possessoria vero hæreditatis petitio vtilis dicitur, cum tamen & ipsa directa dici possit.*
11 *Bonorum possessor stricto iure non est hæres.*
12 *Prætor hæredem non facit, sed tantum bonorum possessorem.*
13 *Possessoria hæreditatis petitio quare possessoria dicatur.*
14 *Ius ciuile non cognoscit emancipatos.*
15 *Possessoria hæreditatis petitio tantum operatur, quantum directa hæreditatis petitio.*
16 *Possessoria hæreditatis petitio tantum tribuit bonorum possessori, quantum hæres actionibus ciuilibus consequi potest.*
17 *Possessoria hæreditatis petitio vt competat, quæ exigantur.*
18 *Bonorum possessio non petitur per possessoriam hæreditatis petitionem.*
19 *Petitione hæreditatis non agitur, nisi prius animo sit adita hæreditas.*
20 *Emancipati hodie æqualiter succedūt sicut, & sui.*
21 *Possessoria hæreditatis petitio etiam hodie necessaria est.*
22 *Emancipatus licet æqualiter succedat cum suo, succedit tamen eo modo, quo antea vocabatur.*

1 QVia † ordinatium fuit post ciuiles actiones hæredib. propositas, Prætorem quoq; rationem habere eorū, quos ipse velut hæredes facit, hoc est, quibus bonorum possessio data est, vt in l. 1. hoc tit. nostro, ideò post actiones de petitione hæreditatis, & si pars hæreditat. petat. ponitur titulus noster de possess. hæredit. pe-
2 tit. † bonorum autem possessio nihil aliud est, quàm ius, hoc est facultas persequēdi, retinendique patrimonij, siue rei quæ cuiusque cùm moreretur fuit, à Prætore inductum, & concessum l. 3. §. bonorum inf. de bonor. possess. Vt autem huius actionis, & in consequentiam huius tituli perfectam notitiam habeamus, videamus volo primò quid sit hæc possessoria hæreditatis petitio, Secūdò quotuplex sit, Tertiò quibus detur, Quartò quare possessoria dicatur, Quintò ad quid competat, Sexto & vltimò, quæ requiratur ad hoc, vt hæc possessoria hæreditatis petitio locū habeat. Et
3 quoad primū † quid sit hæc possessoria hæreditatis petitio, dicamus vnà cùm Hermanno Vult. in sua Iurisprud. Rom. libro secundo cap. 22. sub. tit. de possess. hæredit.
4 petit. qđ † possessoria hæreditatis petitio est actio Prætoria, qua bona hæreditaria, in quorum possessionem quis missus est, ab eo, qui illa pro hærede, vel pro possessore possidet, restitui petuntur.
5 Duplex † autem est hæc possessoria hæreditatis petitio, vt ad secundum accedamus, altera ordinaria, altera verò extraordinaria; Ordinaria est, quæ ex ipso Prætoris edicto datur secundùm ordinem ab illo definitum, & hæc vel competit ex testamento, vel ab intestato, si ex testamento

com-

competat vel secundùm tabulas testamenti, vel contrà tabulas testamenti datur, vt in tot.tit. infr.de bonor.possess.contr.tab. & de bonor.possess.secund.tabul. Si verò ab intestato competat, tunc datur in eo casu, quando omninò testamentum non est factum, vel si sit factum, tale tamen sit, qđ
6 ne iure quidem Prętorio sustineatur, † quo casu defertur primò liberis, vt in tot.titul. infr.vnd.lib. his autē non extantibus tunc defertur secundo loco legitimis hoc est cognatis, vt in tot.titu.infr.vnd.legit. post agnatos tertio loco cognatis datur, vt in toto tit.infr.vnd.cognat. vltimo tandem loco istis omnibus deficientibus coniugibus demum defertur, vt in tot.tit.infr.vnd.vir & vxor. Extraordinaria autem possessoria hæreditatis petitio nulla certa edicti par-
7 te continetur, † sed extrà successoriæ dispositionis ordinē defertur in subsidium specialis alicuius legis, Senatusconsulti, vel constitutionis Principis ex nouo iure, vel ex testamento, vel ab intestato, & vaga dicitur nulla certa edicti parte stabilita, de qua in tit.vt ex legib. Senatusuè Consult. bonor. possess. det. & modo competit ex Carboniano edicto, vt in tit.infr.de Carbon.edict. modo ventris nomine competit, vt in tit.infr.de ventr.in possess.mitten. modo litis ordinandæ causa datur, vt in l. Papinianus §. 1.sup.de inoff.testa.

Sed iam ad tertiū accedamus, quibus scilicet detur hæc possessoria hæreditatis
8 petitio, † & dicamus eam dari bonorum
9 possessori, quem Prætor † nō minus tuetur, quàm ius ciuile hæredem faciat, vt in tot. tit.Instit.de bonor.possess.vndè sicut ciuilis petitio hæreditatis hæredi, ità hæc possessoria hæreditatis petitio bonorum possessori datur, qui vice hæredis est, in tan-
10 tùm † vt si hæc ad illam comparetur, hæc videatur esse vtilis, illa directa, tamē si hęc etiam si ius Prætorium spectemus directa sit, vt per Vult.d.lib.2.Iurispr.Roma.cap. 22.sub tit.nostro, bonorum itaque posses-
11 sori datur, † qui stricto quidem iure hæres
12 non est, sed est similis hæredi, † Prætor nanque hæredem facere non potest (cùm id maioris imperij sit, vt puta legis) sed quod ei proximum est bonorum possessorem facit §.quos autem Inst.de bon.poss.

Et ideo possessoria (vt ad quartum
13 accedamus) dicitur hæc actio, † quia bonorum possessori datur, vt inquit Rofr. in tractat.ordin.iudic.part. 1.sub Rubr.dè possess.hæredit.petit. Si enim quis vocetur ad successionem de iure Prętorio, vt eman
14 cipatus, † quia ius ciuile eum non cognouit § emancipati Instit.de hæredi.quæ ab intest.defer.& §.emancipatos Institut.de exhæredat.liber.quia ille non potest habere directam petitionem hæreditatis, ideo
15 habet hanc possessoriam, † quæ tantū operatur quantùm directa petitio hęreditatis vt in l.1.& 2.hoc tit.nostro.

16 Quarè † per eam tantundem consequitur bonorum possessor (& sic ad quintum deuenio ad quid scilicet competat hæc actio) quātum superioribus ciuilibus actionibus hæres ciuilis consequi potest d.l.2. hoc tit.nostro.

Sed iam ad vltimum deueniamus, quęnam scilicet requiratur, ad hoc vt hæc possessoria hęreditatis petitio locum habeat;
17 † multa enim requiruntur, & primò, ut ille qui eam uult intentare sit de illis personis, quæ de iure Prætorio uocantur, prout emancipatus, ut in princip. Instit.de bon. possess.& in §.emancipati Instit.de hæred. quæ ab intesta.defer. Secundò requiritur, quod si testator fecerit testamentum, ille qui intentat hanc possessoriam hæreditatis petitionem in illo testamento uel fuerit præteritus, uel exhęredatus, & sic quod testamentum prius rescissum fuerit, quando enim præteritus est filius emācipatus, tunc prius per contratabulas rescindi debet testamentum, uel per querelam quando est exhæredatus, & postea proponetur hæc possessoria hæreditatis petitio l. qui de inofficioso supr.de inoffic.testam. Tertiò requiritur qđ si defunctus nullū fecerit testamentum, tunc qui intentare uult hāc possessoriam hæreditatis petitionem sit filius & emancipatus, qui vocetur per bon. possess.und.liber. uel sit agnatus, cuius agnatio de iure ciuili desierit esse, putà per emācipationem, ut in l.frater C.de legit.

tutor.

tutor. in l. de emancipatis C. de legitim.
hæredib. & in §.fin. Instit. de legit. agnat.
tut. Quartò tandem requiritur, vt illi, qui
hanc actionem proponunt, probēt sibi bo-
norum possessionem datam esse, vt in l. 1.
hoc tit. nostr. & hoc olim verum erat, ho-
die verò probabunt tātum se ad bonorum
possessionem admissos esse, vt in l. fina. C.
de curat. furios. & in l. fin. C. qui admit. ad
18 bonor. posses. poss. ex quo sequitur † vt hac
actione non ipsa bonorum possessio peta-
tur, sed petita, ac impetrata bonorum pos-
sessione, atque adeò iure quodam petendi
& agendi acquisito, ità quidem bonorum
possessio, vt res, quarum bonorum posses-
19 sio nobis decreta sit, acquiratur, † quemad
modum hæreditatis petitione ciuili prius
non agitur, quàm hæreditas animo sit adi
ta, vt tradit Vult. in d. c. 22. sub tit. nost. in
fin. Sunt tamen qui volunt hodie hāc pos-
sessoriam hæreditatis petitionem locum
20 non habere, † cùm æqualitèr hodie succe-
dant emancipati, sicut & sui §. si quis igi-
tur in Auth. de heredib. ab intest. venient.
Auth. defuncto C. ad Tertull. S.C. & Au-
thent. cessante C. de legit. hæredib. & ità
volunt hāc actionem hodie voluntariam
nō necessariam esse, nisi in casibus, in qui-
bus hodie bonorum possessiones necessa-
riæ sunt, sed quidquid dicant isti conclu-
damus cum Rofred. in d. tractat. de ordin.
21 iudic. part. 1. sub Rubr. tit. nostr. † petitio-
nem istam hodie necessariam esse, licet e-
nim sublata sit inæqualitas in successione
inter suos, & emancipatos, non tamen su-
22 blata est in modo succedendi, quia † emā-
cipatus succedit quidem simul cum eo,
qui in potestate est, sed tamē cum suo mo-
do, idest sicut anteà vocabatur, vt notat
Azo in d. Authen. defuncto C. ad Tertull.
S.C. & in d. Auth. cessante C. de legit. hæ-
redibus. Benè verum est, quod in Regno
Franciæ non est in vsu hęc nostra actio, vt
inquit Dionys. Gothof. hic in not. ad Ru-
br. tit. nostri, sicut nec etiam petitio hære-
ditatis directa in eo Regno attenditur,
quia ex cōsuetudine generali totius illius
Regni Mortuus saisit viuum, idest posses-
sorem facit hæredem suum, & proindè hæ
redes in Gallia iudicio possessorio inter-
dicti retinendæ experiūtur, si intrà annum
à morte defuncti venerint, post autem id
tempus interdicto retinendę experiri non
possunt, vt tradit Rebuff. in tractat. de ex-
cept. num. 1029.

DE FIDEICOMMISSARIA Hæreditatis petitione, Tit. VI.

Ad Tit.ff.de fideicom.hęred.pet.

SVMMARIVM.

1 *PETITIO hæreditatis modò directè, modò vtiliter*
2 *datur.*
3 *Continuatio tituli.*
Fideicommissa omnia olim infirma, & nullius validitatis erant.
4 *Ex lege duodecim tabularum latissima potestas testatoribus erat attributa.*
5 *Fideicommissa dicta fuerunt, quia in sola fide, & pudore hæredis consisterent.*
6 *Diuus Augustus retraxit fideicommissa ad necessitatem iuris, & num. 8.*
7 *Prætor fideicommissarius pro fidei commissis exequendis creatus fuit.*
9 *Creditor debitoris personam mutare, aut nó uare non cogitur.*
10 *Actiones omnes actiuæ, & passiuæ in hęredem transeunt.*
11 *Hæres semel non potest ampliùs desinere esse hæres, & num. 39.*
12 *Trebellianum Senatus consultum quo tempore factum fuerit.*
13 *Trebellianum Senatus consultum omnes actiones ab hærede actiuè, & passiuè in fideicommissarium transtulit.*
14 *Hæres restitutione hæreditatis facta non potest amplius, nec actiones actiuas exercere, nec passiuas suscipere.*
15 *Fideicommissarius loco hęredis est, & eius iura, & vices gerit.*
16 *Fideicommissarius dicitur esse ad similitudinem hęredis.*
17 *Fideicommissarius non à defuncto, sed ab hęrede relictum sibi fideicõmissum capit.*
18 *Pegasianum Senatus consultum quo tempore factum fuerit.*
19 *Pegasianum Senatus consultum hęredibus omnino prouidit de quarta parte hęreditatis sibi retinenda, cùm onere restitutionis grauati essent.*
20 *Hęredes etiam inuiti ex Pegasiano Senatus consulto coguntur adire.*
21 *Pegasianum Senatus cõsultum totum à Iustiniano in Trebellianum translatũ fuit.*
22 *Fideicommissaria hęreditatis petitio quid sit.*
23 *Fideicommissaria hęreditatis petitio à ciuili petitione hęreditatis distinguitur.*
24 *Fideicommissaria hęreditatis petitio dicitur actio vniuersalis, & quarè cum. numer. seq. & num. 31.*
25 *Fideicommissaria hęreditatis petitio proposita est ad vniuersitatem bonorum persequendam.*
26 *Fideicommissaria hęreditatis petitio dicitur actio in rem, & quarè.*
27 *Actionum realium proprium est, vt in eis petatur quid restitui.*
28 *Fideicommissaria hęreditatis petitio licet actio realis sit, præstationes tamen personales habet.*
29 *Fideicommissaria hęreditatis petitio est ad instar directę petitionis hęreditatis, & cùm ea fraternizare dicitur.*
30 *Fideicõmissaria hęreditatis petitione actor petit ius suum declarari, & se dominum pronunciari.*
31 *Fideicõmissaria hęreditatis petitio augmẽtum, & deminutionem natura sua secundùm varietatem casuum recipit.*
32 *Voluntatibus defunctorum quantùm fieri possit consulendum est.*
33 *Fideicommissaria hæreditatis petitio est iudicium, quod duas partes habet.*
34 *Hęres dominus à veteribus tamquam Herus appellatur.*
35 *Fideicommissaria hęreditatis petitio quib. competat cùm numer. sequent.*
36 *Hæreditas in codicillis directò dari non potest, sed tantùm per obliquum, & numero 46.*
37 *Hęreditas per obliquum etiam in testamento dari potest.*
38 *Fideicommissaria hæreditatis petitio quarè*

rè fideicommissario detur, non ciuilis petitio hæreditatis.

39 *Hæres etiam restituendo ex subtilitate iuris remanet hæres.*

40 *Fideicommissarius quoad effectum hæres est.*

41 *Bonorum possessor eius, cui relicta sit fideicommissaria hæreditas potest agere fideicommissaria hæreditatis petitione.*

42 *Fideicommissaria hæreditatis petitio datur aduersus possidentem res hæreditarias pro hærede, vel pro possessore.*

43 *Fideicommissaria hæreditatis petitio, an detur aduersus verum hæredem grauatum restituere.*

44 *Titulus hæredis habetur pro nō titulo quoad fideicommissarium.*

45 *Fideicommissaria hæreditatis petitio vt cōpetat, quænam requirantur.*

47 *Testamentum requirit septem testes rogatos.*

48 *Codicilli requirunt quinquè testes admi- nus, siuè rogatos, siuè non.*

49 *Testamentum vel codicillos ordinans debet habere testamenti factionem.*

50 *Fideicommissarius debet habere testamenti factionem passiuam.*

51 *Fideicommissario debet esse prius facta restitutio, vt possit agere fideicommissaria hæreditatis petitione.*

52 *In fideicommissaria hæreditatis petitione debet probari res quæ petuntur fuisse possessas vel detentas à defuncto.*

53 *Possessione vel detentione probata in vita defuncti, præsumitur quod sit continuata vsquè ad mortem ipsius.*

1 PEtitio hæreditatis † cùm alijs directò detur, alijs vtilitèr, vt inquit Vult. In sua Iurispr. Rom. lib. 2. c. 12. sub tit. nostr. de fideicom. hæredit. petit. directò quidē ipsis hæredibus institutis, vtilitèr verò hæredibus fideicommissarijs, quibus ex testamento hæreditatis est restituta §. & Neronis, & §. sed quia Instit. de fideicommiss. hæredit. l. 1. hoc tit. nostr. ideo postquam
2 actum est de petitione hæreditatis, † meritò modò nunc agitur de fideicommissaria hæreditatis petitione. Cuius actionis, vt perfectam notitiam habere possimus, illud videamus volo primo loco, quomodo fideicōmissa fuerint introducta, & quam necessitatem habeant; Secundo quid sit hæc nostra actio; Tertio cui competat, & quare; Quarto aduersus quos detur; Quinto, & vltimo quænam requirantur ad hoc, vt illa intentari possit.

3 Quoad primum illud sciēdum est, † omnia fideicommissa primis temporibus in-
4 firma fuisse, licet enim † ex lege antiquissima duodecim tabularū latissimā potestas testatoribus esset attributa, vt vti quisquè rei suæ legasset, ita ius esset l. verbis legis infr. de verb. signific. hæreditates tamen vltrà primum hęredē non transibant, quia nemo inuitus cogebatur id pręstare, quod
5 rogatus erat restituere, vndè † fideicōmissa dicta fuere, quod in sola fide, & pudore hæredis consisterent, vt in principio Institut. de fideicom. hæredit. & sic fideicom-
6 missa nullā necessitatē habebant; † Diuus tamen Augustus semel, iterumquè gratia personarum motus, vel quia per ipsius salutem quis rogatus diceretur, vel ne perfidiæ humanę locus esset, ad necessitatem iuris fideicommissa retraxit, & iussit Consulibus auctoritatem suam interponere, tantusquè eorum fauor factus, est, vt paula-
7 tim etiam † Prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellabant, Prætores autem duos à Claudio Cæsare institutos esse, qui de fideicommissis ius dicerent, scribit Pompon. I. C. in l. 2. §. capta supr. de orig. iur. ex ijsquè vnum à Tito Cæsare detractum esse, Vlpianus autem in suis Instit. tit. cap. 25. ait, fideicommissa non per formulam petitur, vt legata, sed cognitio est Romæ quidem Consulum, aut Prætoris, qui fideicommissarius vocatur, in Prouincijs verò Præsidum Prouinciarum, ex quo
8 apertè constat, † fideicommissa hodie ad iuris necessitatē redacta esse, verùm quia sequebatur inconueniens, quòd hæredes ipsi, qui cogebantur fideicommissa restituere, oneribus hæreditarijs absq; aliquo commodo implicarentur, passiuæ enim actiones inuitis creditoribus per sonam hę

 redis,

redis, & sic debitoris non egrediebantur,
9 cùm† creditor debitoris personam noua-
re, aut mutare non cogatur l. si mandato
infr. mandat. l. hæreditatem infr. de donat.
l. 2. C. de pact. & l. 2. C. de hæredit. vel act.
10 vendit. † & in ipsum hæredem iàm omnia
iura actiua, & passiua erant translata vt in
tot. tit. C. de hæredit. act. & l. hęreditas in-
11 fr. de reg. iur. † qui quidem cùm semel fue
rit hæres, non potest amplius secundùm iu
ris regulas desinere esse hæres l. & si sine §.
Sed quod Papinianus supr. de minor. l. ei
12 qui soluendo infr. de hæredib. instit. † ideo
factum fuit Senatus consultum temporib.
Neronis Imperatoris VIII. Kalendas Se-
ptembris Annæo Seneca, & Trebellio Ma
ximo Consulibus, annó circiter LVII. ab
aduentu Christi Saluatoris nostri, quod
in gratiam hæredum ordinatũ fuit, cuius
13 auctoritate † actiones omnes ab hærede
tam actiuæ, quàm passiuæ in, & contrà fi-
deicommissarium hæredem pro qua rata
scilicet ei restituta sit hæreditas, trãsferun-
14 tur, itaut restitutione facta † hæres, pro qua
parte restituit, actiones actiuas exercere
non valeat, nec passiuas quoquè suscipere
cogatur l. 1. in princip. & §. 1. l. restituta in-
fr. ad Trebell. S.C. & §. restituta Institut.
de fideicom. hæredit. vndè in consequentiã
15 ex auctoritate huius Trebelliani S.C. † fi-
deicõmissarius qui aliàs non est hæres de-
functi, nec defuncto continuatione succes-
sionis iungitur, loco hæredis est, & eius iu-
ra, & vices gerit l. qui quadringenta l. po-
stulante §. 1. l. ex asse infr. ad Trebell. S.C.
16 & l. si filius infr. Quod cùm eo, † diciturq;
esse ad similitudinẽ hæredis §. etenim in le
gatarijs in Auth. de hæred. & falcid. est e-
17 nim interpositus hæres, † nec à defuncto,
sed ab hęrede directo, aut legitimo relictũ
sibi fideicommissum capit, vt inquit Con-
nan. lib. 9. comment. iur. ciuil. cap. 6. nu. 8.
Verùm licet post Trebellianum S.C. actio
nes istæ actiuæ, & passiuæ transirent in fi-
deicommissarium, & ipse loco hæredis es-
set, quia tamen hæredes ipsi pro modico,
aut nullo lucro, quia in vniuersum, vel fe-
rè in totum grauati essent, sæpè recusabãt
hęreditates adire, & per consequens fidei.

18 commissa peribant, † ideo temporib. Ve-
spasiani Imperatoris anno à Partu Virgi-
nis LXXIII. Pegaso, & Pusione Consuli-
bus aliud Senatus consultum factum fuit,
quod Pegasianum dictum est, quo proui-
sum fuit tàm hæredibus institutis, & gra-
uatis, quàm etiam fideicommissarijs, hæ-
redibus enim prouisum fuit, quia si nihil
sibi in testamento relictum sit, vel parùm,
19 tunc † omninò quartam partem habere
debeant ex ipsa hæreditate, quam restitue
re grauati sint, eamquè quartam partem
20 sibi retinere valeant, † fideicommissarijs
etiam consultum fuit de remedio, vt hære
des nolentes adire, cogere possent. Huius
21 † autẽ Pegasiani Senatus consulti aucto-
ritas in totum posteà Trebelliano S.C. at-
tributa fuit, adeò vt de Pegasiano hodie
amplius nulla mentio sit facienda, vt au-
ctoritate Cæsarea sanxit Iustinianus in §.
sed quia Instit. de fideicom. hęredit. & hęc
de introductione, & validitate fideicom-
missorum.

Sed iam ad secundum deueniamus, qđ
scilicet sic hæc fideicommissaria hæredita
tis petitio, & eam ad instar directæ petitio
22 nis hæreditatis sic definire possumus, † vt
sit actio Pretoria vniuersalis in rem petito
rij iudicij, bonæ fidei, qua quis petit se hę-
redem fideicommissarium declarari, hęre
ditatemquè ex fideicommisso ad se perti-
nentem ab eo, qui pro hærede, vel pro pos.
sessore possidet sibi restitui, ideo autem di
ximus esse actionem Prætoriam, quia quã
doquè etiam possessori datur, vt infr. mox
mox dicemus, ex quo patet eam Prætoriã
non ciuilem esse, alias possessori non dare-
tur, vt inquiunt Vltramõt. hic in paratit.
ad tit. nostrum sub num. 1. quod etiam &
23 Paulus l. C. innuere videtur, † dùm hanc à
ciuili actione distinguit in l. 2. hoc tit. no-
24 stro, dicta † est etiã actio vniuersalis, quia
per eam petitur corpus bonorũ hoc est vni-
uersitatis oĩum bonorũ, quæ defuncti fue-
25 runt, † cùm ergo ad vniuersitatẽ bonorum
persequẽdum proposita sit, vniuersalis re-
ctè dicitur l. 1. infr. de rei vendic. dicitur &
vniuersalis, quia in eam veniunt oĩa, quæ
ex bona fide, (vndè etiam bonæ fidei dici-
tur)

tur) præstari æquum est, item & veniunt ea omnia, quæ lite pendente ad possessorem peruenissent l. si hæreditatem, & l. si quo tempore supr. de petit. hæredit. dicitur vl-
26 terius † actio in rem, quia ad instar ciuilis, & directæ petitionis hæreditatis datur aduersus possidentem, qui ex nullo cōtractu agenti in aliquo obligatus est ad dādum, vel faciendum, sed solùm conuenitur ra-
27 tione eius qđ possidet, vt id restituat, † qđ proprium est actionum realium §. 1. Instit.
28 de act. l. actionum infr. de act. & oblig. † & licet realis sit, præstationes tamen quasdā personales habet ad instar directæ petitionis hæreditatis, quare poterimus dicere, hanc actionem personalem præstationem mixtam habere, vt supr. in Rub. de petit. hæredit. sub num. 12. dictum fuit, multa, enim, quæ de directa petitione hæreditatis dicta fuere huic actioni conueniunt,
29 † quæ est ad instar petitionis hæreditatis, vt tradit Petr. de fideicom. quæst. 12. num. 23. in tantùm vt fraternizare dicantur istę duæ actiones, vt in l. 2. hoc tit. nostro, tradit Petr. Iacob. in prax. libellorū Rub. 127. num. 11. dictum fuit vlterius hanc actio-
30 nem esse petitorij iudicij, † quia per eam, non modò actor petit res hæreditarias sibi restitui, sed etiam ius suum declarari, & se pronunciari dominum peræquè atque in rei vendicatione, dictum est etiam esse bo-
31 næ fidei, quia † cùm sit vniuersale iudiciū, & augmentum, ac decrementum natura sua secundum varietatem casuum recipiat l. item veniunt §. 1. supr. de petit. hæredit. ideo certa forma concludi, & strictis iudiciorum regulis includi nequit, sed vt suum cuiquè tribuatur, ex æquo, & bono, necesse est, vt interpretationem recipiat, idquè pu-
32 blicè interest, vt † voluntatibus defunctorum prolixius consulatur l. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. l. 3. infr. de testam. Reliqua, verba definitionis posita sūt ad effectum, vt cōstare possit, ad quid detur hæc actio,
33 † sunt enim duæ partes huius iudicij, vt p Bart. in l. 1. C. quor. bonor. in prima actor petit per sententiā iudicis se declarari hæredē fideicōmissarium, & per consequens
34 dominum, † hęredem .n. veteres dominū appellarūt tamquam herū §. fin. Institut. de hæred. qualit. & differēt. in altera verò petit res hæreditarias sibi restitui.

Nunc ad tertium deueniamus, cui scilicet detur hæc fideicommissaria hæredita-
35 tis petitio, † competit enim fideicommissario vniuersali, cui ex Senatus consulto Trebelliano restituta sit hæreditas ab hærede directo saltem verbaliter, vel legaliter, quia scilicet auctoritate legis sibi indicta sit restitutio, vt inquit Peregrin. in tract. de fideicom. artic. 45. numer. 19. quo casu suam esse prætendit hæreditatem, & ad se spectare, siuè per fideicommissum sibi in testamento relicta fuerit, siuè in co-
36 dicilis, in † quibus licet quis directò hæreditatem consequi non possit, per obliquum tamen rogari potest hæres legitimus, vt ipsi restituat hæreditatem l.
37 hereditatem C. de Codicill. † quod etiam in testamento fieri potest l. 1. §. hoc autem infr. ad Trebell. S. C. l. 2. C. de impub. & aliis substit. & l. tertia C. ad Trebell. S. C.
38 † ideo autem huic fideicommissario vniuersali datur hæc fideicommissaria hæreditatis petitio, non directa petitio hæredi-
39 tatis, quia † hæres institutus etiā restituendo de iuris subtilitate remanet hęres dicta l. & si fine §. sed quod Papinianus supr. de
40 minorib. sed quia † fideicōmissarius quoad effectū hæres est l. si filius familias inf. quod cum eo qui in alien. potest. est, ideo ius Prætorium hanc petitionem hæreditatis huic fideicōmissario dedit, & quidem fideicōmissariam, quia per fideicōmissum sibi restituta est hæreditas, vt tradit Rofr. in tract. ordin. iudic. in Rub. de fideicom. hereditat. petit. nu. 1. datur ēt quandoquè hæc fideicōmissaria hæreditatis petitio bo-
41 norum possessori, † si .n. bonorū possessor sim eius, cui fideicōmissaria hæreditas relicta est, vel alius successor hac actione experiri potero l. fin. hoc eodem tit. nostro.

42 Datur autem † hæc actio (vt ad quartū accedamus) aduersus quemcumquè possidentem res hæreditarias pro hærede, vel pro possessore, vt suprà de petitione hæreditatis dictum fuit, & ità datur aduersus putatiuum hæredem, aut aduersus posses-

sorem

43 forem,† non autem aduersus verum hęredem grauatum,qui iam restituit ipsam hęreditatē,vt in l. fin. §. 2. hoc tit.nostro, qui tamen si quid integrum non restituerit volunt Vltram, hic in suis paratitl. in fin. id abeo peti posse ex testamento actione personali, aut reali;Peregrin.verò in dicto tractat.de fideicom. articul.45. num. 19. voluit, quod hæc actio detur etiam aduersus verum hæredem pro rebus vel non reddi-
44 tis, vel non plenè restitutis, quia † quoad fideicommissarium titulus hæredis habetur pro non titulo,ità gloss. magna, quam ibi insequuntur DD. in d. l.final.hoc titulo nostr.gloss.in l.ità tamen §. qui ex Trebellianno in verb.actiones inf.ad Trebell. S. C. hæresquè hac actione conuentus tenetur pro neglectis,& cōsumptis sicut possessor hæreditatis ad tex. in l. quod si possessor,in l.item veniunt §.1.& in l. in æstimationibus supr.de petit. hæredit.

45. Videamus demum, † quæ nam requirantur ad hoc vt hęc actio intentari possit; Primò enim illud desideratur,vt testamētum alicuius præcesserit, vel saltem codi-
46 cilli, † in quibus licet quis directò institui non possit §.fin.Instit.de codicill.per obliquum tamen rogari potest, vt hæreditatē restituat l.hæreditatem C. eod.tit.de codicil.Secundò requiritur,quod testamentū, vel codicilli cùm suis solemnitatibus sint
47 ordinati, † testamētum nempè cùm septē testibus, & rogatis l. hac consultissima C.
48 de testam.† condicilli verò ad minus cùm quinquè testibus siuè rogatis,siuè nō l. fin.
49 C. de codicill.Tertiò exigitur quòd † qui testamentum,vel condicillos ordinauerit, sit talis persona,quæ potuerit rogare restitui bona sua, & ità quæ habuerit testamenti factionem,vt in tot.tit.Institut.quib.nō est permiss.fac.testam.l. 2. C. quand. pro-
50 uoc.non est necess. Quartò requiritur,† vt fideicommissarius,qui hac actione agere vult,sit talis persona, cui possit fieri restitutio hæreditatis, idest quod nō sit indigna, & ità talis sit,quę possit capere ex testamēto, aliàs sibi hæc actio competere non pōt argumento l.cum tacitam infr.de probat. & l.cùm qui infr.de his quibus, vt indign.
51 quintò † illud concurrere debet, qđ huic agere volenti sit facta restitutio vel re, vel verbo,vel patientia, vel ratihabitione,vel ex legis dispositione,siuè sibi,siuè alij eius nomine sit facta restitutio,vt in l. restituta infr. ad l rebell. S.C.Tandem illud desi-
52 deratur,vt probetur,† hæreditatē,vel res, quæ petuntur fuisse possessas,vel detentas à testatore fideicommittente prout in petitione hæreditatis ad l.itē,videndum §.fin. & l.& non tantùm supr. de petit. hæredit.
53 † probata enim possessione, vel detentione in vita defuncti fideicōmittentis,præsumitur cōtinuata vsquè ad eius mortem ex notatis in l. siuè possidetis C.de probat. & hæc sint requisita huius actionis.

Et ex his sit impositus finis huic Quinto Pandectarum libro,& etiam totius præsētis anni enarrationib.scholasticis ad laudē omnipotentis DEI, ac eius Sanctiss. GENITRICIS VITÆ REGINÆ Protectricis nostræ;cui gratias quātum in nobis est, & agamus,& habeamus, in hoc eos imitati,qui cùm nauigationem absoluissent se ad columnas Herculeas, Gaditanamquè illam famigeratam insulā, vbi sitæ sunt, conferebant, ibiquè sacra faciebant,quasi vota soluētes, vt potè à naufragio,Prædonumq. & Hostium incursibus, ac impetu pręseruati, sic nos cùm totā pręsentis operis nauigationem satis feliciter absoluerimus,ad ipsam VITÆ REGINAM tamquam ad tutissimum portum accedamus.

Sit Laus Deo,ac Virgini Matri.

COPIOSISSIMVS EORVM OMNIVM,

Quæ in hisce interpretationib. continentur.

A

Actio

Bono-

Compe-

in Con-

Datio

Effe-

Error

Exhare-

Fidei-

Fidei-

Filius

G

Iudex

Iudi-

L

Lati-

e 2 *sit n*

Manda-

N

Nego-

O.

Obli-

P.

Pan-

Petitio

Possessio.

Possi-

Præsens

cesso-

Proro-

Q

Quasi

Sena-

Suus

b Titu-

Vacans

V

Veta-

Volun-

Sit laus Deo, ac Virgini Matri.

Registrum.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXY. abcdefgh.

Omnes sunt Terniones praeter Y, quae sunt folij, & ✠, & h, sunt Duerni.

Errata huius Operis grauiora in legendo inuenta.

pag.	col.	lin.	*Quæ ſic leguntur.*	*ità Corrigantur.*
3.	2.	5.	exceptæ	excerptæ
4.	1.	4.	videantur	videatur
	2.	19.	D XXIV.	D XXXIV.
5.	1.	penul.	D XXXIII.	D XXXIIII.
7.	1.	25.	denotabatur	denotabantur
14.	2.	24.	quo eaſus	quo caſu
16.	2.	13.	poſt verbum intereſſe addatur ſignũ, † & in margine addatur num. 6.	
18.	1.	2.	Reuocare	Prouocare
	2.	16.	Pruocationis	Prouocationis
22.	1.	34.	ſtro	noſtro
29.	2.	8.	venit	euenit
		36.	deleatur n.8.qui eſt in margine, & reponatur ante lin. 38. vbi dicit 9.	
30.	2.	16.	num.87.	num. 7.
31.	2.	33.	& gerat	ſi gerat
33.	1. antè	l.23.	deeſt in margine num. 11.	
37.	1.	30.	vtilitatem maximam, vtilitatem tamen maximam	
	2.	44.	poſt verbum lugdunenſe addatur ſignũ,† & in margine addatur n.10.	
42.	1.	43.	maiorem	maiorum
43.	1.	3.	indicat	indicat
45. in fi. 2. col.			guunt	conſule.
50.	2.	31.	malus diea	malus dicatur
55.	1.	12.	addatur in margine num. 14.	
56.	1.	35.	abſente	abſenti
59.	2.	25.	l.ſi eùm dominum	l. ſi eum hominẽ
60.	1.	18.	l.ne auus	l.nec auus
61.	1.	3.	poſt verbum facilius addatur ſignum, † & in margine addatur num.20.	
		24.	deleatur verbum quaſi	
65.	1.	47.	addatur in margine num. 17.	
	2.	8.	28.	18.
67.	1.	41.	addatur in margine num 8.	
74.	2.	1.	de paſtul.	de pecul.
77.	1. 2. in fin.	37.	poſt verba, cępta ſit, addatur, poſſideri addatur. 6. Occaſio non debet dari exportandi res alienas.	
79.	2.	20.	de hæredit.	de hæredum
83.	2.	45.	5.	4.
90.	2.	21.	eum	cùm
		26.	poſt verbum dignit. addatur ſignum, † & in Margine addatur num.18.	
91.	2.	23.	poſt verbũ, debeatur, addatur, vt n. 12.	
96.	2.	3.	Protectoris	Protectricis
102.	2.	10.	poſt verbum, fratris, addatur, l.fratris, & l.fratres	
109.	1.	31.	num.margin.47.	46.
110.	1.	39.	num.ſummar.27.	26.
		43.	Qui exſuto	Qui exſecto
112.	1.	2.	de poſſeſſ.	de bonor. poſſeſſ.
	2.	33.	num.ſummar.24.	25.
114.	2.	10.	poſt verbum, ſingulari, addatur. de	
118.	1.	1.	poſt verbum, quia, addatur ſignũ,† & in margine addatur num.27.	
119.	1.	9.	inuitarus	inuitus
	2.	13.	exhæreditaris	exhæredatis
		23.	ob prætenſionem	ob præteritionem
		30.	redunt	redundat
122.	2.	15.	habeat	habent
125.	1.	18.	addatur in margine num. 24.	
		32.	poſt verbum, neceſſe, addatur, ſignũ † & in margine num 25.	
	2.	16.	teſtamentum	teſtamenta
129.	2.	12.	poſt verbum, agere, addatur, de	
131.	2.	31.	intercedunt	intercidunt

pag.	col.	lin.	*Quæ ſic leguntur.*	*ità Corrigantur.*
134.	1.	8.	hæredit	hæredibus
137.	1.	32.	auctoritas	vtilitas
139.	1.	44.	ſotus	totius
143.	1.	penul.	poſt verbum, condictio, addatur ſignum,† & in margine addatur nu.13.	
	2.	fin.	ita	iſta
144.	4.	6.	vt cuius	& cuius
146.	2.	32.	pertinent	pertinet
151.	2.	42.	alij	alijs
153.	2.	23.	appellabuntur	appellabantur.
154.	2.	7.	ſi ſui	ſi cui
		24.	deleatur in fin.lin. illud verbum, lega.	
156.	2.	22.	deleatur in fin.lin. illud verbum quod	
157.	2.	13.	improbi	improbè
158.	2.	20.	δώρεισσαι	δώρεισδει
		24.	veſtra	vocaſſe
159.	1.	11.	fuerit	fecerit
		38.	accepto	acceptanti
	2.	15.	num.Summarij 0.	9.
		39.	num.Summarij 10	19.
		46.	multis olim	multis modis olim
160.	2.	28.	pecunia	pecuniam
161.	1.	35.	correctorum	correorum
165.	1.	3.	de leg.12.	de leg. 2.
		40.	adicta	adiecta
167.	1.	26.	Albertus	Albericus
		44.	num.Summar.55.	35.
		fin.	emancipatus	emancipans
	2.	21.	omne	omni
168.	1.	27.	poſt verbum, nepotem addatur. non	
	2.	16.	in	vt
		19.	poſt verbum S. C. addatur, & Auth. ceſſante C.	
180.	2.	34.	num.35.	36.
183.	1.	15.	num.margin.28.	29.
184.	1.	8.	Ad lib.IV.	Ad l.IV.
		41.	& iure	ex iure
	2.	32.	poſt verbum recit. deleatur. at	
186.	2.	42.	num.46.	num.48.
187.	1.	26.	lege	legi
	2.	6.	pendeant	pendent
189.	2.	44.	δσφάλεια	ἀσφαλεια
190.	2.	20.	poſt verbum, vt purà, addatur ſignum, † & in margine num.48.	
196.	2.	14.	deleatur illud verbum erat	
197.	2. poſt	l.8.	addatur. 29. Cauſa ſimplex libertatis delegari poteſt.	
206.	1.	1.	iuſtè	iure
212.	1.	24.	deleantur illa verba infr. de donat. & reponãtur in lin. ſeq. poſt l.1.2. & 3.	
214.	2.	48.	indicijs	indicijs.
217.	1.	6.	hæredita alienæ	hæreditas aliena
219.	1.	penul.	in Andriano	in Hadriano
220.	1.	8.	neceſſitatum	neceſſitatem
221.	1.	19.	ſcribit	ſcribi
223.	2.	31.	venditione	leg. venditore
224.	1.	21.	Vlpianus	Vlpius
	2.	21.	vel diuerſitate	vel a diuerſitate
232.	2.	40.	peti diem	peti antè diem
235.	1.	2.	vel aliquem	vel aliquam
235.	2.	3.	defuncti	hæredis.
		41.	l.quod ſi diem	l. quod ſi in diem
248.	1.	35.	competenti	competentem
253.	1.	43.	hæreditatis	hæreditas
254.	2.	27.	deſinere	definire
		46.	perſequendum	perſequendam